SAMUELIS PUFENDORFII INTRODUCTIO AD HISTORIAM EUROPAEAM:...

Samuel Freiherr von Pufendorf, ...

EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

9.7.339.

XXIV

PUFFEND


1703

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google



APUD GUILIELMUM VANDE WATER. M:D:C.CIIL.

SAMUELIS PUFENDORFII

INTRODUCTIO

AD

HISTORIAM EUROPÆAM,

Latine reddita

A

JO. FRID. CRAMERO.

Editio tertia,

a multis erroribus emendata,

E T

COMPENDIO HISTORIÆ SUECIÆ;

aucta.



ULTRAJECTI,

Ex Officina GUILIELMI van de WATER.

MDCCII.

PRÆFATIO AUCTORIS.

HIſtoriarum cognitio quantopere cunctos oblectet homines, cum novitate, tum varietate rerum, quas illæ ſuppeditant, ac præter uberrimos præſtantiſſimosque fructus, quos ex iis percipiunt, qui in earum evolvendis monumentis nonnihil ſtudii poſuerunt, quantum ornamenti afferat illis, inprimis qui honeſto loco nati, admoveri aliquando ad Reipublicæ gubernacula ſtudent, nemo, niſi in illis plane hoſpes ſit, ignorat. Quare conſultum mihi eſſe videtur, ut

adoleſcentes illuſtri genere orti a teneris annis animum ad id adjungant ſtudium. Nam florentis ætatis vegetior & firmior eſſe memoria ſolet, & ad ea, quæ tum diſcit, legitque, retinenda accommodatior. Perſuaſum etiam mihi eſt, eum, quem non hujus ſcientiæ capiat amor, nec ejus incitetur atque inflammetur ſtudio, nullam, aut exiguam certe de ſe ſpem commovere, nec dignum unquam laboribus ſuis præmium capturum. In ſcholis equidem, tam publicis quam privatis, exponi adoleſcentibus hiſtoriarum conditores conſueverunt. Complures etiam nobiliſſimæ ejus ætatis annos in perlegendis atque evolvendis CORNELIO NEPOTE, CURTIO, JUSTINO, & LIVIO conſumi paſſim videas: cum tamen illi hiſtoriæ noſtrorum temporum rudes plane atque ignari ſint, immo ne per ſomnium quidem de ea cogitaverint. Id quidem conſtat inter omnes, nec ego improbo, ab hiſtoricis antiquis capiendum eſſe initium, magnam enim

enim ea res & utilitatem habet & voluptatem. Recentiorem autem hiſtoriam negligi plane & contemni, ſumma eorum, quibus commiſſa eſt juventutis educandæ cura, inſcitia atque imprudentia eſt.

Id quidem fundamentum earum rerum, quas demonſtrabo, pono: iis rebus a teneris annis dandam eſſe operam, atque in eas omni ſtudio incumbendum, quæ maturiore inde ætate nobis fructum aliquem & commodum præſtare, atque ad eas res gerendas, ad quas noſtra adhibetur opera, uſui eſſe poſſunt. Jam vero, quid afferre luminis ad earum rerum cognitionem, quæ hoc tempore in terrarum Orbe gerantur, CORNELIUS NEPOS, CURTIUS, aut prior Livii decas queat, non video. Etſi enim eos ad unguem, ut ita loquar, reddere memoriter aliquis poſſet, & Phraſium Sententiarumque Indicem locupletiſſimum confecerit, immo enumerare accuratiſſime queat, quantus fuerit boum ac pecudum numerus, quas Romani, reportata de Æquis, Volſcis, & Hernicis

victoria, in triumphum duxerunt, nihilo tamen plus videat. Rurſus quanto adminiculo ſit hiſtoriæ tam patriæ noſtræ quam finitimarum gentium notitia, iis perſpectum atque exploratum eſt, qui conſiliis Rerumpublicarum admoti ſunt. Impeditam autem atque difficilem ad hanc ſcientiam viam efficit, cum hiſtoriarum vaſtitas, ac ſcriptorum, qui illas complexi ſunt, immenſa multitudo, tum etiam quod illorum magna pars, vernaculo ſermone, res ſuæ gentis memoriæ prodidit; adeo, ut qui ad eam appellere animum velit, complurium linguarum exterarum cognitione inſtructus eſſe debeat. Ad eas tollendas difficultates, paucis abhinc annis, Suecicorum quorundam adoleſcentum rogatu, breve hoc rerum memorabilium corpus confeci, earum ſcilicet gentium, quarum in hoc regno maxime ducitur ratio, ut in eo hiſtoricæ ſcientiæ fundamentum jacerent, atque ut tantum in privatos ipſorum uſus converteretur. Cum autem rudem hanc atque imperfectam materiam in alienas in-

incidiſſe manus cognoviſſem, ac periculum eſſet, ne avarus aliquis bibliopola opus hoc impolitum atque inchoatum in lucem emitteret: ego quod in ea re verſari famam atque exiſtimationem meam putabam, & aliorum monitus exemplo, quorum rudia ac nondum perpolita ſcripta ab aliis publicata vidimus, coactus ſum lucubrationes haſce meas, etſi in ſummis temporis anguſtiis, recognoſcere atque expolire nonnihil: maluique eas, qualeſcunque eæ demum ſint, ipſe potius publici juris facere, quam, ut eæ ſurriperentur mihi ab aliis, pati. Quare exiſtimare facile poteris, benevole Lector, opus hoc non dignum eſſe politis eruditorum hominum auribus, ſed ad adoleſcentum captum atque uſum accommodatum: ut, cum ii, quanta ſit hujus ſtudii ſuavitas, primis deguſtaverint labris, ejus incenſi cupiditate, majores faciant progreſſus. Ejus quoque rei te, benevole Lector, commonendum puto, quod cum cujusque gentis hiſtoriam ex ſuis ac domeſticis ſcriptoribus

collegerim, ii vero initia genti ſuæ auguſtiora & res majores tribuant, damna autem elevent, & in recenſendis variarum ac diverſarum gentium rebus geſtis controverſiæ nonnullæ oriri poſſint, quas decidere, atque de iis ferre judicium, noſtri haud eſſe inſtituti. Quo expeditior eſſet adoleſcentibus ad hiſtoriæ cognitionem perveniendi via, adjeci quæ in commemorandis gentis cujusque moribus laudari aut reprehendi ſolent; in qua re ita moderate me geſſi, ut nulli veras derogaſſe, aut falſas tribuiſſe laudes videar. Adſperſi præterea aliqua, de regionis cujusque ingenio, viribus, nævis, ac Reipublicæ forma: ut adoleſcentes, ſi quando in exteras concedant terras, aut cum viris prudentibus ac cordatis ipſis conſuetudo intercedat, habeant, cujus ope plura ex iis cognoſcere, & de variis rebus eorum exquirere ſententiam poſſint. Atque hæc etiam de iis dicta ſunto, quæ de cujusque Reipublicæ rationibus paucis attigi, in quibus indicandis rerum & temporum,

porum, uti tunc erant, cum opus hoc concinnarem, ſecutus ſum rationem. Quanquam hæc pertinere magis ad confirmati judicii viros, quam adoleſcentes videntur, tacitus tamen ea præterire nolui, quoniam ad eam normam omnis de Republica conſilii bene aut perperam ſuſcepti exigi ratio debet. Eæ autem res, (quod in adoleſcentium gratiam addo) in quibus Reipublicæ verſantur commoda, dividi apte atque diſpeſci poſſunt in eas, quæ aut *probabiles* ſunt, aut *veræ*. Prioris generis ſunt, cum in iis rebus Reipublicæ ſalus conſtituitur, quæ perfici ſine aliorum injuria, atque offenſione, & ingentibus turbis haud poſſunt, & quæ ne conficiantur unquam, impedire ſummoque præcavere ſtudio alii debent. In quarum referri cenſum jure ſuo meritoque poſſunt, *Europæ Monarchia*, *Monopolium Univerſale*, aliaque complura quibus turbari atque commoveri totum terrarum Orbem neceſſe eſt. *Num ſi vos imperare vultis, ſequitur ut omnes ſervitutem accipiant?* Poſteriores vero diſtingui

qui rurſus in *perpetuas* & *temporarias* poſſunt. Illæ ex regionum ſitu, natura atque incolarum ingenio, ſuam præcipue originem trahunt. Hæ autem e vicinarum gentium ſtatu & conditione dimanant, prout illæ aut plurimum poſſunt, aut infirmæ atque debiles ſunt. Nam cum illarum damna & commoda etiam ad nos pertineant, ipſarum mutato ſtatu, noſtram quoque mutari conditionem neceſſe eſt. Hinc fit ut ſi bene noſtris conſulere rationibus velimus, auxilio levandi nobis aliquando vicini noſtri, ne ipſis aliqua a potentioribus fiat injuria: nonnunquam etiam accreſcens eorum potentia primo quovis tempore ſit opprimenda, ne ea nobis evadat perniciosa, aut ſaltem detrimenti aliquid afferat. Sed cum res hæ ſint tam manifeſtæ, & omnium quaſi oculis ſubjectæ, ut iis ſaltem qui ad clavum Reipublicæ ſedent ignotæ eſſe haud poſſint: dicat aliquis, qui fiat ut earum rerum imprudentia lapſi complures, in haud leves incidant errores. Sed ille ſic habeat: eos ſæpe qui imperium

rium atque principatum in Republica obtinent, etſi ſuarum ipſi rerum, atque earum, quæ ad vicinas gentes pertinent, rudes plane atque ignari ſint, Rempublicam tamen pro ſua libidine atque arbitratu regere velle, nec prudentiſſimis ac fideliſſimis ſuorum parere præceptis: aliquando etiam pravorum hominum conſiliis & cupiditatibus auferri eos atque corrumpi videmus. Sin autem rerum gerendarum ſumma Purpuratorum atque amicorum permittitur arbitrio, fieri poteſt, ut illi huic oneri ferendo aut impares ſint, aut Reipublicæ ſalutem privatis poſtponant commodis, aut denique in plures diſtracti factiones, pravis obſequi cupiditatibus, & ea quæ opprimendi æmulos ſuadet libido perficere malint, quam rectæ rationi obtemperare. Atque hæc ad potiſſimam & politiſſimam recentioris hiſtoriæ partem pertinent, quæ in eo maxime conſiſtit, ut ſciamus, qui vel ipſi ſummum in Republica imperium teneant, vel tanquam arcanorum participes, publicarum re-

rum

rum admoventur conſiliis, quæ ſint ingenii & animi cujusque dotes, quæ inclinationes, quæ pertinacia, quæ ſtudia privati commodi, quæ rerum agendarum rationes, & ſimilia. Hiſce enim rebus efficitur maxime, ut & Reſpublica aliqua vel inclinata jaceat. Haud raro enim evenire videmus, Reſpublicas ab exiguis profectas initiis, virorum prudentium conſilio ad ſummam evehi dignitatem: aliquando etiam nonnullorum vecordia haud leviter affligi atque labefactari earum potentiam. Harum autem rerum cognitio quemadmodum iis, quibus publicarum rerum commercia cum exteris gentibus intercedunt, perneceſſaria eſt, ita eſt inſtabilis, & temporis puncto mutabilis, ſiquidem alia atque alia rerum facies eſſe in Principum regiis ſolet. Quare diuturno rerum uſu potius addiſcendæ, & ex virorum prudentium ſermonibus, quam libris hauriendæ. Habes, benevole Lector, quæ præfanda paucis, antequam opus ipſum aggrederer, duxi. Vale.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

*Q*Um laudes, quas litteraria Reſpublica Viro Celeberrimo* Samueli Pufendorfio, *cum ob alia præclara ejus monumenta, tum etiam propter hanc* INTRODUCTIONEM AD HISTORIAM *debet, pro merito prædicare aut extollere, non ſit hujus loci, multis te, benevole Lector, non morabor, verbulo tantum ſignificaturus ea, quæ editionem hanc præ duabus prioribus reddunt commendabilem.*

Priores editiones erroribus typographicis hinc inde ſcatebant ſatis gravibus, qui legentibus, junioribus præprimis, quive in Latinitate minus verſati erant, haud le-

** *vem*

vem creabant offenſionem & moleſtiam: Huic igitur incommodo ſuppetias laturus, curavi ſedulo ac diligenter, ut hæc, quantum fieri potuit, rectiſſima & emendatiſſima in lucem prodiret. Idque feci eo lubentius, quod libelli hujus utilitas adeo legentium ineſcarat animos, ut priores editiones intra paucorum annorum ſpatium ita diſtractæ fuerint ac divenditæ, ut ejus copia haberi amplius non poſſet. Dedi porro, ne editioni huic quid omnino deſit, operam, ut inſimul HISTORIAM SUECIÆ, *illuſtrem æque ac aliarum Gentium, quamque Celeberrimus Auctor peculiari antea complexus volumine erat, ſummatim hic & æquali cum prioribus brevitate, exhiberem. Queſti namque ſæpius fuere Domini Studioſi, privari ſe hujus Hiſtoriæ cognitione, eo quod ob amplitudinem molemque ſuam in Collegiis privatis pertractari nequeat. Gratificaturus igitur illis etiam hac in parte, ſic redigi in ordinem & contrahi Hiſtoriam Suecicam juſſi, ut prioribus capitibus brevitate ſua reſpondeat, & æque ac*

reli-

reliqua priora breviſſimo temporis ſpatio perlegi & explicari poſſit. Denique, quum Index mutilus in prioribus editionibus fuerit ac mancus, rebusque ſcitu maxime neceſſariis deſtitutus, operæ pretium duxi, novum & ſatis copioſum componi, ſic ut heic nihil amplius deſiderari poſſe opiner. Hæc præfanda mihi fuere, ut omnibus palam inde fiet, quantam curam & diligentiam impenderim, ut Opuſculum hoc, lectu non modo jucundum, ſed & utiliſſimum, omnibus tandem numeris abſolutum publicam adſpiceret lucem. Vale.

INDEX CAPITUM.

Cap. I. DE quibusdam Imperiis, & inprimis de Romana Republica, ex cujus fragmentis multa recentiora Imperia propullularunt. 1
II. De Hiſpania. 31
III. De Portugallia. 97
IV. De Britannia. 117
V. De Gallia. 211
VI. De Belgio Fœderato. 313
VII. De Helvetia. 364
VIII. De Imperio Germanico. 376
IX. De Dania. 419
X. De Polonia 441
XI. De Moſcovia. 478
XII. De Monarchia Pontificis Romani. 489
XIII. De Suecia. 619

SAM.

AUGUSTISSIMO. BORUSSIAE. REGI

FRIDERICO

P. P. PIO. FORTI. FELICI INCLYTO

TERTIAM. HANC. PUFENDORFIANAE. INTRODUCTIONIS EDITIONEM QUAM. TEMPORUM. NECESSITAS. UT. JUVENTUTIS. RERUM. EUROPAEARUM. CUPIDAE. STUDIIS. INSERVIRET. LIBRARIO. EXTORSIT.

† QUUM

QUUM. INTERPRES
PRIMAM. EDITIONEM
LATINAM. ANNIS. AB-
HINC. CIRCITER. XVI.

EIDEM

SERENISSIMO FRIDERICO

EO. TEMPORE. PRINCI-
PI. JUVENT.
ALTERAM. ANNIS
ABHINC. XI.
EIDEM. POST. OBIT. MA-
XIMI. PATRIS.

S.

S. R. I.

OCTOVIRO
BRANDEBURGICO

OPT. MAX.

L. M. Q.

DEDICASSET

INTEREA. DUM. TOTUM
OPUS. MULTIS. AC. LU-
CULENTIS. ACCES-
SIONIBUS. AD. HAEC. US-
QUE. TEMPORA. AU-
CTUM. ET. INPRIMIS
HISTORIA. COMPEN-
DIARIA. REGNI. BO-
RUSSICI. ET. QUAE
BORUSSICO. AC. BRAND.

SCEPTRO. REGUNTUR.
TERRARUM. ET. PRO-
VINCIARUM. LOCU-
PLETATUM
IN. LUCEM
POSSIT. EMITTERE
DENUO. EA. QUA. PAR
EST. ANIMI. SUB-
MISSIONE
D. D. D.
AUG. NOMINI. AC. MA-
JESTATI. EJUS.
DEVOTISSIMUS.

J. F. CRAMERVS.

DEDICATIO

Editioni Trajectinae, Anno cIↃ IↃcxcii. praefixa.

Sereniſſimo ac Potentiſſimo Principi

FREDERICO

III.

D. G. MARCHIONI BRANDEBURGICO S. R. I. ARCHICAMERARIO ET ELECTORI, SUPREMO DUCI IN BORUSSIA MAGDEBURGI, CLIVIAE, JULIACI MONTIUM, STETINI, POMERANIAE CASSUBIORUM ET VANDALORUM, UT ET IN SILESIA CROSNÆ ET SVIBUSII DUCI, BURGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII, MINDÆ ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERÆ, MARCÆ ET RAVENSBERGÆ, DOMINO TERRITORIORUM LAVENBURGII ET BUTOVII &c. &c.

JO. FRIDERICUS CRAMERUS.

SExtus jam annus eſt, quo TIBI, MAXIME PRINCEPS, hunc librum a me Latine converſum, pietatis erga Te meæ teſtificandæ cauſſa, ea qua par eſt animi ſummiſſione, of-

† *ferre*

ferre & ſub auſpiciis Auguſti Nominis Tui in lucem emittere ſum auſus. Ac vicit tum quidem meam expectationem fortuna. Perexiguum enim munus quum non diſplicuiſſe Tibi, tanto Principi, luculentis documentis & ſingularis benignitatis ſignificatione declarares, nihil in hac vita mihi honorificentius aut optatius potuit accidere. Ceterum quo amplior jam & auguſtior Tua fortuna eſt, poſtquam annis abhinc quinque TE, SERENISSIME ELECTOR, divina Providentia in excelſo Majorum Tuorum ſolio collocavit, eo magis erat enitendum, ut tanto faſtigio, quæ TIBI inſcribuntur, ingenii monumenta quodammodo reſponderent. Vererer equidem & merito vererer, ne mihi aut temeritatis aut impudentiæ nota inureretur, quod bis eandem fortunam tentare (id quod ſapientis eſſe negant viri prudentes) in animum induxi; niſi conſtaret inſitam Tibi humanitatem una cum dignitatis & majeſtatis acceſſione mirifice creviſſe, ut, ſi unquam, hominum pie Te colentium animum potiùs, quam muneris præſtantiam ſpectares.

Itaque

Itaque mihi non committendum eſſe putavi, ut, quum iſta Puſendorfiana Introductio ad Hiſtoriam Europæam iterum apud Batavos, ſed multis partibus, quam antea, nitidior & caſtigatior, publicaretur; belliſſimam declarandæ gratæ voluntatis occaſionem amitterem. Præſertim quum ad ſuperiorem illam Tuam & inſignem in me clementiam benigniſſimi Tui de meis ſtudiis judicii cumulus acceſſerit.

Nam ut omittam deſtinatam olim mihi in Academia Tua honeſtiſſimam provinciam docendarum bonarum artium; ullum ne majorem aut uberiorem fructum ejus operæ, quam ab ineunte ætate poſui in litterarum & politioris humanitatis ſcientia, potui percipere, quam quod dignus Tibi viſus ſum, quem ſtudiis Principum ſummæ expectationis, propinquorum Tuorum, præficeres? gerebas enim, ut es Auguſtum Familiæ Brandeburgicæ & caput & columen, & adhuc geris Sereniſſimæ Domus Anſpacenſis tutelam, ſumma cum ſapientiæ, fidei, & paternæ caritatis laude.

In eo autem munere obeundo, ne Tuam, SERENISSIME ELECTOR,

expectationem fallerem, illud inprimis negotii mihi datum eſſe arbitrabar, ut primum erectum ad virtutem & illuſtre Optimorum Principum ingenium iis ſapientiæ ſtudiis & diſciplinis perpolirem; quas qui Principi, ad res magnas gerendas nato, inutiles aut indecoras eſſe contendunt, næ illi vim ac majeſtatem tanti nominis parum videntur intelligere. Sed quia exemplis magis, quam præceptis, ſolent generoſæ mentes commoveri: majorem autem vim habent domeſtica exempla, quam externa, viventium, quam mortuorum: nullum vel grandius vel illuſtrius Optimi & Sapientiſſimi Principis exemplar Eis ad imitandum potui proponere, quam Tuum, SERENISSIME ELECTOR. Compendiaria illa & ſimul tutiſſima ad conſequendam ſummam gloriam & nominis æternitatem via videbatur, ſi quemadmodum Tu, SAPIENTISSIME PRINCEPS, divinam imaginem Parentis Optimi Maximi, quoad vixit, ob oculos perpetuo habuiſti; eamque cum ſumma admiratione omnium in iſto florentiſſimi imperii Tui curriculo atque omni adeo vitæ te-

nore,

nore, quotidie & egregie exprimis: ita Tuam effigiem, quæ omnia omnium ſapientum præcepta continet; Principes arctiſſimo neceſſitudinis vinculo Tibi conjuncti, contemplari nunquam deſinerent, & ad ejus normam omnes actiones ſuas, atque omnem vitæ rationem dirigere ſumma ope niterentur. Quid enim? Nimirum doces exemplo Tuo, inanem eſſe natalium ſplendorem, niſi rebus præclare geſtis & virtutibus avitæ majorum gloriæ conſentaneis illuſtretur: Sceptrum, diadema, ſolium, purpuram, apparitores, & cetera auguſtæ dignitatis inſignia, dedecori potius quam ornamento Regibus ac Principibus eſſe, niſi tantæ perſonæ majeſtatem animi altitudine & heroicæ virtutis indole tueantur: ad imaginem Dei immortalis, cujus in terra vices gerunt Principes, eos proxime accedere, qui pietate & juſtitia excellentes, in infinita poteſtate, nihil beata civium & ſubjectorum populorum vita antiquius habent: qui ſui ſemper ſimiles, adeo nulla impotentia animi efferuntur, ut a jocis etiam acerbioribus & virulentis dicteriis, ſeu natura, ſeu animi inductione abhorreant: qui non ſuperbo

faſtidio, non minis, non objurgationibus, non violentis iracundiæ motibus, ſed imperii æquabilitate ſuos in officio continent & dicto audientes habent: qui refrænata vindictæ cupiditate de ſemetipſis pulcerrimum & glorioſiſſimum triumphum deportant, & jacentes adverſarios non ſolum priſtina dignitate non privant, ſed novis etiam ornamentis augent: qui ſingularem in omnibus rebus animi candorem præ ſe ferentes, & apertum, ut dicitur, pectus oſtendentes, præ ceteris ſunt idonei ad comparandum ingentem amicorum, clientum, fœderatorum numerum, ſtabilitatis ſuæ præſidium: qui tamen ita ſolerti providentia conſiliorum ſuorum rationes tegunt & occultant, ut in eas penetrare nulla vis ingenii poſſit. Doces, gravem eſſe & majeſtatis plenum Principem oportere, quum in publico verſatur; in oratione brevem, ſed cum dignitate & apta ad præſens inſtitutum facundia, ſive ſint reſponſa danda legatis, ſive de rebus graviſſimis in conſilio deliberandum: In munificentia autem & liberalitate exercenda, eam ſequi rationem, ut duplicem quaſi gratiam uno beneficio ineat, eorum, quibus

benigne

benigne faciat, accuratum delectum habendo, provincias, honores & dignitates non niſi; perſpecta cujuſque indole, & exploratis viribus, hominibus idoneis demandando; ut nec bellicis muneribus, nec rerum civilium procurationi quiſquam præficiatur, niſi quem paribus tanto oneri ſuſtinendo dotibus & natura & uſus, optimus rerum magiſter, inſtruxit. Doces vim ingenii, mentis aciem, judicium acre, ſincerum, intelligens, & reliqua divinitus conceſſa ornamenta ad omne decus laudis & ad ſalutem reipublicæ unice eſſe referenda: juſtitiam & æquitatem, omnium virtutum dominas & reginas, ſemper in conſilio habendas, ut, exortis controverſiis, decernere in ſua cauſſa ſubinde non modo ſecundum ſuos cives, & ſocios, verum ſecundum ipſos etiam inimicos, æquitate cauſſæ permoti non dubitent, atque ſemetipſos quodammodo condemnare: memoriæ denique præſtantiam eam potiſſimum commendationem habere, ut, qui ea præditus eſt Princeps, ſubjectorum commoda & incommoda, in numerato habeat, quin etiam nomina, vultus, & libellos ſupplices ſingulorum, qui

ejus opem implorant, mente repetat & quaſi oculis ſibimet ipſe ſubjiciat. Doces rationem & prudentiam reipublicæ bene domi foriſque gerendæ in eo maxime eſſe ſitam, ut non ſolum ad ea, quæ foris ſunt, alta ingenii indole præditus Princeps, & ad ſtabilienda atque colenda cum exteris commercia, & ad capienda pro ratione temporum & reipublicæ conſilia, & ad aucupandas omnes bellicæ gloriæ occaſiones, & ad proferendos fines, eoſque caſtellis & arcibus muniendos mentis aciem intendat: verum etiam ad conſtituendum ac ordinandum imperium domi omni animi contentione incumbat, perficiatque, ut caſtitatem divini cultus nulla hæreſium monſtra violare, morum integritatem nec luxus, nec libido, nec ſanctitatem legum ulla gratia nec ulla ambitio, ulla largitio labefactare queat; ut quum omnis impia & mala conſuetudo eradicetur, tum vero immanis illa & barbara certaminum ſingularium libido, graviſſimis propoſitis ſuppliciis, coerceatur; ut leges & inſtituta, temporis diuturnitate corrupta, emendentur, aut, pro re nata, novæ & reipublicæ ſalutares leges ferantur,

tur; ut vitæ commoditati, & otio ac tranquillitati civium ædilitiis edictis & accurata diſciplinæ civilis ratione proſpiciatur; ut ſumtuoſis & magnificis ædificiis urbs & domicilium Principis illuſtretur, & pomœria novis ſubinde acceſſionibus & ſuburbiis amplificentur. Jam vero graviſſime animadvertendum eſſe in flagitia & ſcelera, Principis auctoritate & exemplo pietatis & virtutis dignitatem confirmandam & ad ejus ſtudium homines excitandos, tuendam & protegendam Eccleſiam, fovendos & ornandos ſacrorum antiſtites, ſuadendam eſſe religionem, non imperandam, perfugium præbendum eſſe miſeris hominibus, quos ſtudium religionis ſuæ & invicta conſtantia ſolum vertere coegit, eorumque inopiam & calamitatem omni benignitatis genere ſublevandam, ſubjectis denique & popularibus paternæ caritatis ſenſum præſtandum, nec immodicis exactionibus exhauriendos eſſe, ita doces Tuo exemplo, PRINCEPS OPTIME & SAPIENTISSIME, *ut in hoc genere pares paucos, ſuperiorem certe habeas neminem. Magna hæc ſunt &*

ampla

ampla exaggeratæ virtutis ornamenta, quæ in illuſtri poſita monumento nulla temporum longinquitas delebit. Sed tamen non poteſt non tantæ gloriæ ſplendor evaneſcere aut ſaltem vehementer obſcurari, niſi ſimul eſſes, quod de ſuo Heroe prædicat Vatum præſtantiſſimus & antiquiſſimus Homerus:

Pace bonus Princeps, & non minus acer in armis.

Scilicet oſtendis Tuo exemplo, PRINCEPS INVICTE, pacis ſtudio bella eſſe ſuſcipienda, numeroſos & validos alendos exercitus, ut ab hoſtili incurſione fines, a vaſtitate agros, ab immanium & truculentorum hoſtium vi & injuria ſubjectos eorumque conjuges, liberos, aras & focos poſſent defendere, & acerbiſſimum ſervitutis jugum ac injuſtæ dominationis impetum a cervicibus Principis juxta & parentium populorum repellere. Oſtendis, officium eſſe Patris Patriæ, ut quum ipſe ſuis copiis præeſt, & ſuo ductu rem gerit, non niſi publicæ ſalutis cauſſa caput ſuum in diſcrimen inferat; ceterum, bonum publicum & ſuam gloriam vel ipſa vita cariora

&

& potiora habeat: Imperatorias autem illas virtutes, quas Pompejo, incomparabili Duci, Cicero, Vir ſapientiſſimus, tribuit, laborem *videlicet* in negotio, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in providendo, *perpetuas eſſe adminiſtras ac comites actionum militarium oportere. Rurſus quum longe a domo, Tuis auſpiciis, militant Duces, ut ſociorum opes ac fortunas tueantur, non ut Tuos fines defendant, oſtendis, MAXIME PRINCEPS, etiam eos, quibus rei militari ſummam commiſiſti, non niſi Tuos eſſe legatos, & a nutu Tuo ita pendere, ut abſentis auctoritatem non minus, quam præſentis imperium, quamvis magno terrarum intervallo disjuncti, revereantur. Oſtendis, eſſe prudentiæ Principis, bellicis laudibus inclyti, ut & ſumendorum armorum & ponendorum momenta pari diligentia perpendat, ut non minus moderate & prudenter uti victoria, quam fortiter eam comparare norit, ut denique finium propagandorum rationem non ambitione aut effrænata cupiditate, ſed æquitate & armorum jure*

me-

metiatur. Maximas has & immortales rei militaris laudes eſſe conſtat, ſed tamen ita comparatas, ut in earum ſocietatem duces & milites veniant. Singularis & propria temporum tuorum felicitas eſt, quod dum undique omnia belli ſubſidia, virtute duce, comite fortuna, conquiris, dum foris in compluribus & longinquis Europæ oris, ad Rhenum, ad Moſam, ad Scaldim, ad Danubium, quin & ad Padum & ad remotiſſimarum Alpium radices, Tuæ legiones victricia arma circumferunt, domi pacis ornamenta non deſiderentur. Excipiendis magnifice hoſpitibus, Principibus, & legatis, celebrandis ludis, ſpectaculis, conviviis, Regio apparatu, condendis Academiis, ornandis & illuſtrandis ſapientiæ ſtudiis, complectendis egregiarum artium ſeu inventoribus ſeu cultoribus eximiis, amplificanda ſupellectile litteraria, & illa Tua longe celeberrima gaza æris, argenti, auri antiqui & ſignati locupletanda, magnificis ac Regiis ſubſtructionibus ſuſcipiendis & perficiendis ita placidiſſimæ pacis ſuaviſſimam imaginem oculis & mentibus omnium ſubjicis, ut in medio bello bellum nemo ſentiat.

Acce-

Accedit aulæ Tuæ ſplendor cum Regiis maximorum Regum comparandus, ſive Principum atque Heroum omni laude cumulatiſſimorum, qui Tibi & in toga & in ſago præſto ſunt, frequentiam, ſive multitudinem hominum, omnibus ſapientiæ, doctrinæ virtutis ornamentis præſtantiſſimorum ſpectes, ſive denique omnem Regii cultus apparatum conſideres. Quis autem neſcit, TE, SERENISSIME ELECTOR, inter tot tantaque ſidera ita eminere, ut inter minora aſtra Sol ſuis omnia radiis illuſtrat? Tantum enim abeſt, ut qui vel principem gratiæ & auctoritatis locum apud Te obtinent, tam inſigni beneficio inſolenter abuti in animum inducant, ut præter Tuum nutum & obſequii gloriam nihil omnino ſpectent. Scilicet extincta illa factionum hydra & bellua multorum capitum, efficis pro ſapientia Tua & animi magnitudine, ut non modo Aula Tua, verum etiam omnes, qua patet imperium, terræ & provinciæ, unius quaſi corporis compage devinctæ, & conſentientibus ſenſibus, non niſi una domus atque una familia eſſe videantur. Quæ ſane concordia & inuſita-

metiatur. Maximas has & immortales rei militaris laudes eſſe conſtat, ſed tamen ita comparatas, ut in earum ſocietatem duces & milites veniant. Singularis & propria temporum tuorum felicitas eſt, quod dum undique omnia belli ſubſidia, virtute duce, comite fortuna, conquiris, dum foris in compluribus & longinquis Europæ oris, ad Rhenum, ad Moſam, ad Scaldim, ad Danubium, quin & ad Padum & ad remotiſſimarum Alpium radices, Tuæ legiones victricia arma circumferunt, domi pacis ornamenta non deſiderentur. Excipiendis magnifice hoſpitibus, Principibus, & legatis, celebrandis ludis, ſpectaculis, conviviis, Regio apparatu, condendis Academiis, ornandis & illuſtrandis ſapientiæ ſtudiis; complectendis egregiarum artium ſeu inventoribus ſeu cultoribus eximiis, amplificanda ſupellectile litteraria, & illa Tua longe celeberrima gaza æris, argenti, auri antiqui & ſignati locupletanda, magnificis ac Regiis ſubſtructionibus ſuſcipiendis & perficiendis ita placidiſſimæ pacis ſuaviſſimam imaginem oculis & mentibus omnium ſubjicis, ut in medio bello bellum nemo ſentiat.

Acce-

Accedit aulæ Tuæ ſplendor cum Regiis maximorum Regum comparandus, ſive Principum atque Heroum omni laude cumulatiſſimorum, qui Tibi & in toga & in ſago præſto ſunt, frequentiam, ſive multitudinem hominum, omnibus ſapientiæ, doctrinæ virtutis ornamentis præſtantiſſimorum ſpectes, ſive denique omnem Regii cultus apparatum conſideres. Quis autem neſcit, TE, SERENISSIME ELECTOR, *inter tot tantaque ſidera ita eminere, ut inter minora aſtra Sol ſuis omnia radiis illuſtrat? Tantum enim abeſt, ut qui vel principem gratiæ & auctoritatis locum apud Te obtinent, tam inſigni beneficio inſolenter abuti in animum inducant, ut præter Tuum nutum & obſequii gloriam nihil omnino ſpectent. Scilicet extincta illa factionum hydra & bellua multorum capitum, efficis pro ſapientia Tua & animi magnitudine, ut non modo Aula Tua, verum etiam omnes, qua patet imperium, terræ & provinciæ, unius quaſi corporis compage devinctæ, & conſentientibus ſenſibus, non niſi una domus atque una familia eſſe videantur. Quæ ſane concordia & inuſita-*

ta animorum conſpiratio tantam vim habet, ut eam admiratione proſequantur ſocii & amici, hoſtes potentiſſimi reformident.

Atque, ut eo, unde digreſſa eſt, redeat oratio, in hanc tam eminentem Optimi & Maximi Principis effigiem perpetuo intuebatur, qui in Tua tutela fuit, CHRISTIANUS ALBERTUS, Marchio quondam Brandeburgicus Anſpacenſis, idemque omnibus & corporis & animi laudibus egregius Princeps. Incredibile dictu eſt, quantopere piiſſimum, quoad vixit, Principem, paterna illa Tua cohortatio, ut ſe dignum Te, & Tutore ſuo, & gentis ſuæ Capite, dignum Auguſto Brandeburgenſium ſanguine præberet, ad Sapientiæ & Virtutis ſtudium inflammarit: & ſane ſpes erat maxima fore, ut ubi rerum potitus eſſet, inſigne aliquando & Brandeburgenſis nominis & totius Germaniæ ornamentum Optimus Princeps exiſteret: niſi eum paucis abhinc menſibus e Britannis & Belgis redeuntem, quum, Te annuente, in Italiam iter meditaretur, paullo poſt principatus habenas ipſe ſuſcepturus; prærnatura & luctuoſa eheu! mors oppreſſiſſet,

ſet, & quam animo jam præcipiebamus, lætitiam futuri temporis, in acerbiſſimum dolorem convertiſſet. Sed graviſſimum vulnus, cujus nondum obducta cicatrix eſt, ſanabit, ita auguror, ſuperſtes Frater germanus, non magis excellenti formæ ſpecie, quam reliquis naturæ donis ſupra ætatem conſpicuus Princeps, GEORGIUS FRIDERICUS, *qui in ſpem ſucceſſionis educatur; regente & moderante ejus ætatem viro generoſiſſimo,* BREDOVIO, *Equite, & Tuo,* SERENISSIME ELECTOR, *cliente fiduciario; qui octo annorum ſpatio præclare & de defuncto Principe, dum vixit, & de ſuperſtite Fratre eſt meritus & adhuc meretur, cum egregia fidei & prudentiæ laude. Sub ejus viri ductu & auſpiciis, quum meas quoque partes eſſe aliquas voluiſti, prorogata mihi provincia erudiendi ſummæ ſpei Principis, eam videlicet optimam & fere unicam referendæ gratiæ & tantæ benignitatis promerendæ rationem eſſe duco, ſi pro virili parte eam mihi ſtudiorum ſummam proponam, ut, quod adhuc fecit, fraterno excitatus exemplo, amabiliſſimus Princeps, ad Tua,* SE-

RENISSIME ELECTOR, *veſtigia perſequenda, & ad illam omnibus numeris abſolutam effigiem Tuam quomodocunque exprimendam, divinas illas ingenii ſui dotes & præclaros ad gloriam impetus animi unice conferat. Quanquam enim in anguſtiore ſeſe theatro virtus* Optimi Principis *exercet, ut tam late patentem & in tam excelſo loco poſitam excellentiam ſummæ dignitatis aſſequi nullo modo poſſit, cauſſæ tamen nihil video, quo minus eorum gubernatorum exemplum ſequatur, qui ſummorum hominum, ſedentium ad clavum maximarum navium, & in vaſtiſſimo Oceano vela facientium, peritiam & induſtriam ſibi ad imitandum proponunt, eamque ad ſuos uſus & ad ſuas rationes ita accommodant, ut poſſint directum curſum ad portum ſalvi & incolumes tenere: etiamſi ipſi conſueverint non niſi minoribus navigiis, in anguſtis fretis, aut in mediterraneo mari navigare.*

Ceterum, quod ego rudi penicillo adumbrare ſum auſus ſimulacrum Tui, SERENISSIME ELECTOR, *vivis coloribus exprimet qui eum, quem Tibi offe-*

ro,

ro, librum vernacula primum lingua conſcripſit, Puſendorfius, vir illuſtris, ut vel ea gratia non injucundum Tibi qualecunque munus meum fore confidam, quod ab eo maxima ex parte proficiſcitur, qui poſt ſuperiorem editionem in Tuorum numerum adſcriptus, condita & perfecta illa immenſa & divina hiſtoria maximarum rerum a DIVO PATRE TUO *per annos circiter quinquaginta cum immortali ſua gloria geſtarum, nunc Tuas quoque res domi & foris ſapienter ac fortiter geſtas, ad ſempiternam poſteritatis memoriam prodere inſtituit. In tam arduo negotio dum verſatur Vir ſummus, reperiet haud dubie unum tuum luſtrum, ex quo rerum potitus es, comparari cum quatuor luſtris paterni imperii non immerito poſſe, non quod excelſa Principis Incomparabilis virtus occaſioni unquam, ſed quod occaſio ſæpe virtuti defuerit. Tam diverſum, quale hoc tempore videmus, & tam late diffuſum bellum, tam miram & tam inuſitatam Europæ faciem, tam admirabilem inclinationem temporum, & tam ſubitam converſionem rerum, nec Parentis Optimi Maximi, nec fortaſſis ulla*

unquam ætas vidit. Iis autem rebus omnibus propter opinionem prudentiæ, auctoritatis, opum, & ſtudii in bonum publicum, interfuiſſe TE, SERENISSIME ELECTOR, *& nonnunquam etiam præfuiſſe, ſi quis ignorat, eum hoſpitem ac peregrinum in rebus noſtri temporis, ſi diſſimulat aut negat, malitioſum & ſtolide pertinacem eſſe oportet. Magnum eſt, gerere res immortalitate dignas; ſed niſi ſit, qui eas æternitati conſacret, ſcriptor luculentus, neceſſe eſt, quamvis illuſtria ſapientiæ, fortitudinis, & clementiæ monumenta ſempiterna tandem oblivione deleri, & ſummæ adeo gloriæ fructum vetuſtate temporis oblitteratum perire, ipſam denique poſteritatem graviſſimis ad capeſſendum decus exemplis defraudari. Rurſus vana eſt & inutilis excellentiſſimi etiam hiſtorici prudentia & induſtria, (quanquam, ut verum fatear, perexiguus omni ætate proventus fuit illuſtrium hiſtoricorum) ſed tamen, ſi adſunt, qui tanti nominis menſuram poſſunt implere, inutilis, inquam, aut ſaltem ignobilis eſt eorum opera, niſi quorum gloriæ ſervire geſtiunt, iidem uberrimum & am-*

pliſſimum

pliſſimum argumentum ſuppeditent ad ſcribendam hiſtoriam omnium ſeculorum memoria victuram. Quo magis Tibi gratulor, SERENISSIME ELECTOR, *eum Tibi divinitus contigiſſe rerum Tuarum Scriptorem, quem & natura & diuturnus uſus omnibus ad tantum munus cum dignitate obeundum ingenii & prudentiæ luminibus exornavit. Nec enim potuit ad conſecrandam immortalitati gloriam nominis Brandeburgici quidquam optatius aut illuſtrius accidere, quam quod idem, qui maximorum Arctoi Orbis Regum,* GUSTAVI ADOLPHI & CAROLI GUSTAVI, *res geſtas litteris eſt complexus, ad conſcribendam hiſtoriam ſummorum totius Germaniæ Heroum,* FRIDERICI GUILIELMI MAGNI & FRIDERICI III. *tanquam veteranus, ut ita loquar, & exercitatus in hoc genere miles, manus admoveat. Sibimet autem ipſe multo magis gratulatur Vir celeberrimus, quum ſtatuere Tuæ gloriæ monumentum ære perennius inſtituit; quod pro inuſitata imperii Tui felicitate, omnes juſtæ hiſtoriæ leges ſervare,*

ſalva

ſalva fide & religione, etiam Te vivente, poteſt; ut quum uberrimam & per ſe maximam præclariſſimorum facinorum ſegetem ei præbeas, non oratoris facundiam, ſed ſcribentis fidem unice requiras. Poſteritati itaque oſtendet Vir excellentiſſimus, DIVUM PATREM, rebus præclare ac fortiter domi foriſque geſtis cognomentum MAGNI ſibi jure meritoque peperiſſe, ſed Tuis enarrandis rebus, ſimul oſtendet, eum nulla re majorem fuiſſe, quam TE, TANTO FILIO.

Quæ divina gloria ut Tibi, SERENISSIME ELECTOR, propria ſit ac perpetua, ut Tuos annos de noſtris augeat bono publico, atque adeo ut cum AUGUSTA CONJUGE & FILIO UNICO, paternæ Virtutis æque & Imperii Herede, univerſam Domum Brandeburgicam, omnibus Majeſtatis & perpetuæ felicitatis ornamentis cumulatam, quam diutiſſime conſervet, DEUM OPTIMUM MAXIMUM ſuppliciter oro.

L. S.

PRaefatio noviſſima, quae huic editioni eſt adjecta; quaeque praefationem Pufendorfii ſequitur, itemque Latina interpretatio Compendii Hiſtoriae Sueciae ab H. Sickio, Viro Praeſtantiſſimo, ſunt profectae. Quod monere operae pretium eſſe duximus. Vale.

SA-

SAM. PUFFENDORFII

INTRODUCTIO
AD
HISTORIAM EUROPÆAM.

CAPUT I.

De quibuſdam Imperiis priſcis, & in primis de Romana Republica, ex cujus fragmentis multa recentiora Imperia propullularunt.

Antiquiſſimus humani generis ſtatus poſt lapſum.

PRINCIPIO rerum ac primis generis humani incunabulis nulla ejuſmodi Imperia, atque nunc ſunt, extitiſſe, per ſe quisque exiſtimare facile poteſt. Scilicet, primis illis temporibus ſuæ quiſque paterfamilias conjugi, liberis, ac familiæ ſummo cum imperio præfuit, ipſe ſui juris, nec ullius ſuperioris poteſtati obnoxius. Quin immo perquam mihi veriſimile videtur, ante diluvium nullam omnino Remp. fuiſſe, civili Imperio legibuſque deſcriptam; nec præter domeſticum patrumfamilias Imperium ulla Principatus veſtigia occurriſſe. Neque enim credibile eſt, tam effrænatam morum licentiam atque divini pariter & humani juris confuſionem locum habuiſſe inter homines imperio civili ac legibus circumſcriptos. Et vero Rebuspublicis conſtitutis, nunquam univerſum genus humanum in tantam vitæ morumque peſtilentiam denuo incidiſſe, deprehenſum eſt, ut ea tolli a Deo non niſi ex-

tremo omnium mortalium ſupplicio poſſet: quanquam radices mali nobis inſitæ non minus tum temporis, quam ante inundationem orbis, vires ſuas exſeruere. Ceterum, multo etiam poſt diluvium, iſtum patrumfamilias ſegregem ſtatum exſtitiſſe, probabile eſt.

Quæ cauſa potiſſimum fuerit, cur in ſocietates coierint homines.

§. 2. Videntur autem hi, relicta vita ſolitaria, in magnas ſocietates coiviſſe eam potiſſimum ob cauſſam, quod videbant, quum variæ, inter cohabitantes, controverſiæ orirentur, ad eas diſceptandas dijudicandaſque vim atque arma adhiberi, ex eaque re ceu fonte quodam innumera ad homines mala redundare. Itaque quietis paciſque conſervandæ cauſſa conſultum eſſe videbatur, ut arbitrium hujuſcemodi controverſiarum ad prudentiſſimum quemque ac graviſſimum in locis vicinis deferretur. Advertebatur præterea, creſcente in dies humano genere, hominum perditorum petulantia atque impetus: ut exigua ſceleratorum manus, conſpiratione facta, hominem unicum cum ſua conjuge ac liberis opprimere nullo negotio poſſet. Ab eorum impetu ut ſe defenderent, ſocietatem inierunt homines, prout quemque locorum vicinitas conjunxerat, mutui auxilii cauſa. Quod ut rite atque ordine perficeretur, ſummum ſocietatis imperium deferebatur ei, qui prudentia & virtute ceteros antecedere videbatur. Nec minus credibile eſt, ſi qua hominum multitudo ſeſe conſociaſſet ad novas ſedes quærendas, eum Ducem delectum fuiſſe, qui itineri ſimul ac novis provinciis conſtituendis præeſſet. Judicis autem ejuſmodi ac Ducis munus paulatim in illud Imperii genus degeneravit, quod ab Ariſtotele Heroicum dicitur: quod quidem nihil aliud eſt, quam Democratia quædam, præſide ejuſmodi cive primario, inſtituta; penes quem major

dicen-

dicendi auctoritas, quam imperandi vis atque poteſtas eſſet. Et hæc videtur antiquiſſima Rerumpublicarum forma fuiſſe; ſuæ quippe libertatis non adeo obliti fuerant patresfamilias, ut ſuffragii ac ſententiæ ferendæ jus penitus ſibi eripi paterentur; in iis ſaltem rebus, quas nomine totius ſocietatis decerni oporteret.

§. 3. Quo vero tempore ſocietates ejuſmodi primum exortæ fuerint, quæve earum vetuſtiſſima ſit, haud facile dixerim. Quamvis enim ab Aſſyriis prima Monarchia conſtituta eſſe dicitur; non tamen ex eo ſequitur, eam primam hominum ſocietatem civilem fuiſſe. Etenim aliarum Rerump. viribus non ita valentium excidio & interitu regnum iſtud in magnitudinem non contemnendam excreviſſe conſtat. Atque bella a primis Aſſyriorum Regibus geſta ſatis oſtendunt, jam tum præter illud alia etiam Imperia exſtitiſſe. Sed notandum eſt, ut nihil rerum humanarum ſimul invenitur & perficitur, ita antiquiſſimas Reſpublicas ſimplici fere ac rudi imperio conſtitutas fuiſſe: donec cunctæ deinceps ſummæ poteſtatis partes omnibus eſſent numeris abſolutæ, rebus, inſtitutis, ac legibus, ad Remp. conſervandam neceſſariis, inventis & excogitatis. Perexiguæ quoque primæ Reſpublicæ fuerant, atque iis duntaxat terrarum ſpatiis terminatæ, quibus cogi ſocii brevi tempore poſſent, ſive de rebus graviſſimis deliberaturi, ſive mutuum adverſus vim externam auxilium laturi. Satis quippe ex Hiſtoricorum monumentis manifeſtum eſt, quo longius in antiquiſſima tempora progreſſus fueris, eo plures ſeparatas ac diſtinctas Dominationes tibi occurrere: quibus deinceps conjunctis, ſucceſſu temporis, ingentia & vaſtiſſima Regna exſtiterunt, quum alii ſocietatem Imperii ultro cum aliis inirent, alii per vim a potentioribus ſubigerentur.

Quo tempore primæ exortæ ſint Reſpublicæ.

Imperfectæ ac perexiguæ fuerant primæ Reſpublicæ.

A 2 §. 4. Aſ-

Imperium Aſſyriorum. §. 4. Aſſyriorum Imperium inter regna majora antiquiſſimum eſſe perhibetur. Cujus rei ea mihi cauſa potiſſima eſſe videtur, quod primi mortales eas in primis terras incoluerunt atque frequentarunt, quum cæteræ regiones ſerius frequentatæ non niſi ſparſas habitantium ſedes continerent. Majoribus etiam opum & legum præſidiis muniti illi fuerunt, quam qui colendis agris perpetuo diſtricti tenebantur. Itaque nullo illi negotio infirmiores hos, tanquam ignaros, quantum in ſocietate armorum fœderibuſque robur poſitum eſſet, opprimere potuerunt, atque adeo novas ſibi ex prioris victoriæ fama palmas parare. Cæterum, anceps ac dubia eſt Chronologiarum fides, quibus Ninus ac Semiramis, Monarchiæ iſtius auctores, innumerabili copiarum multitudine bella cum nationibus longinquis geſſiſſe vulgo memorantur; quanquam nihil eſt, cur in iis accuratius inveſtigandis deſudemus. Duo in primis notantur adminicula, quibus ſubnixi Reges populos iſtos ingentes in officio continuerunt. Ac primum ſingulari quadam majeſtate ac veneratione ſuam circumdederunt perſonam; palatiis incluſi nemini niſi familiaribus ſui videndi copiam fecerunt; nec ſuam ſententiam civibus ac popularibus unquam niſi per eoſdem familiares internuncios pronuntiarunt. Eo pacto vulgo hominum perſuadere conati, ſeſe quodammodo ſupra faſtigium humanum evectos eſſe. Tum certum quotannis militum numerum ex omnibus Provinciis in eam urbem, in qua ſedes Regia conſtituta erat, convocarunt, præpoſito eis Duce, cujus fides maxime probabatur. Quæ quidem copiæ & parendi promptitudinem populis, & metum exteris injecerunt. Cæterum, dimiſſis quotannis militibus novum in eorum locum ſupplementum conſcribebatur, ut ne Duci concili-

Media quibus conſervatum fuerit.

andæ ſibi militis voluntatis, & ejus ope tyrannidis occupandæ ſpatium daretur. Quamobrem vero Imperium iſtud Sardanapalo Rege conciderit, non tam effœminati ejus paſſimque notati mores, quam nimia illa in tanto regno præſidibus provinciarum maximarum conceſſa a Regibus poteſtas, cauſſa fuiſſe videtur. Qui quidem viribus ſuis freti, ad extremum eo minus dubitarunt Regiæ dignitati imminere, quod ipſi Reges per otii pacisque ſuavitatem voluptatibus ac torpore ſopiti, conciliare ſibi novam ſubinde auctoritatem ac venerationem bellis & rebus præclare geſtis neglexerant. Ex interitu Imperii Aſſyriorum duo deinceps regna propullulaſſe videntur, Arbace Mediam, cui antea præfuerat, & præſide Babyloniæ eandem, cui præfectus erat, provinciam tanquam proprio dominii jure ſibi vindicantibus: quæ provinciæ, conſtituta deinde Perſarum Monarchia, ad unum Imperium denuo redierunt. *Ejus interitus.*

§. 5. Ad eas provincias, quæ jam antea Medorum ac Babyloniorum Imperio continebantur, multas etiam Aſiæ Minoris partes adjecit Cyrus, Imperii Perſici auctor. Is quum multa ſapientiſſime conſtituiſſet, tum illud maxime laudabile videtur, & ad quietem Reip. conſervandam aptiſſimum, quod in omnibus provinciis, quibus præfecerat Satrapas, caſtella locaque munita ſibi reſervavit, impoſitis Ducibus mediocris conditionis, qui Regis duntaxat, nullum Satraparum, Imperium agnoſcebant. Quos inter quum perpetua gloriæ ac potentiæ æmulatio intercederet, cavebatur, ut ne quiſquam eorum res novas moliri in animum induceret. Nec Satrapæ quidquam tentare adverſus Regem audebant, Præfectorum, qui in caſtellis erant, cuſtodia coerciti; qui, quum ſingulis ipſo- *Perſarum Imperium, quare ſervatum ſit.*

ipſorum molitionibus imminerent, cuncta ad Regem perferebant. Rurſus, a Præfectis nihil erat periculi: qui propter impotentiam ac generis humilitatem nullos facinoris ſocios inveniebant. Cambyſes cum Perſide Ægyptum conjunxerat. Reliquæ Regum Perſiæ machinationes limites imperii propagare conantium irritæ atque inanes fuere. Cambyſes contra Æthiopes, Darius Hyſtaſpis adverſus Scythas, infelices ſuſceperunt expeditiones, quorum poſterior ingens etiam, ſed multo majus Xerxes ex bello Græcis illato, dedecus reportarunt. Sed qui his ſuccedebant Reges, Artaxerxes Longimanus, Darius Nothus, & Artaxerxes Mnemon, longe prudentius ſeſe geſſerunt. Abſtinuerunt ii a bello Græcorum, ac pacem illis tantiſper conceſſerunt, dum, conflatis inter eos bellis inteſtinis, in ſua ipſorum viſcera ruerent. Mira calliditate ſuas ibi partes egerunt Perſæ: civitatem aliam contra aliam quum incitaſſent, infirmiori auxilium ferebant, eo conſilio, ut bellum duceretur: debilitatis ad extremum, & exhauſtis, eas pacis conditiones tulerunt, quæ quum æquitatis titulo ſpecioſæ eſſent, ita tamen Græcos enervarunt, ut ad res magnas ſuſcipiendas penitus inepti redderentur: quum unaquæque civitas libera & non niſi ſuis legibus atque inſtitutis obnoxia eſſe renuntiaretur. Macedones tamen, perexigua gens Græciæ, interitum Perſarum Imperio attulerunt. Qua in re inſignis Perſarum Regum imprudentia accuſatur, quod, creſcentibus Philippi viribus, haud mature reſtiterunt, nec potentes hoſtes ei & Alexandro in Græcia concitarunt, qui Perſarum opibus adjuti Regibus bellicoſis tantum negotii domi faceſſerent; ut de expeditione Perſica ne cogitare quidem poſſent; quemadmodum iidem olim Ageſilaum Re-

Irrita fuere machinationes Perſiæ Regum limites Imperii propagare conantium.

Ejus interitus.

gem propediem domum compulerant. Sed nimia ſecuritas atque aliorum contemptus exitio miſeris fuere: accedebat imperitia rei militaris, de qua poſtea pluribus agemus.

§. 6. In plures olim parvaſque Reſpublicas diſtincta fuit Græcia, legibus & inſtitutis a ſe invicem differentes. Inter eas tractu temporis eminuerunt Athenæ, cujus urbis incolæ prudentia, eloquentia, artium omnium cognitione, ac morum denique venuſtate cæteros ad unum omnes antecedebant: quorum virtus atque gloria in primis bello Perſico enituit crevitque. Exin quum adjecto Pyræo portu urbem ad commercia navigationeſque opportunam reddidiſſent, ingentes ſibi divitias magnaſque Imperii maritimi vires compararunt; ſuis quippe claſſibus ſparſas per mare Ægæum inſulas atque univerſas Aſiæ Minoris oras in ſuam poteſtatem redegerunt. Sed Reſpublica proſpero nimis rerum ſucceſſu elata, quum ſubjectos ſibi populos ſocioſque durius tractare cœpiſſet, omnium ſibi odium atque invidiam arceſſivit. Et quod Imperium totius Græciæ affectare videbantur Athenienſes, ad comprimendam ipſorum inſolentiam Peloponneſii, aliique, ductu & auſpiciis Spartanorum æmulorum maxime atque invidorum Atticæ Reip. conſpirarunt. Strenue tamen ac fortiter iis reſtiterunt Athenienſes; diuque æquo fere Marte bellum gerebatur, quum hi ingenti demum clade fracti, deinceps etiam claſſem propter Thraciam amiſerunt. Captis deinde Athenis Spartani triginta Tyrannos impoſuerunt: qui quos ferrum reliquos fecerat civibus crudeliter imperitarunt. Cæterum, expulſis iis, ope civium exſulum Thraſibulus civitatem in priſtinam libertatem vindicavit. Exinde reſpirarunt nonnihil Athenienſes, priſtina tamen amplitudine nequaquam recuperata: a Philippo etiam

Græcia.

Athenæ.

Rege, cui ſeſe oppoſuerant, in ordinem magno ſuo malo coacti. Ita præpoſtera imperandi libidine ingentem malorum Iliadem ſibi arceſſivit Reſp. Attica, majora, quam capiebat, imperia ſpirans; nec fere amplius decem millibus civium continebat, civitatis jure cum admodum paucis communicato. Neque enim tanta hominum paucitate terræ ſpatioſæ tamque amplæ civitates contineri in officio poſſunt. Itaque, inſigni clade denuo accepta, ipſius opes penitus corruerunt. Sunt enim ejuſmodi civitates ad hoſtes a finibus ſuis prohibendos, quam ad bellum aliis inferendum Imperiumque propagandum aptiores. Itaque longe melius ſibi conſulunt, ſi ſuis intentæ rebus aliena negligunt, nec ſuum aliis eripere in animum inducunt, atque adeo nihil præter cuſtodiam ac munimenta mœnium ſuorum curant. Secundum ab Athenis locum obtinebat Sparta, Lycurgi Legiſlatoris diſciplina inclyta: ea cives in primis ad rem militarem idonei efficiebantur. Satis iſta civitas roboris, quamdiu nemo ex finitimis caput ſuum altius extollebat, habuit ad libertatem ſuam ab infirmioribus civitatibus defendendam. Nec Spartanis quoque quidquam cauſſæ fuit, cur bellum aliis inferrent, quoad per leges ipſorum nullum opibus pretium fuit; at vero quum pro virium magnitudine altius evolare niterentur, experientia magiſtra didicere, non una eademque ratione & ampliſſimum Imperium inſtitui, & modicam Remp. conſervari. Nam quum bello Attico, adſpirante fortuna, Athenas evertiſſent, in eandem inciderunt dementiam, quæ exitium Athenienſibus attulerat; non modo univerſam Græciam Aſiæque Minoris oras ſubigere conati, verum ipſum etiam Perſarum Regem, Ageſilao Duce, bello adoriri. Sed is expeditam caſtigandæ temeritatis viam ingreſſus, ceterorum Græcorum ope, qui felicitati Spar-

Sparta.

Spartanorum invidebant, domeſticis turbis eos ab inſtituto dimovit, adeo ut Ageſilaum Ducem ad defendendam patriam revocare domum cogerentur. Haud ita multo poſt claſſem ipſorum Conon devicit: terreſtri prælio ad Leuctram facto, inſignem ipſis cladem intulit Epaminondas. Ea re derepente eorum vires ita ſunt afflictæ, ut vix ſuam urbem tueri valerent. Poſt duas iſtas Reſpublicas etiam Thebæ aliquam ſibi auctoritatem & famam conciliarunt, Epaminondæ in primis virtute ac prudentia; is quippe craſſos Bœotos, quos per contemptum porcos appellabant, ita excitavit inſtruxitque, ut compreſſa Spartanorum inſolentia eo vivo plurimum totius Græciæ poſſent. Mortuo eo ad priſtinam tenuitatem rediit civitas; & quum adverſus Macedones inſurgeret, a Philippo primum gravi ſupplicio coercita, ab Alexandro demum funditus eſt everſa. Thebæ.

§. 7. Ante Philippum Macedonia tenuiſſimum fuit regnum, crebris finitimorum incurſionibus vexationibuſque obnoxium, ut vix ſuam ab iis defendere libertatem poſſet: & gens iſta parvi a cæteris Græcis fiebat. Sed duorum in primis Regum virtus eam a contemptu vindicatam ad Principatum totius fere orbis evexit. Aditum ad eam rem, ut tenuem antea Macedoniam, domeſtica primum diſciplina bene conſtituta, caput totius Græciæ efficeret, patefaciebat Philippo non minus finitimorum conditio, quam ſua ipſius virtus ac prudentia. Ab una parte fines ejus attingebant Thraces, Triballi, & Illyrii, nationes barbaræ, latrociniiſque deditæ, ſed quibus leges præſcribere jugumque imponere prudens Rex ac ſtrenuus facile poſſet. Ad alteram partem pertinebant civitates Græciæ, quarum quidem vires priſtinæ, etſi vehementer erant acciſæ, Macedonum tamen robur longe ſuperabant. Eos Macedonia. Philippi virtus ac prudentia.

hiſce fere artibus impugnavit Philippus: inteſtinis ſcilicet contentionibus eos inter ſeſe quum commiſiſſet, mutuis attritos præliis ita debilitavit fregitque, ut peregrinum jugum a cervicibus ſuis propulſare haudquaquam valerent. Et quia Philippus populum alium atque alium adoriebatur, nec ex iis quiſquam, qui creſcentibus in dies viribus ejus reſiſteret, exiſtebat, citius quam præviderunt, ipſorum libertati imminuit. Ad eam rem perficiendam incredibilis in Philippo dexteritas inerat: vividus animus & ingenti gloriæ cupiditate accenſus, rebus præclare geſtis ad nominis celebritatem nitebatur: quod ſolidæ virtuti deerat, ſimulationis artificium & calliditas compenſabat. Specioſum in primis nomen prætendere conatibus geſtiens: ſin id minus poterat, utcunque conatus perficere ſatis habebat; nec religioni ducebat, per pactorum ac jurisjurandi fidem imprudentes decipere. Animi motus inſuper & conſilia miro artificio obtegere, alios mutuis diſſidiis commiſſos per ſpeciem amicitiæ utrinque decipere, ſpeque vana lactare egregie doctus. Blandus pariter & inſidioſus alloquio, facile cunctorum animis ſeſe inſinuabat, ſeria & jocos pari dexteritate tractans, auroque non aliter, quam inſtrumento inſtitutum exſequendi, uſus. Rei militaris peritiſſimus ex ſuis Macedonibus lectiſſimum confecit exercitum: & phalangis ab ipſo primum inventæ compages ipſis etiam Romanis ſtupendum opus videbatur. Primus ſemper ante aciem conſiſtens, quum & milites perpetuo duraret exercitio, & ſtipendium iis largiter perſolveret, eo demum rem perduxit, ut nuſquam fortiores Macedonibus milites exiſterent. Sed poſteaquam eo res rediit, ut ab univerſa Græcia Dux belli adverſus Perſas conſalutaretur, ipſe in expeditione iſta ſuſcipienda occupatus, contrucidatur miſerandum in modum,

dum, rei exſequendæ gloria Alexandro filio relicta.

§. 8. Haud facile quidquam in Hiſtoricorum monumentis glorioſius aut illuſtrius Alexandri expeditione invenias, in qua cum exercitu capitum ad triginta millia, tot tantiſque gentibus perdomitis, ab ipſo Helleſponto ad Indos uſque victricia arma circumtulit. Cauſas tanti ſucceſſus indagantibus, præter providentiam divinam regna ſuis quæque periodis circumſcribentem, occurrit primum eximia illa Alexandri virtus animique magnitudo, in qua quidem haud exiguum momentum eſt poſitum. Is flore exercitatiſſimi militis ſtipatus, quum incredibili celeritate hoſtibus immineret, ei reſiſtere quantæcunque Barbarorum copiæ recens ac temere collectæ haud potuerunt. Secundo loco graviter peccavit Darius, quod de rei ſumma acie decerneret cum hoſte, quum hac in parte Perſæ impares Græcis ſemper extitiſſent. Tum etiam militum exercitatorum penuria premebatur Imperium Perſarum, diuturna pace, quum nullum armis pretium eſſet, elangueſcens. Itaque, quo major hominum imperitorum multitudo erat, eo facilius ordines in acie perturbabat. Nec ipſe Darius trahere bellum, hoſtemque prudenti cunctatione commeatu intercluſum frangere & debilitare noverat. Alium igitur exitum habere res non potuit, propterea quod Darius domi Græcos Alexandri gloriæ invidentes concitare, adeoque avertere hoſtem a finibus ſuis, neglexerat. Alexander M.

§. 9. Sed præmatura Alexandri morte periit expeditionis glorioſiſſimæ fructus, non modo patrio regno liberis tenui ætate erepto, verum etiam ingenti recens devictis gentibus calamitate illata, propter inteſtina Ducum Macedonis exercitus bella. Potuiſſent illæ priorem Regem cum meliori facile commutare, ſi terræ tumultuarie ac feſtinanter domitæ Præmature moritur.

mitæ ſtabili firmari Imperio potuiſſent. Ad eam enim rem perficiendam & tempore opus eſt, & exacta rei civilis peritia. Et fere inſtabile eſt magnum nimis & repentinum incrementum, ac pari dexteritate & conſervantur parta & adquiruntur. Quum igitur tam late pateret Imperium Alexandri, ut exiguis Macedonum copiis gentes immenſis locorum intervallis disjunctæ in officio contineri nequirent, nec ipſe terras in provinciæ formam redactas cum patrio regno conjungere poſſet: una conſervandi Imperii ratio erat, ſi qua in ſuos cives, eadem etiam in victos uteretur humanitate, nec, de eorum inſtitutis, moribus ac legibus quidquam immutans, eos Macedonum habitum ac mores induere cogeret, ſed ipſe potius Perſarum indolem cultumque amplexus non tam Imperii quam Regis mutati ſenſum pacatis relinqueret. Probe id callebat Alexander, & primum in Perſarum conſuetudinem ſeſe paulatim adducere, habitum veſtitumque adſciſcere, Regis defuncti filiam in matrimonium ducere, & cuſtodiam corporis non niſi Perſis committere. Quo magis ſuam produnt inſcitiam Scriptores ii, qui prudentiſſimum Alexandri inſtitutum reprehendunt. Sed tempore opus eſt ad eam rem perficiendam, donec victi pariter & victor mutua conſpiratione conſentiant. Ei negotio dignitas Alexandri, virtus, animi magnitudo, atque liberalitas perquam opportunæ fuere. Quod ſi filium tanto parente non indignum genuiſſet, perpetua Perſici regni poſſeſſione frui ipſius familia potuiſſet.

Bella poſt obitum Alexandri.

§. 10. Cæterum, obitus Alexandri cauſſa & quaſi ſemen cruentiſſimorum bellorum fuit: erat enim eo tempore ingens Macedonum exercitus, gloria rerum geſtarum ferox, omniſque diſciplinæ impatiens: nec inter Duces quiſquam tantum ceteros

teros antecedebat, ut ei ſe ſubmittere reliqui vellent: quum ſinguli ſuperbia inſolentiaque inflati privatæ ſortis humilitatem quaſi e ſublimi deſpicerent. Aridæo quidem nomen Regis eſt datum; ſed homo ſimplex nec auctoritatis ſatis, nec roboris habebat, ad inſolentiam tot hominum factioſorum coercendam. Itaque ambitione impulſi alii totius Imperii principatum invadere nitebantur, alii bonam ejus partem decerpere in animum induxerant. Inde, quum diuturna cruentaque bella eſſent conflata, mutuis ſeſe cladibus attriverunt, paucis ad extremum ſuperſtitibus. Eorum quinque & Regium inſigne & provinciarum Principatum ſibi vindicabant, Caſſander, Lyſimachus, Antigonus, Seleucus, Ptolemæus. Ex iis tres poſteriores duntaxat Imperium ad poſteros tranſmiſerunt. Itaque regna omnino tria in fide ac ditione Macedonum manſerunt, Syria, Ægyptus & Macedonia. Nam eæ Imperii Perſici regiones, quæ trans Euphratem Orientem ſpectant, in Parthorum deinceps nomen & ditionem tranſlatæ, ingens denuo regnum produxerunt. Superiora, quæ dixi, regna, a Romanis deinde ſubacta ſunt. Ac Macedonia, Italiæ proxima, prima fortunam belli experta. Romani, Italia perdomita, imperandi cupiditate Oceanum tranſgreſſi, quum Philippum caput extollere idque agere perſentiſcerent, ut in ſuam poteſtatem redigeret Græciam, haud ſibi committendum putarunt, ut tantis finitimi opibus effloreſcerent, quibus iſti freti effundere ſeſe deinceps in Italiam poſſent. Igitur ſocietate cum Græciæ civitatibus, quæ a Philippo vexabantur, inita, eo nomine atque obtentu Regem bello perſecuti, in Macedoniam repellunt, Græcia in libertatem vindicata. Quo facto & vires iſtius gentis diſſipatæ, & voluntas ejus benevolentiaque Romanis conciliata. Hi ad ultimum Perſei

Macedonum regna, Macedonia, Syria, Ægyptus, a Romanis ſubiguntur.

ſci regnum funditus deleverunt, Macedoneſque ſubegerunt. Inde, armis in Syriam converſis, Romani Antiocho Magno Regi Aſiam, quæ ad Taurum montem pertinet, eripuerunt. Quod quidem regnum, etſi non ſtatim collaberetur, inteſtinis tamen diſſidiis miſerandum in modum affligebatur; donec populares Regiæ familiæ contentionibus ac furore debilitati, Tigrani Armeniæ Regi ſeſe dediſſent. Eum deinceps regno iſto privavit Pompejus, idque Romano Imperio adjunxit. Poſtremo Ægyptii in Romanorum poteſtatem venere, Cleopatra & Antonio, ejus amatore, devictis ab Auguſto.

Reſp. Carthaginienſis.

§. 11. Antequam de urbe Roma ageremus, pauca de Rep. Carthaginienſi delibanda putavimus, quæ Romæ æmula ſæpius de principatu cum illa contenderat. Itaque, ea ſalva, ſemper ſibi metuebant Romani. Hæc civitas ad negotiationes, quam ad Imperium bello proferendum, accommodatior, quum per mercaturam & navigationes opibus aucta in magnam frequentiam excreviſſet, longe lateque arma circumferre cœpit. Non ſolum magnam Africæ finitimæ partem vectigalem fecit, ſed ingentes etiam copias in Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniam miſit. Inde bella cum Romanis orta: & quum duobus prioribus bellis diu & acriter eſſet pugnatum, tertio demum funditus deleta eſt. Quod ſi a principio caviſſent Carthaginienſes, ne cum illis colliderentur, diutiſſime ſuam libertatem tueri ſine dubio potuiſſent. Ita immatura dilatandi Imperii libido miſeris potiſſimum exitio fuit, quum Reip. ratio exigeret, ut commerciis in primis dediti ſatis haberent finitimas aliquas regiones ad commoditatem civium, & quaſdam maritimas Hiſpaniæ & Siciliæ oras ad mercaturam amplificandam tenere. Sed ditionis propagatio periculoſa magis,

quam

quam utilis fuit. Duces quippe, qui copiis peregre militantibus præfuerant, ipſorum libertati imminebant; qui ſe eodem quo ceteri cives jure cenſeri ægre patiebantur. Et quum incolæ ad militiam terreſtrem parum idonei eſſent, peregrinum militem ex variis gentibus conducere neceſſe habebant: ita lucri incertam ſpem ingenti pretio redimebant. Et vero ſemper metuendum erat, ne non in fide maneret miles mercenarius, &, ſi emptorem inveniſſet, venalis, adeoque provinciarum recens domitarum cuſtodia ei parum tuto committebatur. Ac parum abfuit, quin poſt primum bellum exitium Carthaginis documento fuiſſet, quam infeliciter bella copiis peregrinis, iiſque mercenariis, gerantur. Proinde Pœni pares eſſe Romanis haud poterant, quorum cives majori contentione pro patria, quam peregrini pro ſtipendio dimicabant. Graviter etiam peccarunt iidem, quod militiam navalem non ita firmarunt, ut principatum maris obtinerent: quam opportunitatem quum iis eripuiſſent Romani, id ſcilicet reſtabat, ut ante portas hoſtis in conſpectu eſſet. Nec minori imprudentia lapſi ſunt, quod Hannibali initio rem adverſus Romanos feliciter gerenti pro viribus præſidium non ferebant, ut perſequi bellum & ad internecionem redigere hoſtem poſſet. Etenim Romani ſpatium ad vires recreandas nacti, quum periculi in quo fuerant reminiſcerentur, non, niſi Carthagine ſolo æquata, conquierunt.

§. 11. Operæ pretium eſt, originem Reip. Romanæ paulo altius repetere, qua nulla unquam Reſp. potentior exſtitit; & ſtudioſa inſuper juventus rerum Romanarum cognitione in primis imbuta eſſe ſolet. Civitas iſta ad rem militarem penitus accommodata, eidem etiam & incrementum debet & exitium. Novus populus ex infimæ plebis col-

Roma urbs bellicoſa.

colluvie magnam partem coalitus, non niſi egentiſſimos continebat homines, qui, neque negotiationibus, ad quas urbis ſitus non ſatis opportunus erat, neque opificiis, quæ quidem eo tempore Italis parum erant cognita, vitam ſuſtentare poterant. Nec tantæ hominum multitudini alendæ exiguus agrorum modus, quem initio occuparant, ſufficiebat. Neque in proximo terræ vacuæ, quas occuparent colerentque, ſuppetebant. Reliquum erat, ut, ſi eluctari ex inopia, & ſe a finitimis defendere vellent, fortunam belli tentarent. Merito autem Romam luporum receptaculum dixeris: cujus incolæ lupina rapacitate infeſti alienis fortunis ac vitæ perpetuo inhiabant, & rapto vivebant. Genius iſtius urbis flagitabat, ut plurimis atque bellicoſiſſimis civibus compleretur. Eo pertinebat, quod Romulus ullum niſi mutilum aut monſtroſum infantem exponere vetuit: quæ immanis liberos exponendi conſuetudo Græcis alioqui familiaris erat. Secundo loco Romæ introductum erat, ut cum libertate civitas etiam ſervis daretur: ex quibus deinde complures gentes illuſtres exſtiterunt, quum generis ſui labem præclaris facinoribus eluiſſent poſteri. Nec mediocri acceſſione auctus eſt civium numerus, poſteaquam Romulus in terris debellatis viros aut occidi, aut in ſervitutem abduci noluit; ſed Romam tranſlatos ceteris omnino civibus exæquavit. Et ea potiſſimum cauſſa adfertur a Scriptoribus Romanis, quare Athenæ Spartaque tamdiu ac Roma tueri Imperium ſuum nequiviſſent. Quum enim ab illis rarius in civitatem adſciſcerentur peregrini: Romulus e contrario ſæpe, quibus cum paulo ante prælio decertaverat, eos ſuos eodem die appellabat cives. Hominibus enim opus eſt in bello: nec conſervari regiones perdomitæ ſine fortium virorum multitudine poſſunt,

Cur plurimis atque bellicoſiſſimis civibus completa fuerit.

ſunt, quorum fides ſpectata ſatis & explorata ſit. Ne vero provinciæ incolis nudatæ in vaſtam redigerentur ſolitudinem, nec urbs nimia plebejorum copia obrueretur, multis e locis non niſi opulentiores fortioreſque cives Romam traducti ſunt, ſurrogatis in eorum locum civibus Romanis tenuioribus; qui & civitatis, cui inſerebantur, benevolentiam Romanis conciliabant, & præſidii vicem ſuſtinebant. Ita quidquid fortium virorum erat in finitimis locis Romam tranſlatum: cives autem tenues, qui fame enecti miſeram Romæ vitam agebant, in lautiorem fortunam delati. Ceterum, Romanorum civium virtutem & bellandi cupidinem non ſolum egeſtas accendit, verum etiam accurata Regum diſciplina rei militaris variis durata periculis acuit. Verum enim vero, ſi rem ipſam reputemus, haud ſane expedit ſummam Reip. ad rem militarem referri. Dubia enim & anceps Martis alea eſt, ſpeſque lucri admodum incerta, nec utile eſt ad quietem vitæ civilis, ingenia Mavortia nimis invaleſcere. Itaque Roma pacis & otii impatiens, ſublato hoſtis peregrini metu, ſuo ſeſe gladio jugulavit.

§. 13. Præterea occurrunt quædam notatu digna, quæ ad rem militarem amplificandam multum momenti habuerunt. Eo pertinet inprimis inſtitutus a Servio Tullio Rege cenſus, quo factum eſt, ut quum antea militiæ onera divitibus pariter & egenis, nullo ſtipendio, imponerentur, deinceps ditiores tantummodo conſcriberentur ad bellum, armis pro habitu pecuniarum gravioribus aut levioribus additis. Inops plebs & ignobilis niſi extremo ingruente diſcrimine immunis militia erat. Id non ſolum eo factum, (quanquam ad virtutem facultates per ſe nihil conferunt) quod quum cives ſine ſtipendio ſuſtinere militiæ onera *Quædam notatu digna, quæ ad rem militarem amplificandam multum momenti habuerunt.*

cogerentur, æquum videbatur, ut ceteris parceretur civibus, in ſumma vitæ ſuſtentandæ difficultate conſtitutis; verum etiam utile videbatur, eo pacto illorum virtutem ac fidem oppignerari. Nam qui præter vitam nihil poſſidet, quum ſua ſecum ubique portet, nihil habere cauſſæ videtur, cur vitam, rem chariſſimam, temere prodat. Et eo minus homini tenui dubitationis relinquitur, ut ex qua parte melioris fortunæ ſpes affulſerit, in ejus caſtra tranſeat. E contrario, qui divitiis abundat, quod dum Remp. propugnat, ſuas ipſius opes defendit, haud facile ad fidem prodendam ſuoſque deſerendos adducitur, perfidia præſentes fortunas amiſſurus, ſpe præmii, quod ab hoſte propter ſcelus laturus eſſet, dubia. Quanquam vero poſterioribus temporibus, quum Imperatores rerum potirentur, militis ex cenſu conſcribendi mos exolevit, partem tamen ſtipendii velut pignus fidelitatis retinere conſueverunt, nec niſi honeſta miſſione exauctoratis integrum dependere; eaque pecunia ſub ſignis aſſervabatur. Illud inprimis memoria dignum eſt, quod, licet Romani graves ſæpenumero clades acceperint, nunquam tamen adverſa fortuna fracti animo conciderunt, nec ullam unquam pacem turpibus conditionibus fecerunt, ſi Porſennam Galloſque Senones exceperis. Illi obſides dare coacti: qui eam etiam conditionem tulerat, ne ferro, niſi ad agros colendos, uterentur: quam quidem Romani nominis infamiam Hiſtorici conſulto prætereunt. Galli vero Romam propemodum ceperant; quum auro deliniti obſidionem arcis fame preſſæ ſolverent. Nam quod Camillum aurum expendentibus ſupervenientem eos ex urbe ejeciſſe dicunt, ſunt qui fabulam eſſe putent. Ceterum, adverſus fortunæ injurias interriti, quum jugulum Reip. Hannibal ſecun-

do

do bello Punico peteret, de pace nullum cum hoſte verbum commutarunt. Et quum ad Caudium & Numantiam turpes pacis conditiones accepiſſent Duces, hos tradere hoſti, quam illas ſervare maluerunt. Atque in univerſum, ut virtute, neque hoſtium miſericordia niterentur, milites, qui ſe per imbelliam dedidiſſent, contemnere, nec de redimendis iis multum laborare conſueverunt. Eo pacto & neceſſitatem militibus acriter pugnandi impoſuerunt, & incredibilem ſibi auctoritatem apud ceteros animi conſtantia pepererunt. Scilicet, ita natura comparatum eſt, ut ſimulac ſuam prodiderit ignaviam miles, in eum quiſque per ſummam injuriam impune debacchetur, quotiescunque fert ejus vexandi libido.

§. 14. Operæ quoque pretium eſt, ſacra Romanorum attingere: quæ quidem a ſuperſtitione Græcorum profecta, ſolertius a Romanis ad ſtatum Reip. attemperata fuerunt. Itaque jam inde ab Urbe condita Romanis in more poſitum fuit, ut de Reip. negotiis non niſi auſpicato agerent. Nam ut Diis propitiis aut iratis unumquodque negotium ſuſcipiebatur, ita lætus triſtiſve ſperabatur eventus: & explorata divini Numinis benevolentia alacrius ad res peragendas accedebant. Auguria ejuſmodi ex avibus peti ſolita. Pervetus hæc ſuperſtitio ex opinione Ethnicorum originem traxit, exiſtimantium, Deos, quorum ſedem ſuper aera poſitam eſſe putabant, miniſtros & interpretes ſuæ voluntatis adhibere animantia, in æthere, proximo elemento, degentia. Peropportunus quoque ſignorum iſtorum uſus videbatur; quippe quæ non ſolum obvia eſſent, verum etiam pro re nata varie per cantum volatumque avium exponi poſſent. Itaque aſtute vaticiniis ex auguriis deſumptis Augures utebantur, ad incutiendam imperitæ plebi lætitiam, fiduciam, triſtitiam, metum,

Romanorum Sacra.

ſpem, deſperationem, prout ratio Reip. exigere videbatur. Quare Cato major Augur ipſe prædicare non dubitavit, mirari ſe, Aruſpicem, ſi quando in alium Aruſpicem incidiſſet, temperare ſibi a riſu poſſe, quod uterque diſciplinam, (ſi quidem eo nomine digna eſt impoſtura leviſſimorum hominum) tam infirmis ſubnixam fundamentis coleret. Præterea quæ Religio Romanis dicebatur, ad utilitatem Reip. inprimis erat accommodata; ita ut plebejæ mentes in omnes partes, prout ratio Reip. poſtulabat, flecti nullo negotio poſſent: ſecus ac Chriſtianorum Religio, quæ ad ſalutem animarum ac futuræ vitæ conditionem potiſſimum refertur. Nec in certa capita diſtributa fuerant Romanorum ſacra, quibus mortales naturam voluntatemque Divini Numinis edocti, cupiditates actioneſque omnes ita temperarent, ut placare ſibi Deum immortalem poſſent. Sed ad ceremonias ac ritus pleraque ſpectabant: quæ, quando, victimæ immolari deberent: qui dies fauſti infauſtive forent: quas denique ſupplicationes, & quos ludos fieri Deorum gratia oporteret: hæc, inquam, & talia potiſſimam cultus divini partem continebant. Ceterum, quid quiſque ex populo de rebus divinis ſentiret, utrum item poſt obitum, bonos præmium, malos ſupplicium maneret, an ſimul cum corpore anima exſtingueretur, parum ſolliciti erant Sacerdotes. Itaque Ethnicos de rebus hujuſmodi dubie & obſcure locutos eſſe, & eorum prudentiſſimum quemque hæc omnia aniles eſſe fabulas & decipiendæ plebi confictas exiſtimaſſe deprehendimus. Rituum alioquin tenaciſſimi, nihil temere de priſcis inſtitutis immutabant, magno cum apparatu pompaque ſingula ſtudioſe celebrantes. Atque hæc omnia ad captum & opinionem imperitæ plebis attemperata erant, quæ iis potiſſimum rebus,

bus, quarum ſplendor in oculos incurrit, commovetur. Inde factum eſt, ut non ſolum in templis magnificentia inſignis, & in ſacrificiis atque adeo univerſo cultu divino ſplendor & apparatus eximius ineſſet; ſed ipſi etiam Sacerdotes ex prima civitatis nobilitate legerentur: quod quidem opinioni plebis mire congruebat: propterea quod rerum omnium præſtantia ex dignitate hominum, qui eis præſunt, æſtimatur. Quanquam alia etiam ratio ſuberat: quum enim ſacrorum cultus ideo introductus eſſet, ut civium animi religione adſtricti ad voluntatem Magiſtratuum conformarentur, omnino neceſſarium fuit, ut iis homines ejuſmodi præficerentur, qui rerum civilium periti, ipſi ad clavum Reip. ſederent. Contra, ſi abjectis & infimæ ſortis hominibus Sacerdotia delata forent, periculum erat, ne illi aut conſpirationem adverſus Magiſtratus facerent, præſidio plebis adjuti, quæ ſe propter opinionem ſanctitatis ad rationes iſtorum hominum adjungere conſuevit; aut per ignorantiam rerum publicarum conſiliorumque initorum plebem pravis atque a ratione temporum alienis opinionibus imbuerent. Poſtremo, prohibebantur eo pacto Sacerdotes peculiarem in Repub. ordinem conſtituere, atque perniciosam Imperii disjunctionem in Remp. invehere; erepta ſimul facultate ſummæ poteſtatis invadendæ.

§. 15. Poſteaquam Reges rerum potiti eſſent Romæ annos circiter CCXLII. ſtupro deinceps Lucretiæ a Sexto Tarquinio, Regis filio, illato, nova Imperii forma introducta eſt. Utrum vero ſatis cauſſæ fuerit Bruto, quare eo nomine Regem expelleret, in utramque partem diſputari poteſt. Occurrit primum facinus, indignum, quod eam vim habet ut contumeliæ ejuſmodi vindicandæ viri fortes omnia poſthabeant. Nec uno compro- *Regibus expulſis nova Imperii forma introducta eſt.*

 bari

bari exemplo poteſt, eveniſſe ſæpius, ut Principes ferina libidine perciti, quum uxorum filiarumque popularium pudicitiam violaſſent, vita ſimul & Imperio privarentur. Sed contra rurſus ex altera parte penſitandum eſt, utrum flagitium a filio, invito patre & imprudente, commiſſum, Regi ac familiæ fraudi eſſe debeat, ſatiſque probabilis cauſſa ſit, cur Imperium legitimum Regi abrogetur, præſertim quum animadverſio facinoris hujuſmodi Regi, non civibus, competat. Enimvero fuiſſet, cur juſte conquererentur Brutus & Collatinus, ſi approbata filii libidine Rex jus dicere recuſaſſet. At vero fieri plerumque ſolet, ut in converſione Reip. examinari ſingula ad normam juſtitiæ haudquaquam poſſint. Et quemadmodum fere introductio novæ Reip. formæ cum aliqua injuria conjuncta eſſe conſuevit: ita in Imperio abrogando ambitioni, potiſſimæ rerum turbandarum cauſſæ, delictum aut error prioris Magiſtratus plerumque prætexitur. Sed cujuſcemodi res ſit, Romæ Imperium Regium haudquaquam ſtabile eſſe potuiſſe conſtat, propterea quod eæ Reſpublicæ, ubi cives unius urbis pomœriis continentur, ad Ariſtocratiam potiſſimum aut Democratiam aptæ fere & proclives eſſe ſolent. Sed Regia poteſtas locum inprimis habet apud populum per multas ad longis intervallis disjunctas regiones diſperſum atque diffuſum. Cujus rei ea eſt ratio potiſſima, quod ſi rem civilem ſpectemus, homines magnam partem belluinæ cujusdam & indomitæ indolis eſſe videntur, qui neceſſitate parendi adſtricti frænum mordere & impoſitum cervicibus ſuis jugum, ubi grave eſſe cœpit, excutere quocunque modo ſtudent. Adde, quod domari homines & in officio contineri, non niſi aliorum ope poſſint. Ex eo colligere quivis ſanæ mentis facile poteſt, qui fiat, ut

ut Rex uni tantum civitati, eique frequenti imperans, ut primum aut civibus Imperium diſplicuerit, aut alii eorum ſtudium ſibi adjunxerint, ſtatim in diſcrimine amittendi Imperii verſetur, niſi aut valido peregrini ſatellitii præſidio aut caſtello firmiſſimo munitus ſit. Quanquam perinviſa ejusmodi munimenta & quodammodo infirma eſſe ſolent. Nam ubi in odium quorundam Rex venerit, ſtatim illud omnium animos occupat, qui contiguis conjuncti domiciliis in ejus perniciem facile conſpirare poſſunt. Verum ubi populus locorum intervallis disjunctus colit, ibi Rex haud difficulter tantam hominum multitudinem adjungere ſibi poteſt, qua refractarios ac rebelles opprimat. A quibus ideo minus metuendum eſt, quod convenire facile aut vires conjungere nequeant; ſed vero periculoſum inprimis eſt, uno in loco conjunctos habere cives, ſi indomito ſpiritu ferociant, aut armorum uſu exercitati ſint. Ipſa enim ratio evincit, eum, qui alterum coercere velit, majoribus inſtructum eſſe viribus oportere. Illud tamen pro certo affirmarim, creviſſe ea mutatione rem Romanam: neque enim veriſimile eſſe videtur, eam Remp. a Regibus imperitantibus ad tantam amplitudinem ac potentiam perventuram fuiſſe; vel quod ſuæ ſecuritatis cauſſa Reges civium rei militaris ſtudium ac virtutem reprimere quodammodo neceſſe haberent, vel quod Regum quorundam ignavia & imperitia civitas debilitata foret ac peſſumdata.

§. 16. Sed maximum operæ pretium me facturum arbitratus, ſi paulo accuratius in cauſſas inquirerem, cur ſcilicet factum, ut Romanum Imperium pulcherrimam totius Orbis partem complectens, inteſtinis primum turbis malisque laceratum, dein penitus interierit, & rapinæ ac direptioni barbarorum gentiumque ſeptentrionali- *Cauſſæ, cur Romanorum Imperium, inteſtinis primum turbis malisque*

laceratum, dein penitus interierit.

um ceſſerit, rem ab ipſa origine repetere ſtatui. Quoniam populus Romanus, natura ferox & bellicoſus, nullis coercitus arcibus, non niſi unius urbis pomœriis circumcluſus erat, una Regibus ratio erat, viribus ingenti civitati præpollendi, ſi ſcilicet manſuetudinę Imperiique lenitate tantam ſibi multitudinem devincirent. Quocirca priores ſex Reges populum clementia potius, quam metu continuerunt. Ut primum vero populum inſolenter premere Tarquinius Superbus, atque ita animum ejus abs ſeſe alienare cœpit, Bruto facile factu fuit, ut populo jam ſua ſponte indignante malevoloque per ſpeciem contumeliæ Lucretiæ concitato, Regem ex urbe proturbaret.

Vitia Reip. Romanæ.

Quemadmodum vero in omni Rerump. converſione, quæ ſubito aut neceſſitate cogente ſuſcipitur, re nondum ſatis ponderata, nec ſingulis futuræ Reip. momentis rite ordinatis, evenire ſolet, ut ſeſe vitia quædam ingerant; ita etiam Reip. Romanæ uſu venit. Scilicet, admittenda nonnulla erant, alia intacta relinquenda, non tam quod ad ſalutem ac ſtabilimentum Reip. pertinerent, quam quod temporum ratio ita ferret. Quædam etiam initio per incuriam admiſſa peccata ad magnas deinde turbas aditum patefecerunt. Illud quidem extra controverſiam poſitum eſſe videtur, Brutoque ſociiſque in animo fuiſſe ad optimates rerum ſummam devolvere: neque enim credibile, Reges vel capitis ſui periculo ab ipſis ejectos eſſe, ut homines nobiliſſimi ſordidæ plebi parerent. Sed quando nemo ſapiens præſentem vitæ conditionem nulla melioris fortunæ ſpe propoſita facile mutat: idcirco non ſolum Regium dominatum populo inviſum, verum etiam recentem Imperii formam lenitate indulgentiaque acceptam & exoptatam reddere mutatæ Reip. auctores neceſſe habebant.

bebant. Quod niſi optimatium Imperium plebs ſalubrius eſſe ſenſiſſet, facile Tarquinium recipere Regem potuiſſet. Itaque plebi multis in rebus aſſentabatur Valerius Puplicola, faſcibus etiam ei ſubmiſſis & ſuprema ad eam provocatione delata; perinde quaſi facile confiteretur, ſummam Imperii poteſtatem penes populum eſſe. Atque neceſſarium omnino fuerat, ut optimates, ſi quod uſurpaſſent, Imperium tueri vellent, inprimis duo curarent: Primum, ne inſolentia ſua & arrogantia plebem irritarent; deinde, ut facultatem quæſtus faciendæ vitæque ſuſtentandæ ſuppeditarent, ne inopia atque ære alieno oppreſſa molitione rerum novarum rei familiaris vulneribus mederi neceſſe haberet. Sed utrumque ab optimatibus fere neglectum. Nam, quum nullæ leges ſcriptæ Romæ eſſent, ipſi autem optimates magiſtratus gererent, plerumque plus ſatis gratiæ dabatur in jure dicundo, ſæpiusque egeni præter jus fasque cauſa cadebant, ſi cum potentiore litigaſſent. Quumque inſuper ſuis ſumptibus militare cogebantur cives, nulla aut exigua tum temporis ſpe prædæ propoſita, exhauſto ſic patrimonio, nulla ratione emergere ex præſenti inopia poterant, niſi a ditioribus mutuam pecuniam ſumerent. Qui quidem in eos, qui ſolvendo non erant, durius conſulebant, adeo ut in vincula conjectos verberibusque affectos miſerandum in modum excruciarent. Ea re plebs tandem ad deſperationem adacta effuſo impetu confeſtim ex urbe ſeceſſit, nec ut rediret adduci potuit; donec Senatus, niſi urbem vacuam ab hoſtibus invadi vellet, concedere cogeretur, ut ſui plebi magiſtratus ſacroſancti eſſent: ii Tribuni Plebis vocabantur, qui ab injuria optimatium plebem defenderent.

§. 17. Et hæc fuit origo diſcerpti in duas factio- In duas

 nes

factiones populus Romanus diſcerptus eſt. nes populi Romani, optimatium, videlicet, & popularium: quorum æmulatione factum, ut perpetuæ inteſtini tumultus ſcintillæ gliſcerent. Leve quidem initio & æquum videbatur, ut eſſet plebi præſidium adverſus primorum injurias. Sed graviſſime peccarunt optimates, qui auxilium ejuſmodi extra ſuum ordinem plebi, quæ maximam civitatis partem conſtituebat, conceſſerint; Tribuni quippe poſtmodum innata hominibus ambitione, & plebis erga primores odio impulſi non ſatis habebant, injurias optimatium propulſare, ſed Senatus etiam poteſtatem æquare, & penitus inſultare ſtudebant. Primum enim magna interpoſita altercatione obtinuerunt, ut optimates cum plebe connubia promiſcue jungerent: Nobilibus inſuper extorquebant, ut Conſulum alter ex plebe ſemper legeretur. Id quoque ſibi ſumebant, ut Senatus conſulta interceſſione ſua irrita facere in animum inducerent. Quin etiam invito Senatu leges facere, aliaque ſupremæ poteſtatis jura uſurpare conati ſunt. Bella quidem ex bellis ſerebat Senatus, eo conſilio, ut plebs hoſtilibus præliis coercita diſtrictaque quaſi frænis impoſitis domi res novas moliri prohiberetur. Quæ res quum aliquamdiu feliciter ceſſiſſet, prolatis etiam Romani Imperii finibus, opibusque auctis: incommoditates tamen inde ſunt enatæ, quibus inteſtinus Reip. morbus vehementer ingraveſcebat. Scilicet, in quas provincias inopem plebem urbis exonerandæ cauſſa tanquam in colonias deducere debebant, agris ex hoſte captis viritim diviſis, eas optimates per ſpeciem conducti vectigalis ad ſe trahebant, atque adeo opus tum eo lucro, tum præda hoſtili, quæ ad ipſos utpote Duces maximam partem redibat, mirifice adauxerunt: quum e contrario ingens civium multitudo vix haberet, unde famem tole-

Conatus Tribun. plebis.

toleraret. Eam ob cauſſam quum plebs erga Senatum male animata eſſet, primores, qui erant altioris ſpiritus, quum aut a ſuis commodis alienum Senatum eſſe animadverterent, aut alia de cauſſa ordini ei minus faverent; ad plebis ſeſe rationes adjunxerunt, nomine utilitatis ejus provehendæ; re autem vera, ut aura populari adjuti ambitioni ſuæ velificarentur. Quibus quum omnibus viribus obſiſteret Senatus, tandem ad manus in civitate ventum, civiumque cædes fieri cœpta eſt.

§. 18. Interea vel nimio rei Romanæ incremento, vel ſocordia Senatus aliud in Remp. malum incubuit, poſteaquam ſcilicet civibus quibusdam amplæ & opulentæ provinciæ validique exercitus in multos annos gubernandi relicti ſunt. Inde non ingens modo faſtidium vitæ privatæ ipſis eſt natum, ſed facultas etiam data totius exercitus opera pro lubitu, ſi uſus poſceebat, utendi. Sed enim haud committendum eſt, ut in ulla Rep. civis unus ad tantum potentiæ faſtigium adſcendat: quippe qui, ubi exercitus validi data poteſtas eſt, temperare ſibi vix poſſit, quin ad tyrannidem quomodocunque viam affectet. Atque Marium quidem, Sullam, Pompejum, Cæſarem ambitione potentiaque illectos patriæ libertatem bellis inteſtinis oppreſſiſſe, & exhauſtis Romæ viribus Reip. formam immutaſſe conſtat. Nec ulla ratione malum iſtud declinari potuit, poſteaquam obſequium cultumque Senatui & legibus debitum cives exuerunt, horumque bona rapaci manu deprædari milites conſueverunt. Itaque Rempublicam ad ſummum magnitudinis culmen evectam in deterrimum Monarchiæ genus delabi neceſſe fuit, ubi ſcilicet exercitus perpetuus ſummum ſibi Imperium vindicabat. Eam Monarchiam Auguſtus a ſe primum introductam prudentia & conſilio in tan-

Nimia potentia quorundam civium.

Reſp. Romana

ta

ad ſummum magnitudinis culmen evecta in deterrimum Monarchiæ genus delapſa eſt.

ta Imperii ſui diuturnitate admodum ſtabilivit. Atque initio novi Imperii ſumma moderatione res gerebatur. Auguſtus quippe non niſi Principis nomine ſeſe inſigniri paſſus, antiquis ſolitisque muneribus Senatui relictis, in curam rei militaris unice incumbebat. Re autem vera non tam voluntaria Senatus Populique Romani ſubmiſſione, quam militum præſidio ſubnixum ſtetit novum Imperium: quorum videlicet opera partum illud & conſervatum erat. Ceterum, antiqui nobiles unius Imperium periniquo ferentes animo, quum ad priſtinam libertatem perpetuo adſpirarent, agitabant contra ſecum Imperatores, qua ratione veterem nobilitatem aut exſtinguerent, aut frangerent. Et vero ducentorum annorum ſpatio pauci admodum ex ea ſupererant, ſuffectis in eorum locum & ad ſummos honores provectis hominibus novis, qui æquiori animo jugum ſubirent.

Inſtabilis Romana fuit Monarchia.

§. 19. Quare autem inſtabilis ejuſmodi Monarchia minimeque firma fuerit, milites cauſſa fuerunt. Etenim his myſterium ſubodorantibus, in ſua ſcilicet manu Imperium eſſe, ſibique illud deferre, cui vellent, licere; Senatum vero populumque inania tantummodo nomina eſſe, fiebat, ut non ſolum Imperatores eorum benevolentiam aucto ſtipendio magnisque largitionibus redimere cogerentur; ſed ipſi etiam Imperatores ſibi inviſos obtruncare cœperunt, aliis, qui in eorum gratiam ſe inſinuaſſent, ſurrogatis. Quoniam etiam exercitus alter alteri cedere recuſabat, facinus iſtud non tantum corporis cuſtodes patrabant, verum etiam exercitus quilibet, quorum permulti in provinciis limitaneis collocati excubabant. Inde miſerrima rerum facies totiusque Imperii Romani perturbatio exſtitit: quum & Imperatoris vita a nutu avaræ leviſſimæque militum multitudinis perpe-

tuo

tuo penderet, & unusquisque in ancipiti incertaque ſpe Imperii ad poſteros transmittendi verſaretur. Modo Principes fortiſſimi miſere ſolebant contrucidari, modo indigniſſimus quiſque & ineptiſſimus ad Imperium evehi, modo duo ſimul pluresve Imperatores creari, inter eosque ingens deinde cruentaque de Imperio dimicatio exiſtere. Itaque evenit, ut non modo pauciſſimi veterum Imperatorum ſuam mortem obirent; verum etiam vaſtiſſimi Imperii vires tot bellis civilibus ita exhaurirentur, ut ad extremum corpori exſangui exanimatoque ſimillimum eſſe videretur. Ejus interitum mirifice acceleravit Conſtantinus Magnus, Imperatoria ſede Conſtantinopolim translata, legionibusque veteranis, quæ ad ripas Rheni Danubiique caſtra habentes fines Imperii tuebantur, in Orientem traductis. Ea re provinciæ Occidentales ſuo nudatæ præſidio incurſionibus gentium bellicoſarum prædæque omnibus modis inhiantium expoſitæ relinquebantur. Præterea Theodoſius filiis Imperium diſtribuebat, Arcadio Oriente, Occidente Honorio attributo: qua quidem diviſione reliquæ Imperii vires haud mediocriter debilitatæ ſunt. Et Occidens quidem direptioni Germanorum Gothorumque ceſſit, quorum ea tempeſtate ingens multitudo confluxerat, patriæ inopiam cum provinciarum Romanarum opibus deliciisque commutatura. Ex Britannia ſua ſponte deceſſerunt Romani, quod non ſatis virium ipſis eſſet ad eam a Scotorum impetu defenſandam: copias ibi conſtitutas in Galliam tranſtulerunt. Hiſpaniam Weſtrogothi aliæque gentes in ditionem ſuam redigebant. In Africa Vandali conſederant. Galliam inter ſe partiti ſunt pars Gothorum, Burgundiones Francique, Rhætia Noricumque a Suevis & Bojis occupata. Magna Pannoniæ ac Illyrici pars ab Hunnis tenebatur.

batur. In Italia Gothi peculiare ſibi regnum conſtituere, Romam Orbis caput ne Regia quidem ſede dignati.

Imperium Conſtantinopolitanum.

§. 20. Quanquam vero provinciæ Imperii Romani, quæ ad Occidentem ſpectabant, hoc modo in poteſtatem gentium peregrinarum conceſſerant; regiones tamen ſub Oriente poſitæ, quarum caput erat Conſtantinopolis, per multa ſecula intactæ ſunt & incolumes relictæ, licet Imperium Orientis magnitudinem auctoritatemque Romæ Veteris haudquaquam æquaret. Et memoriæ proditum eſt ab Agathia V. militum numerum Juſtiniani temporibus vix ad CL. millia hominum acceſſiſſe: quum antea Romanus exercitus capitum ſexies centena quadraginta & quinque millia complecteretur. Quanquam attollere ſuum caput nonnihil Imperium Romanum cœpit, imperante eo, quem dixi, Juſtiniano, quum & regnum Vandalorum in Africa a Beliſario, & Gothorum Imperium in Italia (temperatiori quippe cœlo deliciisque ejus terræ emolliti erant) a Narſete deleretur. Sed tractu temporis decreſcere denuo incepit, alio aliam partem decerpente, ſed ipſi etiam Imperatores interitum ejus accelerabant, partim voluptatibus demerſi effœminatique, partim ſibimet invicem exitium afferentes. Partem Imperii Bulgari ſibi aſſeruere. Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, Ciliciam, finitimaſque regiones Saraceni ſubegerunt, & reliquam deinceps Orbis Romani partem pervagantes, ipſam etiam Conſtantinopolim obſidione cinxerunt. Ea urbs a Balduino quoque Flandriæ Comite capta eſt aliquando, milites tamen ejus paulo poſt expulſi. Trapezuntii etiam novus prodiit Imperator, urbe ea una cum vicinis regionibus a reliquo Imperii Romani corpore avulſa. At ultimum iſtud Imperium funditus deleverunt Tur-

Turcæ, non modo provinciis Saracenorum maximam partem ſubactis, ſed deinceps etiam reliquiis Imperii Orientalis eadem quaſi voragine hauſtis abſorptiſque. Quum varii ſub id tempus in Græcia Dynaſtæ exiſterent, Imperatoris Conſtantinopolitani majeſtatem comiter venerari recuſantes: ut ſcilicet eo facilius domari a Turcis ſinguli poſſent. Conſtantinopolis tandem a Turcis per vim capta, ſequentibus temporibus ſedes Imperii Ottomannici eſt conſtituta.

CAPUT II.

DE HISPANIA.

Diſcerpta fuit olim Hiſpania in complures Reſpublicas modicas ſeparataſque, ac ſuis utentes legibus: quæ rerum facies etiam in pleriſque orbis regionibus tum temporis notabatur. Itaque, diſtractis Imperiis, gens alioquin ſtrenua hoſtili jugo opportuna reddebatur. Perpauci quoque belli Duces in ea natione exiſtebant, quorum ductu impetum hoſtium incolæ repellerent. Nam, ut Celtarum e Gallia migrationes in finitimas Hiſpaniæ regiones omittam, qui quidem cum Iberis coaliti communi nomine Celtiberi deinde ſunt appellati: ut Roſes etiam a Rhodiis, Saguntum a Zantenſibus, Gades, Malagam, aliaſque urbes a Phœnicibus conditas, taceam: Carthaginienſes maxime a primo bello Punico ingentem Hiſpaniæ partem ſubigere cœperunt. Inde ſuos exercitus etiam Romani eo deduxerunt, Carthaginienſes ibi bello perſecuturi, donec Scipio tandem, cognomento deinceps Africanus dictus, Hiſpania vetus.

bo-

bonam ejus partem in provinciæ formam redigeret. Exin reliquæ ejus regni provinciæ a Romanis occupatæ ſunt: Cantabris ad extremum, qui montibus Pyrenæis proximi colebant, ab Auguſto perdomitis, atque adeo univerſa Hiſpania in ditionem Romanorum redacta. Diu ſub Imperio eorum fuit regnum iſtud, otio paceque perfruens, niſi quod corriperetur nonnunquam civilium Populi Romani bellorum incendio.

Weſtro-Gothi ſubigunt Hiſpaniam. §. 2. Sed inclinata re Romana in Occidente, Vandali, Silingi, Suevi, Alani, irruptione facta, multiſque præliis commiſſis, maximam Hiſpaniæ partem inter ſe partiti ſunt Anno a Chr. nat. ccccx. Haud tamen diuturnum ipſis Imperium fuit: Vandali quippe paulo poſt in Africam commigrarunt. Suevi, deletis Alanis, Silingiſque domitis, magnam Hiſpaniæ partem tenuere: qui quidem, niſi Gothorum interventu prohibiti forent, univerſam ſine dubio Hiſpaniam ſibi ſubjecturi fuiſſent. Illi enim, Italia Romaque, Alarico Rege, direpta, conſederunt in finibus Gallorum Hiſpanorumque, quum, Athaulpho Rege, ſedem Imperii Narbonæ conſtituiſſent: id imperium quum Narbonenſem duntaxat Provinciam & Catalauniam initio complecteretur, latius deinceps per Hiſpaniam propagatum eſt. Euricus Rex inprimis enituit, Populo Romano reliquis Hiſpaniæ provinciis ereptis, præter Galliciam, quæ a Suevis tenebatur: ſubactis etiam compluribus Galliæ regionibus. At vero Clodovæus, Francorum Rex, Alarico filio ejus cæſo, quidquid Gothorum virtute partum in Gallia fuerat, maximam partem occupavit. Agila & Athanagildo Regibus, Romani, recepta de Vandalis Africa, magna Hiſpaniæ parte potiuntur anno circiter IↃLIV. ſed rurſus expulſi ſunt opera potiſſimum Levvigildis anno IↃLXXII.

ɪↄlxxii. is Suevorum etiam regnum in Gallicia funditus delevit, anno ɪↄlxxxvi. Sub Recaredo ejus filio res Gothorum maxime effloruit, quippe qui, præter proximas Galliæ provincias & Mauritaniæ Tingitanæ partem, univerſam Hiſpaniam obtinebant, paucis admodum provinciis exceptis, quæ in Romanorum adhuc ditione fuerunt: iidem inde pulſi fugatique ſunt a Suinthila Rege, anno ɪↄcxlvi. In Gallia Gothica rebelles feliciter coercuit & in ordinem coegit Wamba Rex, Saracenorum claſſe, quæ mare infeſtum habebat, profligata anno ɪↄclxxvii. Sed vero, Witiza Rege, inclinata res Gothorum eſt, poſteaquam priſtinam ipſorum virtutem depravati mores aliaque mala penitus enervarunt. Roderico Rege, exſtinctum plane eſt Imperium: cujus rei cauſa fuit libido hominis, compreſſa per vim puella nobili, e gynecæo Aulico, nomine Cava, Juliani filia, Comitis ſeu Præſidis ejus Mauritaniæ partis, quæ Gothis ſubjecta fuerat, ejusque Hiſpaniæ provinciæ, quæ ad fretum Gaditanum pertinet. Is injuriam bello vindicaturus, ingenti primo popularium multitudine adverſus Regem concitata, Saracenis inde in Africa colentibus perſuadet, ut irruptionem in Hiſpaniam faciant. Hi exigua primum manu, quaſi periculum facturi, irrumpentes, quum majores deinde copias adduxiſſent, exercitum tumultuarie coactum, quem ipſis Rodericus objecerat, cædunt profligantque, anno ɪↄccxiii. Majorem exin multitudinem arceſſivit Julianus perduellis ex Africa, quod Rodericus ipſe univerſam Imperii molem ad hominum millia centum ſedibus ſuis exciverat. Sed rudis & incompoſita multitudo ingenti acie victa eſt atque fugata, tranſeunte ex pacto una cum copiis ad hoſtes Gotho quodam rebelle, cui Oppæ nomen

Res Gothorum in Hiſpania paulatim inclinat.

men erat, qui una cum Juliano Gothos aperto latere aggrediebatur. Sic omnia in pejus ruere cœperunt, una clade opibus Gothorum, dignitate ac Imperio collapſis, quod per annos circiter trecentos inconcuſſum in Hiſpania ſteterat. Rodericus ipſe in fuga periit anno IↃCCXIV. Itaque capite ac duce ſublato, qui perterritos ex fuga colligeret, cuncta retro ſublapſa ferebantur: civitatibus copioſioribus vel deditionem facientibus, vel ferro ſubactis: hæc omnia triennii ſpatio peracta. Aſturiam modo, Biſcajam, partem Galliciæ, locaque ad montes Pyrenæos pertinentia Gothi retinuerunt, hoſtium magis adſpernatione, qui loca maxima ex parte inculta horridaque invadere operæ pretium haud duxerunt, quam ſua ipſorum virtute ac viribus freti. Eo etiam ex reliquis provinciis Chriſtiani, qui hoſtium impetum atque immanitatem effugerant, ſeſe receperunt. Ita Hiſpania devicta a Maurorum Judæorumque colluvie quaſi inundata frequentabatur.

Saraceni devincunt Gothos.

Reges Vindices Hiſpaniæ. Pelagius.

§. 3. Jugi iſtius ab Hiſpanorum cervicibus propellendi initium fecit Pelagius, qui ex veteri Regum Gothorum ſtirpe oriundus eſſe perhibetur. Is, reliquiis miſeræ gentis excitatis, juſtum coegit exercitum, ſumma rerum Regioque diademate ad ipſum delato anno IↃCCXXVI. Inſigni de Mauris victoria deportata, Legionem aliasque urbes capit: quum Saraceni interim vires ſuas in Gallia vehementer affligerent. Succeſſit ei Favila filius anno IↃCCXXXVII. nulla re memorabilis Alfonſus Catholicus, compluribus oppidis de Mauris receptis, imperavit ad annum IↃCCLVII. Ejus filius Froila Imperium itidem ſtrenue defendens ex ingenti prælio adverſus Mauros ſuperior diſceſſit. Periit anno IↃCCLXIIX. Turpiſſimam e contrario cum Mauris pacem init Aurelius ſucceſſor, certum

Favila.

Alfonſus I.

Froila.

Aurelius.

certum videlicet puellarum numerum tributi nomine quotannis exhibendum, fide ſancita, pollicitus. Moritur anno ıↄccLXXIV. Qui ei ſucceſſit Silo, nullis rebus geſtis memorandus deceſſit anno ıↄccLXXXIII. Poſt eum rerum potitus eſt Alfonſus Froilæ filius: hunc Regio uſurpato titulo Mauregatus expellit. Is ut Imperium recens partum conſtabiliret, Maurorum opem imploravit, annuo tributo, virginum nobiliorum quinquaginta, totidemque humilioris conditionis puellarum, promiſſo. Obiit anno ıↄccLXXXIIX. Veremundus ejus ſucceſſor non alia quoque re memorabilis eſt, quam quod Alfonſum exſulem cognomento Caſtum in regnum reſtituit anno ıↄccxcı. is, fœdo puellarum tributo abrogato, Mauris ingentes clades intulit. Quumque prolem nullam haberet, auxilia adverſus Mauros cum Carolo Magno paciſcitur in eas conditiones, ut, ipſo mortuo, regnum ad eum jure hereditario rediret. Itaque Bernhardum nepotem ex filio Carolus cum valido exercitu in Hiſpanos mittit. Hiſpani vero, pactione cognita, conſpirant, Imperium Gallicum detrectant, Gallosque in Hiſpaniam ingreſſos cædunt ad Roſcidam Vallem urbem, in quo prælio celeberrimus ille Rolandus cecidit. Atque ad hunc modum ea res memoriæ prodita eſt ab Hiſtoricis Hiſpanis, cum quibus Scriptores Gallici haudquaquam conſentiunt. Alfonſus vita exceſſit anno ıↄccxxxıv. Ejus ſucceſſor Ramirus Hiſpanorum libertatem glorioſe defendit. Mauros enim tributum puellarum a Mauregato olim promiſſum denuo exigentes, irruptione facta, ingenti prælio fudit. Oppida tamen admodum pauca capere potuit, quod partim Normannorum irruptione, partim domeſticis turbis prohibitus perſequi victoriam nequiret. Vita functus eſt anno ıↄcccLı.

Silo. Alfonſus II. Veremundus. Ramirus.

Ordonius. Eum excepit Ordonius, Princeps virtute ac moderatione inclytus, qui, Mauris ſemel devictis, complura ipſis oppida eripuit. Fatis conceſſit anno ıɔccclxii. Alfonſus III. Alfonſus filius ejus Imperiique heres pari felicitate & motus inteſtinos ſedavit, & Mauros devicit. Sed populo nimia tributorum magnitudine abalienato, Garſias. Regnum a Garſia filio ei extorquetur anno ıɔccccx Is Mauros impetu facto feliciter aggreſſus, paulo poſt moritur, anno ıɔccccxiii. Ordonius II. Ordonius frater quum multa adverſus Mauros tropæa excitaſſet, Imperii ſede in urbem Legionem Oveto translata, fatis conceſſit anno ıɔccccxxiii. Præter Oveti regnum alia etiam complura in Hiſpania exſtiterunt Imperia. Garſias quippe Semenus novum in Navarra regnum condidit. Navarræ atque Arragoniæ regna conduntur. Ea tempeſtate Aznar, Eudonis Ducis Aquitaniæ filius, permiſſu Garſiæ titulum Comitis Arragoniæ ſumſit, quum Mauris complura primum ejus regionis oppida eripuiſſet. Ludovicus quoque Caroli M. filius, capta Barcinone, Bernhardum Gallum præſidem ei provinciæ præpoſuit; inde originem trahunt Comites Catalauniæ. Regibus iſtis imperantibus multi quoque Caſtiliæ veteris Comites ſeu Præſides exſtiterunt, Regium imperium comiter agnoſcentes. Eos Comites Ordonius Rex ſuſpectans ad ſe arceſſiverat aliquando, qui nihil mali ſuſpicantes, quum conveniſſent, comprehenſi a Rege, & ad unum omnes occiſi ſunt. Itaque incolæ Caſtiliæ veteris, Froila II Froila, filio Ordonii, Rege, homine crudeli & improbo, ſeceſſione facta, duos ſibi Duces, Judicum titulo inſignes, crearunt, qui belli pacisque negotiis præfuerunt. Sed haud diuturnum eorum Imperium fuit.

Alfonſus IV. §. 4. Froila mortuo, Rex Legionis creatus eſt Alfonſus IV. Eo imperante res multas præclare geſſit

geſſit Ferdinandus Gonſalvus, Caſtiliæ Comes, non minus Mauris, quam Sanctio Abarca, Garſiaque filio. Navarræ Regibus devictis. Alfonſus vero, ineptus ad Imperium, ad Ramirum fratrem illud detulit anno ıɔccccxxxı. Is Ferdinando, quem dixi, in ſocietatem belli aſſumpto, compluribus in locis Mauros devicit. Deceſſit anno ıɔccccl. Eum excepit Ordonius filius ejus, idemque Princeps ſtrenuiſſimus, haud ſane diu Imperium tenens, ſucceſſore relicto Sanctio Craſſo fratre anno ıɔccccLv. Eum regno dejecit Ordonius, cognomento Malus; ipſe mox, pari rerum viciſſitudine, Maurorum ope, itidem ejectus. Sanctius pactionem feciſſe cum Comite Caſtiliæ dicitur, ut ab Imperio Regum Legionis libera poſthac & immunis eſſet Caſtilia anno ıɔccccLxv. Succeſſit ei Ramirus anno ıɔccccLxvıı. Is quum in tutela mulierum eſſet, ipſe, ubi adolevit, ad bonam frugem haud emerſit. Itaque regno inteſtinis motibus Maurorumque incurſionibus fracto, & in magnum diſcrimen adducto, complura Chriſtianis oppida denuo ſunt erepta. Sub Veremundo II. quoque, qui Imperio potitus eſt anno ıɔccccLxxxıı. Mauri magnas intulerunt clades, præter alias urbes Legione etiam capta atque vaſtata: id malum inteſtini potiſſimum tumultus acciverant. Veremundus tamen, fœdere tandem cum Rege Navarræ & Garſia Caſtiliæ Comite icto, Mauros repreſſit. Succeſſit Alfonſus V. filius anno ıɔccccxcıx. Eo regnante, magnis in Caſtilia turbis coortis, Mauri per eam occaſionem Caſtiliam adorti Garſiam Comitem acie vincunt capiuntque, ſed vindex ultorque cladis iſtius extitit Sanctius, filius ejus. Exin Mauris inter ſe diſcordantibus regnum ipſorum in minutas particulas diſcerptum eſt, dum titulo inſignibusque Regiis

Ramirus II.

Ordonius III.

Sanctius.

Ramirus III.

Veremundus II.

Alfonſus V.

aſſumtis Præſides ſuæ quisque provinciæ Imperium ſibi vindicant. Alfonſo ſucceſſit Veremundus III. anno CIↃXXV. quo imperitante ingens rerum in Hiſpania mutatio facta eſt. Garſias Caſtiliæ Comes nuptias cum Regis ſorore in urbe Legione celebraturus inibi per inſidias occiditur a nonnullis ex clientibus fiduciariis, quos Vaſallos vulgo appellant. Ejus morte Caſtilia ad Sanctium, Navarræ Regem, eundemque affinem ejus (nam ſororem in matrimonio habebat) hereditario jure redibat: is Caſtiliam deinde Regnum appellari juſſit. Sanctius iſte, cognomento Major, Veremundum quoque, cui nulla proles erat, bello adortus, magnam ei Regni partem ademit. Pacem deinde faciunt in eas conditiones, ut Sanctius capta retineret, Ferdinandus vero filius Sanctiam, Veremundi ſororem, quæ alioquin Imperii heres ſucceſſura Veremundo fratri erat, in matrimonium duceret. Itaque tria Regna, Legio, Navarra, Caſtilia, ad unam gentem pervenerunt. Sanctio autem Majori caſtra contra Mauros habenti inſignis domi calamitas evenit. Equum eximium uxori diligenter cuſtodiendum dederat: eum Garſias filius natu maximus efflagitavit, & annuiſſet filii precibus mater, niſi patrem id ægre laturum ſtabuli Præfectus affirmaſſet. Filius repulsa commotus, matrem ſtupri conſuetudinem cum ſtabuli Præfecto habere per calumniam apud patrem criminatur. Re in diſceptationem deducta, Ramirus, nothus Regis, innocentiæ matris, eventu certaminis ſingularis, adverſus Garſiam comprobandæ, partes depoſcit. Rege igitur vehementer perturbato ſollicitoque, Sacerdos quidam ita cum filiis egit, ut calumniam ac mendacium Garſias confiteretur. Itaque Garſias Regno indignus pronuntiatus eſt, quod ſibi jure materno debeba-

Veremundus III.

Caſtiliæ regnum.

Sanctius Major.

bebatur. Ramiro Arragoniæ Regnum, præmium fidei, datum. Sanctius Major vitam cum morte commutavit anno CIↃXXXV.

§. 5. Poſtea vero quam omnia Chriſtianorum Regna, quæ quidem in Hiſpania tenebant, ad unam hoc modo familiam redierunt, facile eſſe videbatur, Mauris diſcordibus fractis, priſtinam Hiſpaniæ tranquillitatem felicitatemque reſtituere, dummodo ſub unius Regis Imperio cuncta manſiſſent. Sed diviſum a Sanctio Imperium pernicioſiſſimorum ſeges bellorum fuit. Is quum filios haberet quatuor, Navarram & Biſcajam Garſiæ natu maximo, Caſtiliam Ferdinando, Superarbiam & Ripagorſam Gonſalvo, Arragoniam Ramiro Notho, Regio ſingulis titulo conſpicuis, attribuit. Ii quum paternas æquare opes ſtuderent, anguſtis ſeſe finibus circumſeptos rati, mutuis mox diffidiis collidebantur. Dum religionis ergo Romam Garſias proficiſcitur, Ramirus interim Regno Navarræ potiri nitebatur. Sed ille redux factus, ex ipſa etiam Arragonia iſtum exegit. Controverſia quoque inter Ferdinandum Caſtiliæ, & Veremundum, affinem ejus, Legionis, Reges, exorta, hic acie victus cecidit. Ferdinandus Legionis Imperium invaſit, quod jam ante neſcio quo jure ipſi quodammodo debebatur, anno CIↃXXXIIX. Is magnam etiam Luſitaniæ partem Mauris eripuit. Gonſalvo vero mortuo Ramirus, quum ejus Regnum occupaſſet, de Arragonia amiſſa cum Rege Navarræ contendit anno CIↃXLV. Inde bello inter Ferdinandum Caſtiliæ & Garſiam Navarræ Reges de terra quadam conflato, Garſias acie victus occubuit anno CIↃLIII. Ejus mors Ramiro facultatem Arragoniæ recuperandæ præbuit. Ferdinandus cognomento Magnus moritur anno CIↃLXV. Imperio cum magno Hiſpaniæ ma- Pernicioſa Hiſpaniæ diviſio.

Reges Caſtiliæ. lo inter filios tres diviſo. Sanctio natu maximo Caſtilia, Alfonſo Legio, Gallicia Garſiæ obtigit, Regio ſingulis titulo inſignitis. Sanctius III. Sanctius, exorta de Arragonia controverſia, Ramirum prælio victum occidit, ipſe deinde a Regis cæſi filio Navarræoque victus receſſit. Inde Regna hæreditaria fratribus extorquere conatus, Alfonſo expulſo, Garſiam capit. Poſtea vero quam Cannoram urbem ſorori eripere inſtituerat, in obſidione occiditur. Alfonſus VI. Alfonſus exinde, frater ejus, Toleti apud Regem Maurorum ad id uſque tempus commoratus, Caſtiliam Legionemque ſubegit anno CIↃLXXIII. Is Toletum, quæ urbs eo tempore inexpugnabilis habebatur, Mauris eripuit una cum multis oppidis in confinio poſitis. Recentibus autem ex Africa copiis ſubmiſſis, Mauri, redintegratis viribus, Chriſtianos adorti, præliis duobus vincunt. Enim vero ad extremum victoria penes Alfonſum ſtetit, Maurorum Rege, qui Cordubæ imperitabat, ſtipendiario facto. Ingenti tamen clade denuo a Mauris accepta, Sanctium filium unicum amiſit. Hoſtes deinde ultus moritur anno CIↃCIX. Regno Urracæ filiæ per manus tradito; quæ Alfonſo deinceps Arragonum Regi nupſit. Sequentibus vero temporibus diſſolutum eſt matrimonium obtentu conſanguinitatis libidineque Reginæ; ſed quum Caſtiliam nihilominus jure dotis retinere Alfonſus conatus eſſet, ingentes in eo Regno motus exſtitere. Dum hæc geruntur, interim Alfonſus VIII. quem in priori matrimonio Alfonſus VIII. Urraca genuerat ex Raimundo Burgundo, qui ejus patri ſubſidio venerat, Caſtiliæ Rex conſalutatur. Eo regnante, Mauris Saragoſſam, aliasque ejus tractus urbes eripuit Alfonſus Arragoniæ Rex. Pax deinde Caſtiliam inter & Arragoniam facta anno CIↃCXXII. Exin adverſus Mauros Alfonſus Caſti-

Caſtiliæ Rex feliciter pugnavit, oppidis compluribus occupatis. Alfonſo autem, Arragoniæ Rege, a Mauris occiſo anno CIϽCXXXIV. nulla relicta prole, Regem Navarræi creant Garſiam, ex veteri Regum ſtirpe genus deducentem. Arragones autem Regnum detulerunt ad Ramirum, defuncti fratrem, qui Monachus antea fuerat. Alfonſus contra Caſtiliæ Rex, utrumque Regnum jure ſibi deberi aſſerens, magnam ejus partem occupavit. Imperatorem inſuper Hiſpanorum, permiſſu Innocentii II. Pontificis Romani, (qui ſe facilem hac in re præbuit, ut Germanorum ſcilicet Imperatores ureret cruciaretque,) pronuntiari ſeſe juſſit. Ad extremum tamen, compoſita controverſia, Ramirus filiam unicam nuptum collocat regnumque tradit Raimundo, Comiti Barcinonis. Ita Arragonia cum Caſtilia copulata eſt anno CIϽCXXXVII. Inde Alfonſus, Navarræo & Arragone ſociis adſcitis, expeditionem in Mauros ſuſcipit, Almeriamque iis eripit, ingens eo tempore piratarum receptaculum. Derthoſam quoque, Ilerdam, aliaque oppida, quæ ſub ditione Maurorum erant, cepit. Alfonſus moritur anno CIϽCLVII.

§. 6. Alfonſus iſte, perinde quaſi non ſatis magna Hiſpaniæ mala Regni diviſio attuliſſet, Sanctio filio ſuo Caſtiliam, Legionem & Galliciam Ferdinando reliquit. Sanctius nulla re memorabilis, niſi quod Navarræos duobus præliis ſuperavit, moritur anno CIϽCLIIX. Alfonſo IX. filio eodemque puero quatuor admodum annorum herede relicto. Nondum is in ſuam tutelam venerat, quum ecce ingentes in Caſtilia turbæ exiſtunt, partim ſeditione Magnatum exorta, partim variis Caſtiliæ locis, a Ferdinando Legionis & Sanctio Navarræ Regibus, ſubactis. Sed tamen, ubi adole-

Sanctius IV.

Alfonſus IX.

vit, non ſine magno labore ex iſtis difficultatibus ſeſe expedivit. In bello, quod cum Mauris geſſerat, ad quod omni ſtudio incumbebant Hiſpanorum Reges, quum ingentem cladem accepiſſet anno cIↃcxcv. inducias etiam cum hoſte facere coactus eſt, propterea quod a Legionis & Navarræ Regibus bello laceſſeretur. Pace tamen ad extremum facta, paciſcuntur Reges de locorum, quæ Mauris in poſterum eripuiſſent, poſſeſſione. Expeditio deinde adverſus Mauros ſuſcepta anno cIↃccx. cui quum magna peregrinorum multitudo interfuiſſet, paulo poſt propter belli incommoda ſuam quisque domum ſeſe receperunt. Eo tempore celeberrimum illud prælium ad Loſam urbem factum eſt, quo ducenta Maurorum millia cæſa eſſe memorantur: qua re vires illorum vehementer debilitatæ ſunt. Eo prælio Sanctius, catena, qua Mauri aciem circumdederant, perrupta, ea deinceps, Smaragdo in medio collocato, ſcutum inſignivit. Eo bello inter alias urbes Calatrava capta eſt. Alcantaram quoque Legionis Rex in ditionem ſuam redegit. Alfonſus fatis conceſſit anno

Henricus. cIↃccxiv. Henrico filio relicto, cujus pueritia magnos in Regno tumultus concitavit. Moritur improlis cIↃccxvii. Blanca, ſororum natu maxima, Ludovico VIII. Philippi Auguſti, Regis Gallorum filio, Berengaria, natu minor, Alfonſo Legionis Regi, nupſerant. Jure quidem natu maximæ ejusque heredibus Regnum debebatur. Sed

Ferdinandus Sanctus. propter odium peregrinorum Ferdinando Sancto Berengariæ filio Regnum a Proceribus delatum eſt. Is, antequam ab Alfonſo patre præveniretur, nihil cunctatus, Regnum occupavit, difficultatibus, quæ ſibi & a patre & a primoribus Regni objiciebantur, feliciter ſuperatis. Quanquam alii Blancam ſororem natu maximam fuiſſe negant, Beren-

Berengariæ ejus ſorori controverſiam de Regno motam a Proceribus quibuſdam eſſe dictitantes, propterea quod ejus connubium cum Alfonſo propter conſanguinitatem irritum, liberosque haud legitimos eſſe Pontifex pronuntiaſſet. Parentis ipſius morte cum Caſtilia Legio denuo conjungitur anno CIↃCCXXX. Ferdinando regnante res Maurorum vehementer eſt afflicta. Majorca Jacobus Rex Arragoniæ potitur anno CIↃCCXXX. Minorca CIↃCCXXXII. Yvica anno CIↃCCXXXIV. urbe regnoque Valentia anno CIↃCCXXXIIX. Meridam & Badajozam cum multis locis aliis Ferdinandus capit anno CIↃCCXXX. Cordubam urbem regnumque anno CIↃCCXXXVI. Murcia fidei ac tutelæ Regis Caſtiliæ ſeſe committit CIↃCCXL. Jaenis item anno CIↃCCXLIII. Sevilia denique maximaque Andaluſiæ pars anno CIↃCCXLIIX. Sed bellum Africanum Ferdinandus perſecuturus moritur anno CIↃCCLII.

§. 7. Inſequentia tempora inteſtinis maxime turbis triſtia & obſcura fuere. Alfonſus quidem X. ſapientiæ fama & Aſtronomiæ cognitione celebris apud exteros fuit. Is dixiſſe fertur, ſi Deus hanc mundi machinam conditurus ſeſe in conſilium adhibuiſſet, cuncta melius ac ſapientius ordinata fore. Ceterum, domi infelix Imperium & inviſum fuit. Illud initio ea re factum, quod quum egeſtatis ærarii ſublevandæ cauſa monetæ valorem diminui juſſiſſet, rerum omnium caritas efficiebatur. Et certo mercibus pretio conſtituto, ingens rerum penuria exiſtebat, unoquoque ſuas res tam vili pretio venumdare recuſante. Romanorum Imperator opera quorundam Electorum creatur Romæ anno CIↃCCLVI. Sed liberis adhuc impuberibus, quum id inique ferrent Magnates, complures annos eo proficiſci & Imperium ſuſcipere diſtulit: donec

donec tandem cupido eum Imperii capeſſendi derepente inceſſiſſet anno cIɔccLxxv. poſteaquam ſcilicet illud Rudolphus Habsburgicus ſibi a Proceribus delatum occupaverat. Sed eo itinere modo in Provinciam uſque progreſſus, ſuaſu Pontificis domum revertitur. Ab eodem etiam proſcriptus repudiare Imperatorium nomen cogitur. Mortuo

Sanctius V.

Ferdinando filio natu maximo, Regnum Sanctius frater ipſius affectans obtinuit, quamvis liberos Ferdinandus ſuperſtites reliquerat. Exorta deinceps inter patrem filiumque ſuſpicione, filius parentem aperte oppugnans Proceres ſibi pleroſque adjunxit. Sed morte Alfonſi tumultuandi finis eſt factus anno cIɔccLxxxIv. Eo Rege bellum adverſus Mauros ancipiti fortuna geritur. Veſperæ etiam Siculæ in annum cIɔccLxxxIv. incidunt, quibus quidem Siciliæ Regno Petrus Arragonum Rex potitus eſt: cui antea etiam jus quoddam in illud competierat, conjugis ſuæ Conſtantiæ, Manfredi filiæ, nomine. Adverſus eum quum varias pararent machinationes Ferdinandi, fratris natu maximi, filii, eas ad extremum arte eluſit & con-

Ferdinandus IV.

ſilio. Moritur anno cIɔccxcv. Ferdinando IV. filio ejus impubere ingens etiam in Caſtilia procellarum vis coorta eſt. Poſtea vero quam adolevit, expeditionem in Mauros ſuſcipit: Gibraltare urbe capta, in ætatis flore exſtinguitur anno cIɔccccxII. Eo regnante Sardiniæ Regno donatur Jacobus Arragonum Rex anno cIɔccxcvII. quod a Pontificibus olim vindicatum, a Piſanis ea tempeſtate tenebatur: ii deinceps ab Arragonibus pulſi ſunt

Alfonſus XI.

anno cIɔccccxxIv. Alfonſi XI. infantia infinitis itidem turbis exercita fuit. Eo imperante ingentes Mauris copiæ ex Africa ſubſidio miſſæ: præclaramque de iis victoriam deportarunt ad Tarittam urbem Caſtiliani anno cIɔccccxL. eo prælio ducen-

ta

ta Maurorum millia, ex Hiſpanis autem tantummodo XXV. ceciſſe memorantur. Per id tempus Algizira capitur, & Regi Granadenſi pax conceſſa eſt, ea quidem lege, ut ſtipendium quotannis Caſtilianis dependeret. Moritur in obſidione Gibraltaris, quam urbem antea denuo amiſerat, A. cIↃcccL. Petrus ejus filius, cognomento Crudelis, multorum ſanguine cruentatum male geſſit Imperium. Atque indignationem omnium & offenſam ideo potiſſimum incurrit, quod Blancam conjugem, ut pellici cuidam gratificaretur, repudiatam interfici deinceps juſſit innoxiam. Inde conjuratio in ejus caput inita exitium multis attulit. Dum hæc geruntur, bellum cum Petro IV. Arragonum Rege conflatur, qui Caſtilianis rebellibus auxiliabatur. Hi Henricum Regis fratrem ex pellice quadam nomine Eleonora Guſman procreatum Regem creant: ad quem ingens prædonum multitudo ex Gallia profecta eſt. Eorum ope adjutus quum irruptionem in Caſtiliam feciſſet anno cIↃcccLXVI. Proceribus confeſtim ad eum deficientibus, Petrus in Aquitaniam confugere coactus eſt. Ingente inibi exercitu collecto, quum in Hiſpaniam rediiſſet, Henricum profligavit; ita ut in Galliam ſe recipere neceſſe haberet. Sed quum ne tum quidem furere deſiſteret, omnium a ſe animos abalienavit. Henricus, magnis interea copiis in Gallia coactis, quum in Caſtiliam reverti ſſet, complurium ei ſeſe adjungentium ope adjutus, Petrum prælio vincit, & fuga ſalutem quærentem, ſua manu interficit anno cIↃcccLXIX.

Petrus Crudelis.

§. 8. Ex Henrici II. nothi ſtirpe virili imbelles prognati ſunt Principes; Henricus ipſe multis initio incommodis conflictatus, quum finitimi pro ſe quiſque partem Imperii decerpere conarentur,

Henricus II.

ex

ex iis tandem eluctatus, pacem cum univerſis bonis conditionibus fecit, Proceresque magnis largitionibus ſibi adjunxit. Exceſſit e vita anno CIƆCCCLXXIX. Joannes filius, Ferdinando Luſitaniæ Rege mortuo, Regnum illud ad ſe transferre parabat, jure conjugis ſuæ ejuſdemque Ferdinandi filiæ ſubnixus. Sed propter odium Caſtilianorum Luſitani Joannem, Petri Luſitanorum Regis nothum, Regem creant. Is Regnum iſtud ſibi aſſerens ingentem inſuper cladem Caſtilianis intulit ad Aliubarattam urbem; qua quidem victoria Luſitani mirifice gloriantur. Atque ea tempeſtate in magno diſcrimine verſabatur res Caſtilianorum, propterea quod Britanni, Ducis Lancaſtri ductu ſubſidio Luſitanis veniebant: is regnum iſtud conjugis ſuæ nomine, Corneliæ, Petri Crudelis filiæ, ſuum eſſe confirmabat, titulum ejus & inſignia uſurpans. Sed Britanni filia Principi Caſtiliæ nuptum collocata, controverſia compoſita eſt. Lis item cum Luſitanis ſopita. Joannes ex equo delapſus moritur CIƆCCCXC. Henricus III. filius ejus, infirma valetudine Princeps, impuberi ætate regnum multis agitatum diſcordiis capeſſit. Ejus Imperium nulla re, niſi vectigalibus regni, quæ ſibi Proceres vindicarant, recuperatis, memorandum. Moritur anno CIƆCCCCVII. Joanne II. puero bimeſtri relicto. Ejus tutelam initio una cum matre Ferdinandus, pueri patruus, geſſit. Is Regno ſibi a Proceribus delato glorioſe repudiato, deinceps Arragoniæ Regnum adeptus eſt. Rex iſte materna educatione effœminatus, deſidiæ voluptatibusque deditus, neglecta fere Imperii cura, *Alvari de Luna*, hominis ambitioſi, quem in deliciis inprimis habuerat, poteſtati ſeſe penitus permiſit: itaque incredibilis eum Procerum invidia conſecuta eſt. Et ſcilicet ipſo Rege

Joannes I.

Henricus III.

Joannes II.

Rege miniſtrum præpotentem & gratioſum defendente, res ad bellum apertum devenit: eo bello quum ipſe Regis filius partibus rebellium ſtuderet, etiam Toletana civitas in Regem conſurgit. Ad extremum Rex potentiæ miniſtri pertæſus, qui tot tantaque mala ei arceſſiviſſet, caput ei amputari juſſit CIƆCCCCLIII. ipſe inſequenti anno vitam cum morte commutavit. Eo regnante, bello Granadenſibus illato haud exiguam Hiſpani gloriam reportarunt. Anno CIƆCCCCXX. Alfonſus V. Arragoniæ Rex ab Joanna Regina Neapolis adoptatur: quæ tamen adoptio, contentione Joannam inter & Alfonſum coorta, diſſoluta eſt, Ludovico Duce Andegavenſi in ejus locum arrogato. Inde graviſſima bella inter Gallos & Hiſpanos exſtiterunt. Verum tamen Alfonſus ſuperior factus, Neapoli capta, anno CIƆCCCCXLII. Ferdinando notho Regnum iſtud conceſſit. In Caſtilia Joanni II. Henricus IV. filius, peſtis ac propudium ejus Regni, ſuccedit. Is ad liberos procreandos ineptus, ut eam opinionem hominibus eriperet, Bertrandum Curvam, quem Comitem Ledeſmæ fecit (ea mercede fœdum officium remunerans) cubare cum Regina juſſit. Ex adulterino concubitu Joanna filia nata: quam deinde Henricus Regni heredem renuntiari juſſit. Quod quidem flagitium eo veriſimilius eſſe videtur, quod Regina, ex alio etiam homine gravida facta, ſpurium poſtea peperit. Id dedecus ut evitarent, ipſamque Joannam a ſucceſſione Regni excluderent, conſpirationem fecerunt Magnates, atque eo demum progreſſi ſunt, ut Henrici effigiem Regiis ornatam inſignibus in theatro collocarent, publiceque accuſatam, detractis ornamentis, deturbarent. Alfonſus inde Henrici frater Rex ſalutatur. Quo facto horrendæ procellæ coortæ, quæ Regnum mi-

Alfonſus V.

Henricus IV.

ſerandum in modum afflictarunt, adeo ut ad manus etiam & juſta prælia ſit ventum: inter eas turbas deceſſit Alfonſus anno CIↃCCCCLXIIX. Per idem tempus nuptias Iſabellæ, Henrici ſororis, ambit Ferdinandus Rex, Joannis II. Arragoniæ Regis filius, quem pater Siciliæ Regem fecerat; ei fœminæ Caſtiliæ Regnum detulerant Proceres, ipſumque Henricum eo perpulerant, ut jus, quod Iſabella in Regnum habebat, confirmaret. Inde nuptiæ ſecreto concelebratæ ſunt anno CIↃCCCCLXIX. Sed eam deinceps confirmationem irritam facere Henricus, & Joannam inprimis ornare conatus eſt: eam quum Carolo Duci Aquitaniæ, eidemque Ludovici IX. Gallorum Regis fratri, deſponſaſſet, hic paulo poſt exceſſit e vita. Henricus, Ferdinando ſibi & Iſabella poſt multas turbas reconciliatis, obiit, anno CIↃCCCCLXXII.

Ferdinandus Catholicus atque Iſabella. §. 9. Ferdinandi (qui a Caſtilianis V. & Catholicus appellatus) connubio, quod cum Iſabella junxerat, Hiſpania ad ingentem felicitatem potentiamque provecta, eo imperante, ad id etiam faſtigium pervenit, ut ex illo tempore reliquæ Europæ vel terrorem incuteret, vel invidiam moveret. Initio quidem Imperii moleſtia Ferdinando creata eſt, poteſtate Regia ab Ordinibus Regni anguſtis admodum limitibus circumſcripta. Ingentes etiam turbas concitarat Joanna, Henrici nuper defuncti filia, quam e pellice ſuſceperat: eam ſcilicet ſibi deſponſam Alfonſus Luſitaniæ Rex, irruptione in Caſtiliam facta, Reginam proclamari juſſit. Sed victis fuſisque Luſitanis irritus conatus eorum reddebatur. Ad ultimum, quum ſe vitæ Monaſticæ addixiſſet Joanna, inteſtini tumultus penitus ſopiti ſunt. Ferdinandus inde prava ſuperioris temporis inſtituta, quæ in tanta Regni perturbatione irrepſerant, abolere

lere inſtituit. Ab eo quippe codex etiam legum conditus, quæ leges Tauri appellabantur, ab urbe Tauro, in qua promulgatæ fuerant. Tribunalia item ſacrarum quæſtionum, quæ vulgo Inquiſitio Hiſpanica dicuntur, ab eodem Ferdinando in Caſtilia inſtituta ſunt anno cIↃcccclxxiix. initio quidem adverſus Mauros & Judæos tantum, qui per ſimulationem Chriſtianorum ſacra profeſſi in priſtinam ſuperſtitionem denuo prolapſi fuerant. Horrendum & deteſtabile reliquis nationibus judicium. Quæ enim feritas, parentum culpam liberos præſtare, & quum accuſatorem ignorent, reis cauſæ dicundæ poteſtatem non eſſe? Ejus tamen Inquiſitionis beneficio evitari incommoda Hiſpani dictitant, quæ cæteris Rebuſpublicis cultus divini diverſitas attulit. Enimvero, religionis quidem ſimulatio imperari eo pacto atque os opprimi hominibus poteſt, pietatem certe animis mortalium ea ratione nequidquam inſerueris. Rebus igitur in regno ordinatis, quum regnum Arragoniæ, patre mortuo, capeſſiviſſet anno cIↃcccclxxix. expeditionem in Mauros Granadenſes ſuſcipit anno cIↃcccclxxxi. ea ad decem fere annos duraverat: quo quidem bello graviſſimam Hiſpani cladem acceperunt ad Malagam urbem anno cIↃcccclxxxiii. ſed paulo poſt ulti ſunt hoſtes, oppido alio atque alio capto: donec ad extremum Granada urbs peditum millibus L. equitum millibus duodecim obſeſſa, & Boabdiles Rex deditionem facere coactus eſt. Ita Maurorum regnum, quod per annos IↃcc. incolume ſteterat, in Hiſpania deletum eſt. Ferdinandus etiam, ne vires denuo colligeret hoſtis, Maurorum Judæorumque familias ad millia xvii. ex Hiſpaniæ finibus ejecit, quæ, immenſis ſecum opibus ablatis, vaſtam paſſim ſolitudinem homi-

Inquiſitionis Hiſpanicæ origo.

Granada expugnatur.

numque penuriam incredibilem effecerunt. Exin Mazalquivinum, Oranum, Pennoniam de Velez, Melillam, oppida in oris Barbariæ poſita, cepit Ferdinandus. Idem eo fortunæ beneficio uſus, Magnates, qui incredibilem ſibi auctoritatem ſpiritusque intolerabiles ſumſerant, coercuit, & in ordinem coegit: ordinum quoque Equeſtrium Hiſpanicorum, quorum opes in immenſum creverant, adeo ut ipſi Regi periculoſæ eſſent, magiſterium ad ſe tranſtulit. Eodem fere tempore Americam Chriſtophorus Columbus patria Genuenſis detexit, anno circiter CIↃCCCCXCIV. adſpernantibus conſilium ejus Luſitanorum Anglorumque Regibus, & integro ſeptennio in adminiculis ad iter neceſſariis a Caſtilianorum Rege impetrandis conſumpto: ad ultimum XVII. ducatorum millia confecta, ad naves tres inſtruendas: exigua pecunia infinitas provincias opesque immenſas Hiſpanis fœneravit: fecitque ea viam ad principatum totius Europæ affectandum. Quam facile autem ac nullo pene negotio vaſtiſſimas terras ſibi ſubjecerint Hiſpani, quibusve cruciatibus miſeros vexarint incolas, enarrare hoc loco nimis longum foret. Sub idem tempus inter Hiſpanos Galloſque bellum conflatur; unde ingens malorum ſeges ad Europam redundavit: poſteaquam ſcilicet gentes fortiſſimæ bellicoſiſſimæque inteſtinas calamitates, quibus rebus novis ſtudere prohibebantur, propulſarant, & Britannorum jugum Galli, Maurorum Hiſpani, excuſſerant. Enimvero quum Carolus VIII. Rex Gallorum expeditionem in Neapolitanos ſuſcepiſſet anno CIↃCCCCXCIV. haud e re ſua eſſe putavit Ferdinandus I. ut Galli, regno iſto perdomito, principatum Italiæ invaderent; viribus præſertim per nuptias filiarum, Anglorum, Luſitanorum, Belgarum-

America detegitur.

Bellorum inter Gallos Hiſpanosque origo.

rumque ope ſtabilitis, ipſiſque Regibus Neapolitanis ex ſtirpe Arragonum oriundis. Et quamquam Gallorum Rex, fœdere icto, Ruſſillionem urbem Hiſpanis conceſſerat, eo conſilio, ut Ferdinandum ſibi adfixum haberet: hic tamen quum Regem cohortatus deterrere ab expeditione non poſſet, effecit, ut inter Pontificem, Imperatorem, Remp. Venetam, Mediolanum, ſeque ipſum ſocietas adverſus Gallos iniretur. Conſalvum etiam Ferdinandum de Corduba, qui deinceps Magnus belli Dux appellatus eſt, ſubſidio Neapolitanis miſit. Gallis ejus ope brevi tempore Neapoli ejectis, ipſe in Languedociam irruptionem facit. Mauri, qui in montibus ad Granadam conſederant, rebellionem facientes, non ſine magno labore pacantur anno ↀↄ. Exin ſocietatem cum Ludov. XII. Gallorum Rege Ferdinandus init de regno Neapolis, per ſpeciem belli ex eo loco Turcis inferendi, occupando. Regnum etiam una occupatum ita, uti convenerat, partiuntur. Sed quum prædam opimam uterque utrique integram præripere niteretur, haud ſtabilis inter eos concordia fuit: præter controverſias de finibus Regni, aliis etiam contentionibus inter gentes bellicoſas conflatis. Inde facile ad bellum itum eſt. Conſalvus, Gallis ad Carinulam victis, Neapolim capit: & quum denuo hoſtem ad Lirim fluvium profligaſſet, Cajetam urbem expugnavit; ea re Galli iterum ex Regno Neapolitano ejecti ſunt. Sed hanc ſcilicet gratiam meritorum Ferdinandus Conſalvo retulit, ut non ſolum gratiam ejus & auctoritatem apud Neapolitanos imminueret; ſed ipſe etiam ſuſpicatus, fore, ut Regnum iſtud aut ad Philippum, Ferdinandi generum, transferat, aut ſibi ipſe confirmet conſtabiliatque, Neapolim profectus eſt, conſilio non alio, quam ut Con-

ſalvum inde per ſpeciem honoris abſtraheret: eum in Hiſpaniam quum deduxiſſet, odio & indignatione bene meritum remuneratus eſt. Interim Iſabella Regina moritur anno CIↃIↃIV. ea re Ferdinandum inter generumque ejus Philippum Belgicum contentio exarſit, propterea quod Caſtiliæ adminiſtrationem ex teſtamento Iſabellæ Ferdinandus ſibi arrogabat. Eam ob cauſam fœdus cum Gallis facit, Germana de Foix Ludovici XII. ſororis filia in matrimonium ducta, ut eo præſidio niteretur, ſi quando a Philippo laceſſitus eſſet. Is in Hiſpaniam veniens, quum juris, quod in illud Joanna uxor habuerat, obtentu, univerſum ſibi Regnum vindicaſſet, Ferdinandus ſeſe in Regnum ſuum recepit. Paulo poſt Philippus moritur anno CIↃIↃVI. Johanna conjux ipſius, zelotypia amens, Regnum capeſſit, Magnatibus vehementer tumultuantibus. Cæterum, Ferdinandus Neapoli reverſus, turbis ſedatis, adminiſtrationem Caſtiliæ, quoad viveret, ſibi demandatam ſuſcipit, licet eam Maximilianus Imperator Caroli filii nomine expetiviſſet. Ferdinandus quum ſe ad ſocietatem adverſus Venetos initam adjunxiſſet, Brunduſium, Otrantum, Tranum, Molam, & Polignanum Calabriæ, quas urbes ob officia Neapolitanis præſtita Veneti tenebant, recuperavit. Sed quum Venetos penitus ad internecionem redacturi Imperator & Rex Gallorum viderentur, Pontifex & Ferdinandus deſerto fœdere Remp. Venetam tueri ſtatuerunt, quod provincias ejus Regno Gallico adjectum iri videbant, cui tum temporis Mediolanum ſubjectum erat, atque ita futurum fuiſſe, ut nimias ſibi vires in Italia Galli compararent. Atrox ea re bellum coortum, in quo cum Joannes Albretanus, Navarræ Rex, Gallorum partibus ſtuduiſſet,

Philippus Belgicus.

ſet, ipſe regnumque ejus a Pontifice, inſtinctu Ferdinandi, proſcriptum eſt. Ferdinandus eam ſibi cauſam finxit Regni occupandi, quantum quidem ſpatium trans Montes Pyrenæos ad fines Hiſpanorum ſpectat, anno CIↃIↃXII. ex eo tempore Galli Regnum recuperare fruſtra conati ſunt. Bugiam & Tripolim, oræ Barbaricæ urbes, Hiſpani ceperunt anno CIↃIↃX. ſed ingentem viciſſim cladem acceperunt in Gerbi inſula. Obiit Rex prudentiſſimus anno CIↃIↃXVI. Navarræ regnum Ferdinandus occupat.

§. 10. Succeſſit ei Carolus, ex filia nepos, inter Imperatores ejus nominis Quintus appellatus. Is Cardinalis Ximenis opera Regnum ſtatim capeſſivit, propterea quod Joanna mater, cui Regnum debebatur, minus apta ad Imperium eſſet. Hic Princeps, quo non alius a Carolo Magno potentior in Europa fuit, maximam vitæ partem peregrinando bellandoque traduxit. Initio quidem tumultus in Hiſpania commovebantur, ſed qui confeſtim ſopiti ſunt. Joannes quoque Albretanus, irruptione in Navarram facta, quum Regnum ex hoſte recipere conaretur, brevi tempore repulſus eſt. Cum Gallis vero, quoad imperavit, perpetuo contendit Carolus. Quanquam enim fœdus & amicitiam cum Franciſco I. Rege junxerat, filiam etiam ipſius nondum adultam ad pacem ſtabiliendam pactus: vinculum tamen illud haud ſatis firmum fuit ad æmulationem Principum generoſiſſimorum coercendam. Scilicet Carolus, cujus familiæ inprimis fortuna ad id tempus adſpiraverat, quod ſibi ſymbolum adſciverat, *plus ultra*, ob oculos perpetuo habuit. Franciſcus contra, quum ſe illius viribus propemodum circumventum eſſe intelligeret, quibus potuit modis ei reſtitit, ne ſe una cum reliquiis Europæ nimium illius incrementum peſſumdaret. Et Carolo Carolus.

rolo quidem vehementer profuit Imperatoria dignitas, ipſi anno CIↃIↃXIX. delata: quam quidem ad ſemet ipſum, aut ad quemvis alium transferre Franciſcus nequidquam conatus eſt. Itaque ad bellum apertum æmulatio erupit, cui rei anſam præbuit Robertus Marcianus, Sedani Dominus; qui ab Imperatore ad Gallos deficiens, adjutus eorum opibus, Dominum Emmeracenſem aggreditur, a cujus partibus Imperator ſteterat. Id belli Belgici initium fuit. Eo bello Galli & Tornacum & Fanum S. Amandi amiſerunt, Cæſarianas tamen copias a Meziere urbe repulerunt. Ex Mediolano etiam Gallos proturbare Carolus inſtituit, ſuaſore inprimis & auctore Leone X. Pontifice. Atque hujus incœpti eam Carolus cauſam prætexebat, quod ejus Ducatus clientelam fiduciariam (vulgo feudum nominant) accipere Franciſcus neglexerat: Galli ingentem ad Bicocam cladem accipiunt. Fontarabia quoque, quam repentina oppugnatione ceperant, eis erepta. Nec mediocre eis damnum attulit Caroli Borbonii Conneſtablii ad Imperatorem defectio. Is, impetu in Provinciam facto anno CIↃIↃXXIV. Maſſiliam obſidione cinxit, ſed ſolvere eam coactus eſt, Franciſco cum omni exercitu appropinquante: qui ex eo loco in Italiam copias traduxit, terram Mediolanenſem occupaturus. Ibi Mediolanum urbem cepit quidem, ſed a Ducibus Cæſarianis, cum Papiam obſideret, prælio commiſſo victus fuſusque, ipſe captivus in Hiſpaniam abducitur anno CIↃIↃXXV. Hæc clades inde potiſſimum evenit, quod magnam copiarum vim Neapolim verſus & Savonam Rex miſerat, ita ut plerique, qui apud eum manſerant, natione Itali, Helvetii, Rhætique eſſent, qui officium in prælio haud fecerant. Nec defuerunt, qui auctores

Bellum inter Carolum ac Franciſcum.

res Regi eſſent, ut periculi evitandi cauſa ex Ducatu Mediolanenſi ſeſe reciperet. Improſpere præterea Gallis conſilium cecidit, qui avertere a ſe Carolum per Carolum Gelriæ Ducem Friſiosque contenderant; Friſios quippe Cæſarianus miles perdomuit. Carolus, etſi ſuaderent nonnulli, ut Franciſcum gratis dimiſſum munificentia animique benevolentia in perpetuum ſibi devinciret, eorum tamen conſilium approbavit, qui ut, quantumcunque poſſet, ex captivitate Maximi Principis quæſtum faceret, auctores erant. Itaque duriſſimas ei redimendæ captivitatis conditiones tulit, quibus Franciſcus repudiatis præ mœrore in periculoſiſſimum incidit morbum, ita ut Carolus ipſe ad eum viſens ægrotum conſolaretur. Quanquam Gattinara Cancellarius illud Imperatori diſſuaſerat, propterea quod intempeſtiva viſitatio, qua captivo libertas haud denuntiaretur, non officii aut amoris, ſed avaræ potius ſollicitudinis ſpeciem habere videatur; ne ſcilicet captivi morte, quod ſperaverat, lucrum interciperetur. Et vero ut diuturnis pactionibus finis imponeretur, formido effecit, ne Franciſcus mœrore morboque recidivo confectus exſtingueretur. Interim nimiam Cæſaris fortunam varii animorum motus ſuſpicionesque conſecutæ ſunt. Itaque Clemente VII. impulſore, tres omnino exercitus coiverant, libertatem Italiæ ab Imperatore præpotente defenſuri. Quorum ut conatus & conſilia reprimerent Cæſariani Duces, Romam, exercitu admoto, vi cepere (ea expugnatione Carolus Borbonius cecidit) atque per dies aliquot urbe direpta, in cives tectaque ſævitum eſt. Pontifice in Caſtro S. Angeli obſeſſo, pro ejus ſalute ſpatio quadraginta dierum vota publice fieri, ſolennesque ad Deum preces fundi Carolus in Hiſpania jubet, quum

Roma capitur.

quum a ſuis ipſius copiis circumſeptus ille teneretur: donec Pontifex fame compulſus deditionem facere fœderibusque priſtinis renuntiare cogeretur anno CIↃIↃXXVII. Franciſcum quum dimitteret Carolus, hoc ſcilicet pretium pro libertate pactus eſt: Burgundiæ Ducatu decederet; Imperio Flandriæ & Arteſiæ, omnique juri, quod in Mediolanum ac Neapolim haberet, renuntiaret; Eleonoram, Imperatoris ſororem, in matrimonium duceret, filios denique duos obſides relinqueret. Sed in Regnum & ad ſuos reverſus ſtipulationibus in captivitate per vim extortis haudquaquam ſe teneri denuntiavit. Societate deinde cum Pontifice, Anglis, Venetis, Helvetiis, ac Florentinis inita, exercitum, Odeti de Foix, Domini Lautrecii, ductu mittit in Italiam. Exin ad contumelias mendaciorumque inſimulationes, quin ad certaminis ſingularis etiam provocationem res deducta eſt inter Principem utrumque. Sed Lautrecius ſecunda primum fortuna uſus, quum Neapolim obſideret, vulgata per exercitum lue, cum copiis miſere periit. Ad extremum pax

Pax Cameracenſis. ſancita Cameraci anno CIↃIↃXXIX. in eas conditiones, ut pro filiis redimendis Franciſcus vicies quinquies centena & quinquaginta millia Imperialium exſolveret: juri, quod in Flandriam, Atrebatum, Mediolanum, & Neapolim haberet, renuntiaret: Eleonoram Imperatoris ſororem connubio ſibi jungeret: ex eo matrimonio ſi filius naſceretur, is Burgundiæ Ducatum obtineret. Anno CIↃIↃXXX. Carolus inſignia Imperatoria ſibi a Clemente VIII Pontifice circumponenda curavit Bononiæ: ibi tum hic ſtipulatus eſt, ut Florentia, libera adhuc Reſp. in Principatus formam redigeretur: civitas ad eam mutationem ſubeundam vi coacta eſt, primusque ei Dux Alexander

der de Medicis impoſitus, cui Margaritam notham Imperator in matrimonium dedit. Eodem anno principatum Ultrajecti & Tranſiſulaniæ Carolo Epiſcopus Ultrajectinus conceſſit: nec ita multo poſt Geldria, Zutphania, Groninga, Twentia, & Drentia in ejuſdem ditionem venerunt. Anno cIↄIↄxxxv. ingenti manu in Africam profectus, Tuneto & Goleta expugnatis, in Regnum Tunetanum Muleaſſum reſtituit, ab Haradino Barbaroſſa antea expulſum. In Goleta autem arce præſidium collocavit. Anno cIↄIↄxxxix. bellum inter Carolum ac Franciſcum denuo exarſit. Scilicet quum iſtum jactura terræ Mediolanenſis perpetuo ſollicitaret ac male haberet: ipſeque Clemens Pontifex auctor ei eſſet, ut, ſi invadere illam regionem vellet, Sabaudiæ Ducatum prius in poteſtatem redigeret: & denique Franciſcus Sfortia diem ſuum obiiſſet; Carolum Sabaudiæ Ducem, per ſpeciem retentæ hereditatis maternæ, adortus, e Sabaudia maximaque Pedemontii parte ejecit. At Imperator, Mediolani Principatum ſuæ familiæ in perpetuum aſſerere conatus, quum partibus Sabaudi ſtuderet, ipſe, ut ei gratificetur, Galliam Narbonenſem irruptione tentat: Aquis aliiſque oppidis expugnatis, lue graſſante rerumque omnium inopia compulſus ſeſe recepit. In finibus Belgarum Fanum S. Pauli & Monſtrelium Caroli Duces magno Gallorum malo capiunt. Induciæ tamen annorum X. Pauli III. Pontificis opera initæ Niceæ, quod oppidum in Gallia Narbonenſi poſitum eſt, anno cIↄIↄxxxiix. inde Rex uterque in oppido Galliæ Narbonenſis (vulgo *Aigues Mortes* dicitur) peramice ac familiariter ſermonem conſeruit. Quin inſequenti etiam anno iter facere per mediam Galliam Imperator, ſuis nequidquam diſſuadentibus,

auſus eſt, ut tumultus Gandavenſes eo celerius ſedaret. Sed jam ante per Annam Monmorancium, Magiſtrum utriuſque militiæ, quem *Comitem Stabuli* appellant, Regi os ſublini Imperator juſſerat, ſpe oſtentata, fore, ut Mediolanum ei redderetur, quanquam promiſſa patrare Cæſari ne in mentem quidem unquam venerat. Anno CIƆIƆXLI. expeditionem in urbem Africæ Algirium Carolus ſuſcipit, exacto propemodum anno, quum Pontifex aliique ei ſuaderent, ut in vernum tempus iter differret. Salvas quidem & incolumes in terram copias expoſuerat, quando paucis diebus interjectis procella ingentem effudit imbrem, horrendaque tempeſtas coorta eſt. Itaque navigiis compluribus colliſis fractisque, tormentorum ſclopetorumque nimbo madidorum uſu ademto, in Hiſpaniam ſe recipere coactus eſt, dimidia fere exercitus parte deſiderata. Inſequente anno, CIƆIƆXLII. pacem cum eo ſancitam fregit Franciſcus, cauſatus, Cæſarem Fregoſum & Antonium Rinconem, legatos, quos per terram Mediolanenſem Venetiasque ad Turcas miſſurus erat, in Pado flumine a Præſide Mediolani occiſos eſſe. Itaque in Brabantiam irrumpit Guilielmus, Cliviæ Dux. Princeps vero Arauſionenſis, Luceburgum aliaque oppida capit. Perpignanum Delphinus obſidione cingit, ſed irrito conatu. Ingentia quoque mala ac damna inſtinctu Franciſci dedit Barbaroſſa prædo in oris Calabriæ: idem & Niceam Galliæ Narbonenſis oppidum flammis delevit. Carolus a tot tantisque hoſtibus impetitus ſocietatem cum Henrico Britannorum Rege fecit: ſimultate, quæ ob repudiatam a Rege Catharinam, materteram Imperatoris, inter utrumque interceſſerat, depoſita: conveniitque inter eos, ut Cæſar ipſe in Campaniam,

niam, Britannus in Picardiam irrumperet: atque ita ambo Galliam conjunctis viribus adorti everterent. Imperator cum exercitu capitum ad millia quinquaginta in Belgium venit: Ducem Cliviæ in ordinem coactum cedere Geldria coegit. Inde oppidis Luxemburgi receptis in Campaniam irrumpens Ligniacum & Dieſierum domat. Franciſcus caſtra in ulteriori Marnæ ripa habens, quum prælio contendere cum Imperatore non auderet, loca vaſtare ſatis habuit, qua exercitus Cæſarianus iter facturus erat: qui tamen Eſpernaci & in Caſtello Thierrii magnam frumenti copiam reperit. Tantus ſubinde terror Lutetiam Pariſiorum invaſerat, ut ex ea cives profugere pararent, niſi præſentia Regis perterritos nonnihil confirmaſſet. Quod ſi ex altera parte Henricus Rex ita, uti conventum erat, cum copiis acceſſiſſet, exercitu Gallorum undiquaque circumſeſſo, triſtis ac miſerabilis Galliam exitus manere videbatur. Cæterum, Henricus in obſidione Boloniæ & Monſtrelii diutius moratus, Imperatori nuntiari juſſit, ſeſe, niſi oppidis expugnatis, longius nequaquam progreſſurum eſſe. Itaque Carolus ſuſpicatus, ſuis ipſius tantum commodis inſervire Britannum, diffidere ei cœpit. Igitur & ſumptus ingentes conſiderans, & inprimis maximi momenti conſilium, quod adverſus Proteſtantes (ut vocant) Germaniæ agitabat, ante oculos habens, quod quidem retardari diuturnitate hujus belli nolebat, ingentem denique ſuorum cladem in Italia ad Cerizolam acceptam à Galliş cogitans, pacem cum Franciſco facit *Creſpiaci*, quod eſt oppidum Valeſiæ, anno CIↃIↃXLIV. Exin Carolus opprimere Proteſtantes quum inſtituiſſet, ſocietatem ob eam rem cum Paulo III. Pontifice facit: eo bello quum vires eorum feliciter nulloque negotio fregiſſet, Ele- Pax Creſpiacenſis.

Electorem Saxoniæ & Haſſiæ Landgravium anteſignanos illorum cepit anno CIↃIↃXLVII. Atque eo inprimis artes machinationesque Imperatoris ſpectabant, ut Mauritium Ducem adverſus Electorem cognatum ſuum incitaret. Initio, prælio decertare non auſus, bellum tantummodo duxit; quod ſocietatem cum tot Principibus initam ſtabilem haud fore intelligebat, civitates quoque ſuppeditandis bello ſumptibus propediem defatigatum iri. Præterea ſub idem tempus fatis conceſſerant Franciſcus I. & Henricus IIX. qui haud dubie omnibus viribus obſtitiſſent Imperatori, ne Proteſtantibus oppreſſis totius Germaniæ principatum invaderet. Quanquam ipſi Proteſtantium Principes malum, quod naſcens opprimere poterant, maturaſſe ſibi videntur, compluribus Cæſaris labefactandi occaſionibus amiſſis; præſertim initio, quum ſe ad bellum necdum Imperator inſtruxiſſet. Sed ejus victoriæ fructus nequaquam perpetuus ac ſtabilis Carolo exſtitit; propterea quod in victos; quos per vim in officio continere haud poterat, durius conſuleret, Principesque captivos arcta nimis cuſtodia aſſervaret; quo nomine inprimis Mauritii Electoris animum offenderat Carolus, quum de ipſius ſententia atque auctoritate Landgravius ſocer Cæſari ſeſe dediſſet. Itaque illum liberi ejus exagitabant, alii Religionem & libertatem ipſius culpa proculcatam eſſe exprobrabant. Quapropter Carolum ex improviſo adortus nocte concubia nubibusque obductis ab Oeniponte ſubmovit anno CIↃIↃL. Inde Ferdinandi Regis opera Paſſavienſis Pax ſancitur, ad Religionem Proteſtantium ſtabiliendam. Dum hæc geruntur, Metim, Tulonem, Verdunum, Henricus II. Gallorum Rex ceperat, Proteſtantibus ſubſidio veniens. Et paulo poſt Metim omnibus

Pax Paſſavienſis.

ador-

adortus viribus Imperator, multis ſuorum amiſſis, ſolvere obſidionem coactus eſt. Inde iracundiam ſuam Hedini & Teroannæ expugnatione ſaturavit, quod oppidum ſolo æquavit. In Italia Sienam capit miles Cæſarianus anno CIↃIↃLIV. eam urbem Coſmo Hetruriæ Duci deinceps conceſſit Philippus II. ea quidem lege, ut ſummum ejus imperium locaque maritima, quæ in confinio munitiora eſſent, ſibi ipſe reſervaret. Ad ultimum Carolus labore ac valetudine debilitatus imperium abdicat, & in Ferdinandum transfert. Sed impetrare ab eo non potuit, ut in Philippum filium illud transmitteret. Philippo, quem memoravimus, Regna cuncta, præter Germaniam (ea enim Ferdinando obtigit) defert, centum modo aureorum millia ad vitam ſuſtentandam quotannis ſtipulatus. Inducias autem ad quinquennium prius cum Gallis fecerat. Sed illæ brevi, Pontifice impulſore, ruptæ ſunt; quod quum is poſſeſſiones ſuas Columnis eripere niteretur, eorum cauſam defendendam Hiſpani ſuſciperent, Gallis contra a Pontifice ſtantibus. Sed haud lætus ejus belli eventus Gallis exſtitit, inſigni clade ad Fanum S. Quintini accepta, ipſo oppido amiſſo, & ſupremo inſuper Duce de *Thermes* ad Grevelingam victo atque profligato. Ad extremum pace facta in Caſtello Cambreſiæ anno CIↃIↃLIX. quidquid a Gallis occupatum in Italia fuerat, priſtinis dominis reſtituitur: ita uno momento amiſſæ ſunt provinciæ tanto cruore a Franciſco & Henrico redemptæ. Ceterum, clam inter eos convenit, ut Rex uterque hæreſin, ut perperam vocitabant, delere contenderet. Sed ea res infeliciter Gallis pariter & Belgis ceſſit. Eo qui præceſſerat anno, CIↃIↃLIIX. diem obiit Carolus in Monaſterio S. Johannis, quod in extremo vitæ ſpa-

Carolus Imperium abdicat.

ſpatio quietis & tranquillitatis receptaculum habuerat. Teſtamentum ejus ſapientiſſime conditum Quæſitores ſacrarum quæſtionum usque adeo offendit, ut parum abeſſet, quin hæreſeos damnatum flammis ultricibus devoverent. Ceterum, qui a confeſſionibus ipſi fuerat, ceterique Monachi, quorum contubernio in eo cœnobio uſus fuerat Carolus, judicii iſtius diritatem haud effugerunt.

Philippus II. §. 11. Philippo II. Rege inſolitum Monarchiæ Hiſpanicæ incrementum diminui cœpit: nec jam integra adjicere Regna Fortuna ſuſtinuit. Quippe matrimonium Philippi cum Maria Britannorum Regina initum, non modo non diuturnum, ſed etiam ſterile fuit. Atque illud inprimis, meo quidem judicio, Hiſpanorum opes afflixit, quod delatis ad Ferdinandum fratrem Germanicis provinciis, eum deinceps etiam Regem Romanorum Carolus declarari juſſit: qua re non vires tantum ſuæ gentis fractæ diſſipatæque ſunt, ſed Imperatoria etiam dignitas Hiſpanis erepta. Et quanquam Philippum deinceps ſucceſſorem Imperii renuntiari a Ferdinando cupiebat, hic tamen id facere recuſavit; præſertim auctoritate Matthiæ filii confirmatus, ut parta retineret. Is inprimis quoque charus Proceribus Germaniæ fuit, Philippus contra inviſus, qui, quantus erat, nil niſi Hiſpanus erat, ne linguæ quidem Germanicæ gnarus. De cætero, Ferdinandus, & qui eum proxime excipiebant ſucceſſores, placidiſſimo fuerunt ingenio; nec ita Hiſpanorum rationibus ſemper addicti, ut non ſæpius eorum nutum aut voluntatem ſpernerent. Sed præ aliis labefactavit Hiſpanorum opes rebellio Belgarum, quæ velut cancer, malum inſanabile, latius ſerpſit ideo, quod partim Philippus intempeſtiva in Hiſpania deſidendi cupidine præpeditus occurrere ſua præſen-

tia

tia malo iſti, prius quam nimis ingraveſceret, neglexerat: ſecus ac pater ipſius factitabat, qui, ut Gandavum, urbem unicam, pacaret, Franciſci æmuli ſui graviſſimi poteſtati & arbitrio ſeſe permittere non dubitarat: partim quod quum crudelius in rebelles animadvertere ſtatuiſſet, Ducem Albanum, hominem truculentum, Belgis, qui ab antiquo mitiſſimo inſueverant imperio, impoſuerat, qui miſeros ad deſperationem adegit; præſertim quum conſtaret, a Quæſitoribus ſacrarum quæſtionum non eos ſolum, ad quos ſeditionis & iconomachiæ crimen pertinebat, ſed ipſos etiam Catholicos, qui illis haud reſtitiſſent, capitis damnatos eſſe. Itaque Præfectus quidam Hiſpanicus, nomine Antonius Vargas, Latiniſſime, ſi Diis placet, dixiſſe fertur: *Heretici fraxerunt templa, boni nihil faxerunt contra, ergo omnes debent patibulare.* Enimvero etiam ſua ſponte Hiſpanos incredibili odio proſequebantur Belgæ, non ſolum propter morum diverſitatem, verum etiam quod apud Carolum V. cujus ingenium cum ipſorum moribus mirifice congruebat, in magno ſemper pretio fuerant: quum e contrario Philippus non niſi Hiſpanis ſuis faveret, qui intolerabili arrogantia elati perſuadere ſibi haud poterant, Belgis, quos imbelles eſſe arbitrabantur, tantum animi fore, ut ſe illis opponerent. Nec ægre ferebant, Belgas res novas moliri, ut ſcilicet Regi facultas daretur, ampliſſimis Belgarum privilegiis imminutis, ubi pari omnes ſervitute oppreſſiſſet, ſummum nulliſque legibus circumſcriptum imperium invadendi: ita fore, ut belli ſede inibi conſtituta, quum Gallos pariter atque Britannos ex iis locis impugnare poſſent, ad ſummum faſtigium Hiſpanicam Monarchiam perducerent. Belgæ contra libertatem ſuam mordicus

dicus defendebant, & ut gentium devictarum loco habeantur, haudquaquam ferendum ſibi arbitrabantur. Itaque quum Philippus diſcedens è Belgio Hiſpanica in eo præſidia relicturus eſſet, utque rem inviſam & odioſam nonnihil mitigaret, Principem Arauſionenſem & Comitem Egmontanum præficere eis conaretur, id omnino hi recuſarunt, dictitantes: parum profectum eſſe pace, quam virtute ac rebus præclare geſtis Belgæ obtinuiſſent a Gallis, ſi nunc externo premerentur jugo. Finitimi quoque, & inprimis Eliſabetha Britannorum Regina, natam ex hiſce tumultibus occaſionem invadendi Hiſpanorum opes viresque debilitandi, nequaquam ſibi dimittendam eſſe putarunt. Proteſtantes denique Germaniæ, Hiſpanis perinfenſi, & tantis eos turbis involvi læti, auxilia Arauſionenſi pro virili miniſtrabant: Imperatores autem ſuum conſervare otium & Germanorum benevolentiam conciliare potius, quam cognatorum commodis ea, qua par erat, animi contentione inſervire ſtudebant. Per occaſionem tumultuum Belgicorum bellum quoque inter Philippum & Eliſabetham Reginam conflatum eſt: ea non ſolum Belgis, quibuscunque rebus poterat, auxilio fuit; ſed captis etiam navigiis Indiæ Occidentalis ingentia Hiſpanis damna attulit: quum Dracus, vir celeberrimus, ipſas Auſtrales Americæ oras depopularetur; Philippus contra, dum rebelles in Hibernia ſuis opibus ſuſtentat, multum negotii Reginæ faceſſeret. Ad ultimum Philippus Britanniam penitus delere inſtituit. Itaque per multos annos claſſem ædificat, quæ *Invincibilis* dicta, ante id tempus parem non habuit. Conſtabat ex navibus centum & quinquaginta: inſtructa tormentis æneis CIƆIƆC. ferreis CIƆL. nautarum millia octo, claſſiariorum millia vigin-

Bellum Hiſpanos inter atque Anglos.

Claſſis Hiſpanorum invincibilis.

viginti præter nobiles voluntariosque vehebat: ad eam ſuſtentandam aureorum millia triginta quotidie, omnium vero ratione ſubducta, in univerſum aureorum centies vicies centena millia impenſa. Sixtus porro, Pontifex Rom. Eliſabetha proſcripta, Regnum Philippo adjudicavit. Sed ad nihilum recidit apparatus ingens, claſſe partim a Britannis Batavisque, partim procellis tempeſtatibusque in Oceano Germanico magnam partem deleta, ita ut perpaucæ naves in Hiſpaniam redirent, ac nulla ferme familia nobilior eſſet in Hiſpania, quæ non ſuorum funeſtata interitu lugeret Quanquam eſt quod miremur incredibilem Philippi magnitudinem animi: qui triſti nuntio accepto nullam perturbationis aut triſtitiæ ſignificationem dedit: unica illius vox erat: Quis, malum, eos cum ventis fluctibusque pugnare juſſit? anno CIↃIↃLXXXIIX. Inde Britanni Batavis in ſocietatem adſcitis Hiſpanorum claſſem prope Gades profligant, naves complures commeatu omniumque rerum copia refertas capiunt, ipſamque urbem expugnant: eam deinceps Eſſexiæ Comes, Britannorum dux, direptam magno cum dedecore deſeruit; quum, abſque hoc foret, ingentes ibi clades Hiſpanis inferri potuiſſent, anno CIↃIↃXCVI. Fraudi denique Hiſpanis fuit, quod inteſtinis Galliæ ſeditionibus, quas horrendum illud monſtrum ſpecioſo Ligæ ſanctæ titulo inſigne produxerat, ſeſe immiſcuerunt. Exoptatiſſimam quidem occaſionem nactus eſſe ſibi Philippus videbatur, ſive Galliam excluſa ſtirpe Borbonia ad ſuam familiam transferendi, ſive, in plures partes regno pulcherrimo diſcerpto, aliam atque aliam portionem inde decerpendi, ſive denique ex iis aliquem, quos ſibi addictiſſimos haberet, ad Regnum evehendi. Aut ſi horum ni-

hil ſuccederet, id ſaltem conſecuturum ſeſe ſperabat, ut factionem illam alendo Galliam adeo debilitaret, ut diu reſpirare haud poſſet. Sed franguntur ejus conſilia virtute felicitateque Henrici IV. inprimis, quod is, ut omnem calumniandi facultatem Ligæ præriperet, tandem Pontificiorum ſeſe ſacris addicere in animum induxit. Itaque ingentes, quos fecerant Hiſpani, ſumptus fruſtranei fuere. Accedebat aliud nec ſane levius malum, quod interea dum Dux Parmenſis, Provinciarum Belgicarum Præfectus, Ligæ ſubſidio in Galliam profectus abeſt, ingentes Belgæ vires ſibi compararunt. Plane ut vulgatiſſimum proverbium in Philippum apprime quadraret: *Qui duos ſimul lepores inſectatur, neutrum capit.* Ad extremum Henricus IV. maxima Galliæ parte in ordinem redacta, bellum inſuper Philippo denuntiat anno CIƆIƆXCIV. quod tamen in Belgio ancipiti fortuna geſtum eſt. Anno namque CIƆIƆXCV. Cambracum Comes de Fuentes, & inſequenti anno Caletum Albertus Archidux ceperunt. Henricus contra Feram oppidum ex Hiſpanis recepit. Anno CIƆIƆXCVII. Ambiano tumultuaria oppugnatione potiuntur Hiſpani: quod quidem oppidum Henricus non ſine magno labore recuperavit. Eodem tamen anno pax demum Hiſpanos inter Galloſque inita Vervini: quod & Philippus filium adoleſcentem cum magno illo Heroe, Henrico, bello implicitum moriens relinquere nolebat, & ipſe Henricus regnum continuis bellis exhauſtum pace atque otio inprimis indigere intelligebat. Cum Turcis quoque multæ magnæque contentiones Philippo interceſſerunt. Dragutes quippe prædo Tripolim Hiſpanis eripuerat anno CIƆIƆLI. quum per annos omnino quadraginta eam Hiſpani obtinuiſ-

Pax Vervinenſis.

nuiſſent. Ad eam recuperandam Philippus validum exercitum miſit anno CIↃIↃLX. is Gerbiſia inſula potitur quidem, ſed ſimul a Turcarum claſſe profligatus, militum circiter millia octodecim, naves XLII. una cum inſula iſta deperdidit. Anno CIↃIↃLXIV. Pegnonem de Velez Philippus recuperat. Anno CIↃIↃLXVI. Melitam per quadrimeſtre ſpatium gravi obſidione cinctam a Turcis liberat Philippus feliciter, adeo ut Turcæ cum magna ſuorum jactura diſcedere cogerentur. Anno CIↃIↃLXXI. Johannes Auſtriacus inſignem de Turcis victoriam navalem deportavit ad Naupactum, quum belli ſocii eſſent Veneti, aliique Italiæ Reguli: ea clade Turcarum vires maritimæ uſque adeo acciſæ ſunt & enervatæ, ut ex eo tempore haudquaquam æque ac antea extimeſcendæ viderentur. Quanquam eo bello inſignem ſibi infamiam contraxerant Hiſpani, quod ſegni eorum cunctatione Cyprus inſula nobiliſſima amiſſa eſt. Anno CIↃIↃLXXIII. Johannes Auſtriacus in Africam profectus, ut Tunetanos coerceret, & ad officium revocaret: hactenus feliciter rem geſſit, ut urbs caperetur, novumque ibi caſtellum extrueretur; ſubſequente autem anno ingenti Turcæ cum exercitu adventantes, caſtellum, necdum perfectum atque munitum, & Golletam etiam, cui quidem arci parum inſtructæ, homo imbellis imperitusque præerat, expugnant. Ita cum magno Chriſtianorum malo in Turcarum poteſtatem Regnum Tunetanum pervenit. Nec minus domi negotii faceſſebant Philippo Marani in regno Granadenſi: quibus, quum res in periculoſam erupiſſet ſeditionem, ſubſidio venerunt Turcæ. Res magni laboris erat, inconditam multitudinem & tenuiſſimæ ſortis homines coercere, nec parum periculi imminere Hiſpanis videbatur,

ſi per tempus ſeditioſis Turcæ manu ſatis valida ſubveniſſent. Sopitæ ſunt turbæ anno CIↃIↃLXX. quum ad triennium duraſſent. In Arragonia quoque nonnihil turbatum eſt anno CIↃIↃLXII. quod ea cauſſam agebat Antonii Perezii, qui ſe privilegiis iſtius Regni defendere ab accuſatione capitali nitebatur, propterea quod Eſcovedum, Johannis Auſtriaci familiarem, juſſu Regis, clam interficiendum curaſſet. Ea re Philippus & invidiam ejus cædis declinare ſtudebat, & Perezium ulciſci: quandoquidem perfidus iſte amorum Regiorum conciliator, eos amoris fructus, qui Regi debebantur, deguſtare ipſe conatus fuerat. Eo facto Regi haud levis quidem adſperſa macula; ſed tamen per eam occaſionem Arragonum ſimul privilegia vehementer imminuta ſunt. Anno CIↃIↃLXIIX. Carolum filium Philippus necari juſſit: quod ejus capiti, ut ferebatur, inſidias ſtruxiſſet. Paulo poſt Iſabella Regina eademque Caroli noverca exſtinguitur; nec deeſt ſuſpicio, veneno ſublatam eſſe. Sunt qui exiſtiment, furtivos amores ſubfuiſſe: quod eo veriſimilius eſſe videtur, quoniam deſtinatam Carolo Iſabellam pater filio præripuerat. Henrico Luſitaniæ Rege mortuo anno CIↃIↃLXXIX. complures id regnum ſibi vindicare conabantur, & in his Philippus; quippe qui Iſabella, Emmanuelis Luſitaniæ Regis filia, natus erat: is jus ſuum ferro perſequens, valido cum exercitu, cui Albanus præfuerat, regnum occupat, Antonio notho, qui ſe pro Rege geſſerat, ejecto. Antonius quum in Angliam, inde in Galliam profugiſſet, moritur exſul Lutetiæ Pariſiorum anno CIↃIↃXCV. Sola Tercera inſula obſtinate reſtitit: cui cum ſubvenire Galli conarentur, ab Hiſpanis ad unum propemodum omnes cæſi profligatique ſunt. Itaque Philip-

Luſitania ab Hiſpanis occupatur.

lippus Indiæ utriusque, ex qua ceu fonte omnes totius orbis divitiæ manant, principatum adeptus eſt. Sed ejus opulentiæ exhauriendæ rationem jam inierant Galli, Britanni, & Belgæ. Philippus quippe morti vicinus confeſſus ipſe eſt, ſeſe in bellum Belgicum quingentas & ſexaginta quatuor aureorum *milliones* profudiſſe. Et ſane fieri potuit, ut Rex tantis opibus fretus, quum fræna ambitioni nimis laxaſſet, pluribus, quam expediebat, negotiis ſeſe immiſcuerit. Obiit anno CIƆIƆXCIIX.

§. 12. Philippo III. etſi pater pacem & otium a Gallis reliquit, bellum tamen Belgicum gravius indies Hiſpanis incubuit. Spes equidem iis erat, poſteaquam extremo vitæ ſpatio filiam Iſabellam Claram Eugeniam Philippus II. Alberto Archiduci nuptum collocaſſet, Provinciis Belgicis dotis nomine datis, ad officium Hollandos redituros, & cum reliquis ſeſe Belgis conjuncturos, populari ſui Principis imperio, nec jam, ut prædicabant, inviſæ Hiſpanorum dominationi, obnoxios. Sed quum Belgæ, quid monſtri aleretur, ſubodorati, fraudes iſtas arteſque omnes eluderent, atque deinceps in obſidione Oſtendana virium pariter ac pervicaciæ ſuæ haud leve documentum dediſſent, adeo ut vi armiſque domari nullo modo poſſe viderentur, Hiſpani demum pacem cum eis quomodocunque facere ſtatuerunt: idque eo magis, quod Hollandi, aditu in Indiam Orientalem patefacto, magnos ibi proceſſus facerent, Galliæque vires ſub laudatiſſimo Henrici IV. imperio, paciſque fructibus florentiſſimo, in immenſum creſcerent: qui quidem Rex funeſtum vulnus infligere Hiſpaniæ potuiſſet, ſi debilitatum bellis atrociſſimis Regnum & exhauſtum ipſe integris viribus adoriri voluiſſet. Adhæc ſpes haud vana tenebat Hiſpanos, Philippus III.

futurum, ut in pace, metu externi hoſtis ſublato, mutuis diſcordiis Hollandi colliderentur, aut ſaltem virtus ipſorum ac fortitudo otio enervarentur. Et ſane quanta cupiditate pacis cum Hollandis faciendæ flagrarint Hiſpani, vel ex eo liquet, quod de pacis conditionibus Hagæ Comitis cum iis agere dignati, Ambroſium Spinolam legatum una cum aliis ipſi eo miſerunt, & commercia inſuper Indiæ Orientalis permittere ipſis coacti ſunt: quum e contrario Hollandi difficiles ſeſe & faſtidioſos in eo conventu præberent, ac ne hilum quidem remittere de poſtulatis vellent. Ad ultimum induciæ cum Hollandis factæ ſunt in duodecennium anno CIↃIↃCIX. Inſequente anno Philippus novies centena Maranorum millia ejecit ex Hiſpania: qui Maurorum poſteri Chriſtianorum ſacra per ſimulationem profeſſi, res novas moliebantur, atque ab Henrico IV. auxilium clam petierant. Eodem anno Arrachen, caſtellum in ora Africana poſitum, Hiſpani capiunt: Finalium item portum, qui non procul Genua eſt, occuparant anno CIↃIↃCXII. A Griſonibus anno CIↃIↃCXIX, defecit Vallis Telina, cujus cauſam egerunt Hiſpani, inducti ſcilicet ſpe, fore, ut eam cum Mediolanenſi Ducatu denuo conjungerent. Sed quum Galli a Griſonibus ſtarent, res in multos annos extracta eſt; donec ad extremum cuncta in priſtinum ſtatum reſtituerentur. Æmulationem & invidiam tota in Italia iſti motus concitarunt. Ipſe Pontifex Rom. cum Griſonibus quamvis Reformatæ Religioni addictis fecit, operamque dedit, ut priſtinam Vallis Telinæ poſſeſſionem recuperarent. Sub initium belli Germanici Ambroſium Spinolam ex Belgio in Palatinatum Hiſpani miſerunt: is magnam ejus partem ſubegit. Philippus III. moritur anno CIↃIↃCXXI.

Induciæ cum Hollandis factæ.

§. 13. Phi-

§. 13. Philippus IV. filius ejus ſub initium Regni morbos ſuæ aulæ perſanare inſtituit, Duciſque Lermæ, qui apud patrem plurimum poterat, aſſeclas loco movit. Ipſe imminens periculum proſpiciens in numerum Purpuratorum Eccleſiæ Romanæ Patrum referendum ſeſe antea curaverat, ut capitis diſcrimen evitaret. Inter rudimenta Regii imperii, exactis induciis, bellum Belgicum denuo exarſit. Obſidionem Bergæ ad Somam ſolvere Spinola cogitur anno cIↃIↃCXXII. propterea quod Chriſtianus Dux Brunſvicenſis, & Mansfeldius, prælio ad Fleurium Hannoniæ oppidum commiſſo, Hollandis ſubſidio venerant. Sed an. cIↃIↃCXXVIII. Petrus Heynius, Hiſpanorum claſſe argento onuſta oppreſſa, amplius centies vicies centenis Florenorum millibus prædæ nomine potitur. Sub idem tempus pedem in Braſilia fixerunt Hollandi, Olinda urbe capta. Anno cIↃIↃCXXIX. Hiſpani irruptione in Velaviam facta, quum jam Amersfordium oppidum expugnaſſent, avertere hoſtium copias ab obſidione Sylvæducis, & Hollandos inſigni augere clade contenderunt. Ceterum, Veſalia urbe tum forte ab Hollandis tumultuaria oppugnatione capta, præcipiti fuga trajicere Iſulam compulſi ſunt, ne iter cunctantibus intercluderetur. Anno cIↃIↃCXXXIX. claſſis ingens ex Hiſpania in Oceanum Britannicum provecta, cui præfuit Don-Oquendo, in conſpectu Britannorum deletur a Martino Trompio, ad urbem Duyns; quæ quo conſilio adventarit, eo tempore in vulgus notum non fuit. Sed poſtea compertum eſt, adverſus Suecos comparatam fuiſſe, Danoſque viginti hominum millia inſtructa habuiſſe, quæ, ubi ad Gothenburgum ea claſſis appulſa foret, una cum iis, qui ea vehebantur, militibus, in Sueciam de improviſo irrumperent.

Philippus IV.

Ad ultimum, bello, quod magnam partem cum Hiſpanorum damno conjunctum fuerat, ad annum CIↃIↃCXLIIX. extracto, Hiſpani, pace cum Hollandis Monaſterii facta, eos gentem liberam, & in quam nihil ſibi juris eſſet, pronuntiant, omnibus ſimul locis, quæ eo bello ceperant, relictis. Iſtam pacificationem Galli impedire eo ſaltem uſque, donec ipſi cum Hiſpanis pacem iniiſſent, nequidquam conati ſunt. Nihil enim ipſorum machinationibus movebantur Hollandi, veriti ſcilicet, ne, Hiſpania oppreſſa, Gallis Belgium Hiſpanicum ſubigendi facultas daretur. Quod ſi accidiſſet, Gallorum potentia in confinio proxime incubans certiſſimum Reip. interitum portendere Hollandis videbatur. Specioſum quoque fuit, quod vulgo jactabatur: fruſtra bellum diutius geri, quum bona cum gratia obtineri poſſit id, de quo tam diu armis decertatum eſſet, ipſam quoque provinciam Hollandicam ære alieno oppreſſam otio indigere. Hiſpani autem, quum intelligerent, Hollandiam armis edomari haud poſſe, iniquiſſimas quaſque conditiones haud gravate acceperunt, ut, hoſte acerrimo placato, facilius bellum, quod cum Gallis pariter & Luſitanis gerebatur, ſuſtinere poſſent. In id bellum Hiſpania mille & quingentas *milliones* impendiſſe memoratur. Anno CIↃIↃCXXIIX. Vincentio II. Duce Mantuano mortuo, Imperator Carolo Nivernio Duci debitum hereditario jure Principatum extorquere nititur, quod natione Gallus erat, & in accipiendo *feudo* defuiſſe officio arguebatur. Et vero Sabaudiæ Dux, litis, quam ſuper Montisferrato pridem moverat, renovandæ occaſionem nequaquam prætermittendam arbitrabatur; nec minus compendii ex ea re Hiſpani ſperabant, qui Caſalium oppidum oppugnare aggreſſi ſunt.

Pax cum Hollandis facta.

Rur-

Rurſus Galli, quum Nivernium defendendum ſuſcepiſſent, Hiſpanis ab obſidione Caſalii rejectis, efficiunt, ut Nivernio Principatus Mantuani poſſeſſio bona fide firmaretur, quæ quidem res Hiſpanorum exiſtimationem in Italia vehementer labefactavit. Anno cIↃIↃcxxxv. Hiſpanis Galli bellum denuntiant, cauſati, Philippum Chriſtophorum, Electorem Trevirenſem, qui ſe clientelæ Gallorum commiſiſſet, ab iis captum, ipſamque urbem Trevirim, in qua Gallicani milites in præſidio collocati fuiſſent, expugnatam eſſe. Sed potiſſima cauſa belli gerendi fuit, ut potentia domus Auſtriacæ refrænaretur, quæ jam inde a prælio ad Norlingam commiſſo, & pacificatione Pragenſi formidoloſa in Germania eſſe cœperat: præſertim, quum Gallia interno Regni ſtatu bene conſtituto, opibus vehementer floreret. Et initio quidem, Principe Thoma ad Avennas oppidum victo fugatoque, Galli magno impetu in Belgium irrumpunt: ſed exiguos pro copiarum magnitudine progreſſus fecerunt: Hollandis quidem haud invitis, qui lætiorem iſtius in Belgas expeditionis eventum deprecabantur. Nihilo plus in Italia profectum eſt a Gallis. Inſequente anno, Princeps Condæus Dolæo oppido re infecta abſcedere coactus eſt. Hiſpanorum quoque in Picardiam irruptione ipſa etiam Lutetia Pariſiorum terrore completur. Gallaſſius quoque cum Cæſarianorum exercitu in Burgundiam irrumpere contendit, ſed eventu non admodum proſpero. Anno cIↃIↃcxxxvII. Landreſium Hiſpanis ereptum. Sequente anno iidem multis ſuorum amiſſis ab oppido Leucate, rurſus Condæus Princeps a Fontarabiæ mœnibus, ſubmoventur. Anno cIↃIↃcxxxIx Gallos Hiſpani ad Theonisvillam cædunt fugantque; ipſi contra Heſdinum, Sal-

ſulas, & Salinum amittunt: & ſequente anno Atrebatum, urbem munitiſſimam: acie inſuper ad Caſalium victi, quum ipſi Comitem Harcurtium ab obſidione Taurinenſi viciſſim depellere nulla ope potuiſſent. Eodem anno defectionem jam pridem animo agitatam ordiuntur Catalauni. Cujus incendii ſcintillas ſuſcitavit primum arrogantia Ducis d'Olivarez, qui apud Regem principem gratiæ ac dignitatis locum obtinebat: eam quippe iniquo ferentes animo, quum de ejus injuriis ſæpius apud Regem conquererentur Catalauni, omni ratione ab homine potentiſſimo premebantur. Nec exiguus indignationis cumulus acceſſit, poſteaquam Catalauni, una cum reliquo Hiſpanorum exercitu Salſulas obſidione liberaturi, ab hoſtibus male excepti habitique; propterea quod (ſicuti dictitabant) laborantibus Caſtiliani, ita uti oportebat, haud ſubveniſſent. Itaque a reliquis Hiſpanorum copiis digreſſi domum ſeſe receperunt. Igitur quum Dux eam calumniandi occaſionem nactus, fide ipſorum apud Regem accuſata, effeciſſet, ut, libertate incolarum magis magisque labefactata, milites apud eos in hibernis collocarentur, res ad apertam rebellionem deducta eſt: Hiſpani exturbati, initium tumultus faciente Barcinone. Inde ad auxilium Regis Gallorum confugiunt, eique ſeſe ad extremum dedunt, omni ſpe veniæ Hiſpanorum immanitate præciſa. Nec niſi undecim annorum ſpatio recuperare Catalauniam Hiſpani potuerunt, inteſtinis Galliæ motibus belliſſimam ejus recipiendæ occaſionem præbentibus. Itaque Barcino, quum in tempore ſubſidium haud mitteretur, deditionem facere, ac Hiſpanorum denuo jugum ſubire coacta eſt anno CIƆIƆCLI. Multo gravius autem Hiſpanorum vires affixit Luſitanorum de-

Catalaunorum defectio.

fectio, quæ eodem anno CIƆIƆCLX. contigit. Conatus equidem eſt Philippus II. quanquam Regnum armis perdomuerat, lenitate omniumque privilegiorum conſervatione Luſitanorum in Hiſpanos odium mitigare: quod quidem tantum erat, ut eorum Sacerdotes in templis Caſtilianorum jugum, ſuis cervicibus impoſitum, publice deprecarentur. Eo autem mortuo Miniſtri Hiſpanici, cura Luſitanorum animos perpetua privilegiorum conſervatione retinendi intermiſſa, eos paulatim pacatorum domitorumque in modum tractare cœperunt. Quare ipſorum animi vehementer ſunt irritati: jamque anno CIƆIƆCXXXVI. nonnullæ civitates, quum Hiſpanorum fortunam magis magiſque indies inclinare animadverterent, jugum quatere cœperunt: ſed eæ propediem mitigatæ ſunt. Itaque Hiſpani ad homines in officio continendos utiliſſimum fore ſuſpicati, ſi plebeji non minus quam nobiles militiæ ſacramento obligarentur, ut hac ratione fervidus ebullientis quaſi ſanguinis calor reſtingueretur: Catalaunis interim rebellantibus, Luſitaniæ nobiles militatum evocant: ſed illi a militia abhorrebant. Inde aliæ quoque indignationis cauſæ acceſſerunt. Sed quod Luſitani animis in Ducem Bragianciæ propendebant, eum Hiſpani blanditiis delinitum in aulam pellicere ſtuduerunt: igitur fidem Duci factam omnemque jam diffidentiam exemptam arbitrati, blandiſſimis eum verbis in aulam invitant, ut Hiſpanorum Regi in expeditione adverſus Catalaunos ſuſcipienda auxilio eſſet. Sed is aſtuta excuſatione uſus, imminens periculum declinavit. Tandem quum acrius inſtarent, ut in bello adverſus Catalaunos Luſitaniæ nobiles operam Regi navarent, ipſi vero illud omnino recuſarent, conjuratione facta, excutere jugum Luſitanorum defectio.

Ca-

Caſtilianorum Luſitani conſtituunt; Ducis Braganciæ erga ſe animi propenſione clam intellecta: quumque is ab uxore exſtimulatus Regnum ſuſcipere decreviſſet, fractis quaſi repagulis, frænum mordent, Oliſippone, Regni metropoli, palatio, Caſtilianorum præſidiis, navibus, caſtello potiti, ipſum Vaſconcellum, qui Regi erat a ſecretis in Luſitania, quum inſolenter ſe geſſiſſet, obtruncant, & Ducem Braganciæ, Regem cognomento Johannem IV. conſalutant. Ita omnes omnino Caſtiliani e toto Luſitaniæ Regno exacti, vitæ duorum modo, aut trium hominum diſpendio. Inſigne ad poſteros documentum, quam facilis ſit Regni, nulla civium erga Regem benevolentia muniti, amiſſio. Labefactata hoc pacto & debilitata Monarchia Hiſpanica, quum diſtractis viribus in diverſum traheretur, neque hic neque illic rebus ſuis conſulere cum fructu potuit. A. CIƆIƆCXLII. Perpinianum etiam amiſſum. Quanquam Gallorum, in penitiora Hiſpaniæ viſcera ingerere ſeſe cupientium, optatis fortuna non reſpondit, Leridam nequidquam obſidente Condæo an. CIƆIƆCXLVII. Monaci quoque Princeps, ejecto Hiſpanorum præſidio, Gallorum fidei ac clientelæ ſeſe commiſit anno CIƆIƆCXLI. Periculoſa ſeditio coorta eſt Neapoli anno CIƆIƆCXLVII. miſero piſcatore Mas-Aniello duce, qui ſane univerſum Regnum in maximum adducere diſcrimen potuiſſet, ſi Gallus gliſcentibus turbis mature ſuo ſubſerviiſſet auxilio. Sed prudenti Comitis d'Ognate Præfecti conſilio feliciter ſopitæ eæ ſunt. Cæterum, quum tam multis in locis exortum incendum uno tempore reſtinguere Hiſpanus neceſſe haberet, Hollandia, velut remotiſſima terra, omittenda fuit, ut proximas tueretur. In Catalaunia quidem, uti demonſtravimus, res proſpere

ſpere ceſſit Hiſpanis. Anno quoque cIↄIↄcL. Gallos ex oppidis Piombino & Portu Longo ejecerunt. Ipſis autem contra Jamaica Americæ Inſula erepta ab Anglis. Ad extremum, ſedatis Galliæ motibus, Hiſpanus facile ſe adduci paſſus eſt, ut pacem cum Gallis faceret. Ea a duobus magni nominis Miniſtris, Mazarino Cardinale & Ludovico de Haro, in montibus Pyrenæis, ſancita & conſignata eſt. Per eam Ruſſilio, aliaque oppida ſane egregia in Belgio, Gallis relicta ſunt. Hiſpani, pace aliis in locis facta, bellum Luſitanicum omni ope perſequi inſtiterunt. Hi, etſi irruptione in Luſitaniam facta, unum alterumve oppidum expugnarunt, ſæpius tamen victi, fugatique ſunt. Inprimis memorabile eſt prælium ad Extremos anno cIↄIↄcLXII. in quo Johannes Dux, item ad Villam Vicioſam, an. cIↄIↄcLXV. ubi Caracena Dux ingenti acie ſuperati ſunt, commiſſum. Utriusque victoriæ gloriam Luſitani magna ex parte Schombergio, copiarum Gallicarum Duci, qui ſtrenuam in eo bello operam navarat, acceptam referunt. Philippus IV. obiit anno cIↄIↄcLXV. Pax in Pyrenæis Montibus ſancita.

§. 14. Eum excepit Carolus II. filius, quatuor annorum puer, qui in tutela matris erat. Ea quidem ſegniter admodum bellum cum Luſitanis perſecuta, anno demum cIↄIↄcLXIIX. pacem iis etiam invita, Anglorum Rege in iſtam ſe pacificationem interponente, concedere, regnumque iſtud penitus omittere neceſſe habuit: quum Galli in Belgio cuncta eo tempore miſerandum in modum depopularentur. Quanquam enim ſuo ſe patrimonio Maria Thereſia, Philippi IV. Regis filia, tum quum Gallorum Regi nuberet, penitus abdicavit; in tanta tamen opportunitate, florentibus Gallorum rebus, Hiſpania Carolus II. Pax cum Luſitanis facta.

nia fracta penitus ac debilitata, Anglis denique ac Hollandis armis inter ſe decertantibus, (qui alioquin Belgium a Gallis quaſi gurgite quodam abſorberi pati haud poterant) Galli ingenti cum multitudine in Flandriam irrumpunt; obtentu juris, uti vocant, *devolutionis*, in Brabantia uſitati: quo jure immobilia privatorum bona, ſi quando pater ſecundas nuptias init, ad liberos ex priori matrimonio ſuſceptos redeunt. Et Galli quidem, nemine propemodum reſiſtente, ceperunt urbes caſtellaque permulta, eaque præſtantiſſima, Caroloregiam, Tornacum, Inſulas, Duacum, Aldenardam, aliaque: Burgundiæ quoque Comitatum ſuæ ditionis fecerunt. Quæ quidem armorum Gallicorum felicitas pacem Anglos inter & Hollandos haud parum maturavit: & ſimul triplex illud fœdus peperit, quod inter Britannos, Suecos & Hollandos, Provinciarum Belgicarum conſervandarum cauſa, ſancitum eſt anno CIↃIↃCLXVII. Inſequente anno Galli, pace cum Hiſpanis Aquisgrani facta, Burgundiæ Comitatum his reſtituunt, reliquis oppidis, quæ in Flandria ceperant, retentis. Sed, quum bellum Hollandis Galli intuliſſent anno CIↃIↃCLXXII. ab illis Hiſpanus ſtetit, quod eorum interitum omnium Provinciarum Hiſpanico-Belgicarum perniciem conſecuturam eſſe proſpiciebat. Ita denuo bellum exarſit. Hiſpanis Burgundiæ Comitatus iterum ereptus. Meſſina quoque urbs ſeditioſa ac turbulenta ad Gallos defecit; ab his poſtmodum ultro deſerta. Gallis quoque Limburgum, Cameracum, Ypra, Fanum St. Audomari, Aria & Gandavum ceſſerunt. Verum pace Neomagi inita anno CIↃIↃCLXXIX. Galli Burgundiæ Comitatu, urbibusque pleriſque, quas in Belgis expugnarunt, retentis, Limburgum, Gandavum, Cortra-

Pax Aquisgrani facta.

tracum, Aldenardam, Aethiam & Caroloregiam reddiderunt Hiſpanis.

§. 15. Hiſtoriæ Hiſpanicæ ſummam ſtrictim perſecuti, operæ pretium eſſe duximus, de gentis terræque genio quædam addere; tum vires regni, morboſque, & quomodo ſeſe adverſus cæteras nationes gerat, breviter oſtendere. Prudentia genti omnium fere conſenſu tribuitur, lentis conſiliis, & non niſi re bene penſitata, quid facto opus ſit, decernens. Quanquam anxia nimis deliberatione, dum tempus teritur, rerum bene gerendarum momenta ſæpius e manibus demittuntur. In ſententia ſemel ſuſcepta conſtantes Hiſpani, ſi quando conſilia fortuna deſtituit, eam iterato tentant; ſicque fati iniquitatem mollire perſeverantia nituntur. Ad rem militarem non alia gens magis idonea, nec primum tantum impetum ſuſtinere apta, ſed ad continuata etiam belli pericula laboreſque pervicax, inediam, ſitim, pervigilium propter temperantiam & nativam corporum ſiccitatem facile pati. In moribus illud inprimis culpant, quod gravitatis & ſeveræ majeſtatis famam tædioſa nimis verborum geſtuumque oſtentatione captat. Quanquam qui ea familiarius uſi ſunt, affirmant, exoſam iſtam gravitatis affectationem, non tam ab animi vitio, aut arrogantia quadam, quam ab indole natura ſui ad triſtitiam proclivi, pravaque conſuetudine, & raro denique exterorum uſu proficiſci. In ſacris Pontificiis homines ſua ſponte in ſuperſtitionem propenſi incredibilem plerumque animi ardorem præ ſe ferunt; reliquas ſectas, ceu peſtem, deteſtantes. Ab artibus cum labore & moleſtia conjunctis, agricultura videlicet & opificiis, abhorrent: itaque iſta res peregrinis maxima ex parte peragendas relinquunt. Memoriæ proditum eſt, Madriti

Hiſpanorum indoles.

driti (ut de cæteris urbibus nihil dicam) Gallorum circitur XL. millia reperiri; qui mercatores maximam partem, artifices, opifices, & operæ eſſe dicuntur: ii, ut invidiam nominis Gallici effugiant, Burgundos ſeſe nominare ſolent. Nec rebus tam abjectis humilibuſque operam dare Hiſpanos inſitus genti faſtus patitur. Cæterum, in caſtello per omnem vitam militis gregarii munia obire, & excubias agere haud grave putant, propterea quod rei militaris gloria & amplioris fortunæ ſpe omne laboris moræque faſtidium leniunt ac mitigant. Populis etiam, quibus imperant, perinviſos Hiſpanos reddunt arrogantia, crudelitas, avaritia, res ad magnum imperium conſervandum haudquaquam idoneæ. Scilicet peregrinum jugum nemo facile patitur, ſi quando ſe contemni intelligit. Illud quoque ad provincias tam immenſis locorum intervallis disjunctas tuendas inprimis incommodum eſt, quod Hiſpania, incolis nudata, ex milite domeſtico exercitum conſcribere nequit; cujus rei non una memoratur cauſa. Feminæ enim ibi propter intolerabilem cœli æſtum corporumque ſiccitatem haud æque ac in terris ſeptentrionalibus, fœcundæ ſunt. Ingens quoque in regionibus mediterraneis ſolitudo; ſterili ſolo nihil, quod ad vitæ uſum pertinet, proferente. Adhæc vagæ impunitas Veneris publica quaſi auctoritate ſancita, facit, ut ſcorta ſequi, quam uxorem liberoſque alendo conjugii incommoda experiri, plerique malint. Tum quotquot religionis ſe ſacramento obligarunt, quorum ingens eſt multitudo, cælibem vitam degunt. Præterea incredibilem Hiſpanorum multitudinem confecerunt bella paſſim, maxime in Italia & Belgio geſta. Coloniæ quoque in Americam deductæ Hiſpaniam mirum in modum exhauſerunt. Cujus quidem

terræ

terræ incredibili deſiderio tenentur Hiſpani, quod exiguo ſumptu vitam illic tolerare commodiſſime poſſunt. Ea nondum detecta, quantæ Hiſpanorum copiæ fuerint, vel ex eo liquet, quod bello Granadenſi Ferdinandus Catholicus ad obſidionem urbis Malagæ uno tempore equitum XX. peditum L. millia admovit; etſi Arragonia ad bellum iſtud auxilia ſubmittere recuſabat, Portugallia quoque & Navarra necdum cum Caſtellæ Regno erant conjunctæ. Denique non mediocris ad ſolitudinem Hiſpaniæ cumulus acceſſit, poſteaquam Ferdinandus, Granada expugnata, & deinceps Philippus III. aliquot Maurorum ac Judæorum millia Hiſpaniæ finibus ejecerunt; propterea quod iſta hominum colluvies in officio manſura haudquaquam videbatur. Maxima illorum pars in Africa conſedit: inde inexpiabile Chriſtiani nominis odium etiamnum prædones infeſti crudeliter exercent. Illud tandem conſtat, nunquam futurum fuiſſe, ut tantas opes, tantumque imperium Hiſpani per vim ſibi compararent, ni maxima provinciarum pars in ipſorum manus ultro & nullo fere negotio deveniſſet.

§. 16. Ad terras ei genti ſubjectas quod attinet, ampla admodum & pro numero incolarum ſatis magna eſt Hiſpania per ſe. Cæterum, non pari ubique fertilitate agri luxuriant. Loca enim mediterranea ſterilia maximam partem & perpetuo ſolis æſtu torrida, nihil, quod vel ad homines alendos, vel ad pecudes paſcendas uſui ſit, proferunt. In oris maritimis lætus paſſim & uberrimus rerum omnium proventus. Ovium grege inprimis abundat; equorum etiam perniciſſimorum pulcherrimorumque copia, ſed quæ incolis vix ad uſum ſufficiat. Situs ipſius ad mercaturam accommodatiſſimus: ab una quippe parte Ocea- *Hiſpaniæ indoles & natura.*

 no,

no, ab altera mari Mediterraneo circumfuſa portus paſſim habet egregios. Merces in Hiſpanico ſolo natæ exportantur potiſſimum hæ: lana, ſericum, vinum, oleum, uvæ paſſæ, amygdalæ, ficus, mala citria, oryza, ſmegma, ferrum, ſal &c. Hiſpanicarum quidem auri fodinarum ingens olim celebritas fuit. Hiſce temporibus nullum, quod ſciam, aurum aut argentum ibi effoditur. Cauſam ejus rei quidam afferunt eam, quod capitali edicto metallorum iſtorum effoſſio prohibita eſſe dicitur, ut iſte quaſi patrius theſaurus ultimum eſſet extremæ neceſſitatis perfugium. Ego, quidquid auri fodinarum tulit, mortalium avaritia jam pridem funditus exhauſtum eſſe, crediderim.

America. §. 17. Maximam vectigalium & proventuum partem Americæ Hiſpania debet. Inde tanquam ex inexhauſto divitiarum fonte ingens auri argentique vis in eam, & in alias inde Europæ regiones promanavit. Quis, quove tempore terram Europæis tanto intervallo incognitam primus detexerit, ſupra commemoratum eſt. Quanquam ex Britannis nonnulli, Americam a Madoco, Oweni Guiſnethi filio, Walliæ Principe, primum patefactam, ipſumque ſecundo eoque ultimo in eas terras itinere confecto, ad extremum vitam ibi cum morte commutaſſe affirmant, caſtello in Florida ſeu Virginia, vel, ut alii volunt, in Regno Mexicano exſtructo: inde factum, ut in Mexicanorum lingua tot ex Britannico idiomate verba deprehendantur, ipſique Hiſpani quoſdam Chriſtianæ religionis ritus ſub initium adventus ſui apud gentes iſtas notarint. Ob eam cauſam quidam ita ratiocinantur: ſi ut quisque terram antea ignotam inveniſſet primus, ita ejus invadendæ jus eſſet, æquo, immo potiori jure Americam a Britannis, quam ab Hiſpanis, vindicari poſſe.

Sed eam rem in medio relinquimus. Illud certe non ſatis liquet, jurene eas oras, earumque incolas per vim ſibi ſubjecerint Hiſpani, nec ne. Nam quod inter alios occupationis ejus terræ titulos Alexandri VI. diploma, quo imperium ejus Orbis donatum Hiſpano dicitur, afferunt, non ſolum nobis ridicula iſta munificentia videtur, ſed ab ipſis etiam barbaris ludibrio excepta eſt, dictitantibus: Pontificem Rom. mirum eſſe hominem oportere, qui de alieno tam liberalis eſſet. Utcunque ſe res habeat, Hiſpanis poſſidere ſatis eſt: & vero ſi cuncta ad amuſſim exigere, aut ad vivum reſecare velis, pleraque ſane Imperia lubrico & infirmo jure fundata reperias. Illud ne ipſi quidem, qui inter eos cæteris religioſiores ſunt, Hiſpani inficias eunt; crudeliter nimis in miſeros innoxiosque homines ſævitum a ſuis, quorum infinita multitudo aut miſere contrucidata, aut intolerabilibus laboribus oppreſſa eſt, reliquis in miſerrimam ſervitutem redactis Quanquam Carolus V. re deinde cognita, quidquid ex tanta immanitate reliquum Americanorum fuerat, priſtinæ reſtitui libertati juſſit. Americam non totam obtinent Hiſpani: loca fere mediterranea ſibi ſubjecerunt: inter quæ principem locum tenent Regnum Peruvianum & Mexicanum, tum Hiſpaniola, Cuba, Portus Dives, vulgo *Porto Ricco*, ingentis magnitudinis inſulæ. Jamaicam Britanni ceperunt. Eam Americæ partem quinque hominum genera incolunt. Primum eſt Hiſpanorum, qui recentes ex Europa eo commigrarunt: ii cuncta provinciæ adminiſtrandæ munia obeunt. Alterum eſt eorum qui Criolii appellantur, parentibus Hiſpanicis in America prognati. His nullus ad honores aditus patet, quod, rerum Hiſpanicarum ignari, Ame-

Americæ Incolæ.

ricam, in qua nati educatique ſunt, unice diligunt atque colunt. Itaque provinciarum adminiſtrationem cum iſtis communicare veretur Rex, ne, ſeceſſione per rebellionem facta, res novas moliantur, imperiumque Americæ invadant homines Hiſpanis Europæis ſua ſponte perinfenſi. Eandem ob cauſam Proregibus tertio quoque anno ſuccedıtur, nec ultra id tempus imperium unquam prorogatur, ne opibus firmatis dominari in animum inducant. In patriam reverſi cooptantur in Concilium Indicum, tanquam rerum, quæ ad illas terras conſervandas pertinent, peritiſſimi. Tertium genus eſt eorum, qui Meſtecii dicuntur, patre Hiſpano, matre Indica geniti: homines abjecti nulloque numero. Qui ex Hiſpano patre & Meſtica matre nati ſunt, aut contra, eos Quatralvos vulgo vocant: quippe qui unam originis ſuæ partem ab Indis, reliquas ab Hiſpanis trahant. Rurſus ex Meſtico patre, Indica matre, orti, Treſalvi nominantur, tanquam qui tres generis ſui partes Indis, unam Hiſpanis debeant. Quartum genus conſtituunt veterum incolarum reliquiæ: quorum ut plurimum, præſertim eorum, qui in Peruano & Mexicano Regnis habitant, haud ea eſt barbaries, quam ſibi vulgus hominum perſuadeat: leges enim ejusmodi, eaque apud eos inſtituta deprehenſa ſunt, quæ multis in Europa Chriſtianis ruborem incutiant. Ultimo loco ſunt Æthiopes, vel, ut eos Hiſpani appellant, Nigri, qui in Africa coempti eo deportantur, operis gravioris faciendi cauſa. Gens laboris patiens, eademque perfida & contumax, & quæ non niſi imperii ſeverioris frenis coerceri poſſit. Nati ex ejuſmodi Nigro patre & Americana matre, Mulattæ dicuntur. Cæterum, iſta Americæ pars pro magnitudine terræ exigua homi-

minum copia frequentatur; priſcorum incolarum plerisque Hiſpanorum ſævitia deletis. Et, ni fallor, Hieronymus Benzonus memoriæ prodidit, omnes Americæ urbes ab Hiſpanis inhabitatas, ſubducta ratione, vix hominum, qui in ſuburbiis Mediolanenſibus degunt, ſummam explere. Quanquam ſunt, qui mira de iſta terra, & inprimis Mexica urbe prædicant: in ea civium Hiſpanicorum triginta aut quadraginta numerari millia: divitiarum autem tantam magnitudinem eſſe, ut rhedæ, quibus ad magnificentiam locupletiores utuntur, octodecim millium numerum expleant. Ut ut ſit, haud temere tamen ex iſta terra Hiſpanos expellas: difficilis enim locorum, quæ obtinent, aditus eſt, nec tantum copiarum, quantum ad eas oras ſubigendas ſatis ſit, transportari facile ex Europa poteſt. Et ſi maxime poſſet, morbi tamen, quibus ob aeris victusque inſolentiam obnoxii ſunt in iis oris peregrini, impedimento forent. In Peruano regno opes ac ſedem ſuam inprimis firmarunt Hiſpani. Ad eam regionem difficilis & impeditus terreſtri itinere aditus eſt: navibus autem non niſi circa Auſtrales & remotiſſimas Americæ oras, aut, ſi mavis, ex India Orientali adiri poteſt: longinquum utrumque iter, & quod citra valetudinis offenſionem confici a magna multitudine vix poteſt. Quod ad opes Americæ attinet, pecuniæ quidem ſignatæ nihil Hiſpani, quum eo primum appuliſſent, invenerunt, auri vero argentique rudis incredibilis vis fuit: vaſa quoque ex auro argentove ſine ulla inſtrumentorum ferreorum ope fabrefacta magno numero: quæ illi omnia congeſta coacervataque in Hiſpaniam deportarunt; etſi non exigua eorum pars maris fluctibus hauſta in itinere perierit. Hoc vero tempore fluviis, qui alias arenas Opes Americæ.

aureas vehebant, fere omnibus exhauſtis, quod reliquum eſt auri, ex terræ viſceribus effoditur. Cumprimis autem ingens argenti vis ex fodinis, quæ in monte Potoſi in Regno Peruano repertæ, promanat: eo aliisque mercibus onuſta claſſis quotannis ad Hiſpaniæ oras appellitur. Quanquam ad mercatores Italiæ, Galliæ, Britanniæ & Belgii magna ejus argenti pars pertinet. Ita ſementem faciunt Hiſpani, alii fructum percipiunt. Itaque quum de principatu locoque Galliæ Hiſpaniæque legati Romæ contenderent anno CIↃIↃLXIII. & hic inter alia amplitudinis Regis ſui argumenta, opes Americæ commemoraret: ille reſpondiſſe fertur: Multum inde detrimenti cum Europam univerſam, tum vero Hiſpaniam cepiſſe, caritate rerum omnium inducta: Hiſpanos, inveſtigando Novi Orbis gazas, remiſſiores negligentioresque factos: terram incolis nudatam, neglecta agricultura, ſterileſcere: Regem ipſum, opibus fretum, bella non neceſſaria temere moviſſe: quin immo Hiſpaniam ipſam, poſtquam Orbem terrarum pecunia explevиſſet, minimam lucri partem percipere, maximam cæteras gentes, a quibus merces copiasque peteret, ad ſe rapere. Ingens etiam ſmaragdorum copia olim in America fuit. Nec minor margaritarum, quas conchis incluſas urinatores ad dias luminis auras proferebant. Sed iſtud Gazophylacium Hiſpanorum avaritia penitus exinanivit. Super hæc magnum earum mercium numerum, quæ ad rem medicam ac tincturam pertinent, ſuppeditat. Saccharum item magnamque corii bubuli copiam; quod vel ex eo colligi poteſt, quod anno CIↃIↃLXXXVII. tricies quinquies mille quadringenta & quadraginta quatuor ejus generis terga claſſis ab arce St. Dominici, & ex Nova Hiſpania ſexagies quater mille

le trecenta ac quinquaginta vexit. Boves enim ab Hiſpanis primum eo translati in tantam multitudinem excreverunt, ut modo corii gratia glande plumbea icti proſternantur, carne, quæ ad uſum inutilis eſſe perhibetur, projecta. Hæc igitur America, uti princeps Regni Hiſpanici pars eſt, ita, ne eadem ab iſto divellatur, id potiſſimum Hiſpani cavent, ut ne opificia, cæteraque quæ ad mercaturam pertinent, artificia ibi inſtituantur; ut adeo Europæorum mercibus Americani carere nequeant: nec enim eas aliis quam Hiſpanicis navibus eo importari patiuntur.

§. 18. Super hæc Canarias etiam Inſulas Hiſpani tenent, vino generoſiſſimo, ſaccharoque divites. Inde tredecim cadorum millia vino Canario repletorum, quorum ſingula vicenis ſterlingarum libris conſtat, exportare Anglos, memoriæ traditum eſt. Sardinia quoque inſula ſub eorum imperio eſt, ſatis magna illa quidem ſed opibus non admodum abundans, & incolis ſemibarbaris referta. Sicilia multo majori in pretio eſt, magnam frumenti ſericique vim ſuppeditans: in gente ipſa ingenium fallax & ſubdolum notatur, & quam frenis coerceri & per metum in officio contineri expediat. Vetus proverbium documento eſt: *Inſulani quidem mali, Siculi autem peſſimi.* Ad Siciliam pertinent Melita & Gozo inſulæ: eas Ordini Equeſtri ex Rhodo inſula ejecto ſub conditione fiduciariæ clientelæ conceſſit Carolus V. Magnam præterea Italiæ partem Hiſpani obtinent: Regnum Neapolitanum, cujus quidem metropolim vix trium caſtellorum metus in officio continere poteſt. Supremo item Senarum urbis imperio gaudent, aliorumque etiam in oris Hetruriæ caſtellorum, Orbitelli, Portus Herculei, Telamonis, Montis Argentarii, Portus

Canariæ Inſulæ.

Sardinia.

Sicilia.

Regnum Neapolitanum.

tus Longi, & Piombini. Item, nobiliſſimum Ducatum Mediolaneuſem in poteſtate habent: quæ quidem terra Italiæ, quemadmodum ipſa Italia Europæ, dicitur Paradiſus: tum Portum Fauſtinum ſeu Finalem, qui in oris Genuenſis Reip. eſt. Mediolani artificia, quæ ad mercaturam pertinent, inprimis florent: & Ducatus iſte Hiſpanis eo majori in pretio habendus eſt, quod ad res neceſſarias inter provincias familiæ Auſtriacæ atque Hiſpaniam ultro citroque communicandas accommodatiſſimus eſt. Dum Burgundia cum toto Belgio conjuncta unius regebatur imperio, mediocris etiam Regni amplitudinem adæquabat. Burgundia autem hoc tempore avulſa eſt. A Belgio Provinciæ ſeptem Fœderatæ ſeceſſionem fecere, de reliquo partes nobiliſſimas Gallia decerpſit: & quanquam in iis, quæ ſuperſunt, Provinciis Hiſpano-Belgicis, amplæ pulcherrimæque urbes relictæ ſunt, non aliam tamen Hiſpanis utilitatem præſtare videntur, quam quod hoc veluti clauſtro objecto a cæteris, quas tenent, regionibus, Gallorum arma prohibeantur, ac belli ſede eo translata, impetus hoſtilis ita retundatur, ut confectis viribus, ad hoſce quaſi ſcopulos adhæreſcat. In India Orientali ſub imperio quoque Hiſpanorum ſunt Inſulæ Philippinæ. Princeps earum urbs Manilla dicitur, capta ab Hiſpanis anno CIƆIƆLXV. eæ per ſe haud magni momenti ſunt: itaque de iis deſerendis ſæpius agitatum. Verum tamen, quæ ex diverſis terris, maxime China, Manillam deportantur merces Indicæ, in Novam inde Hiſpaniam Regnumque Mexicanum transvehuntur: atque adeo per eas Inſulas inter utriusque Indiæ provincias Hiſpanicas mercaturæ commercium intercedit.

Ducatus Mediolanenſis.

Belgium.

Inſulæ Philippinæ.

§. 19. Ex iis, quæ diximus, apparet, ingentes per ſe Hiſpanici Regni vires eſſe, gentemque iſtam

Hiſpaniæ vires ac

iſtam ampliſſimum imperium tenere in provincias complures nobiliſſimas pariter & opulentiſſimas diffuſum: quæ non ſuis tantum incolis alendis pares ſint, ſed ad innumeras etiam res vitæ ſeu neceſſarias ſeu utiles aliis nationibus impertiendas ſufficiant. Nec Hiſpanis ipſis aut domi in pace conſilium, aut foris in bello animis virtusque deeſt. Morbis tamen haud paucis Regnum vaſtiſſimum infeſtatur, qui vires ejus uſque adeo labefactant, ut ſuſtinere ſeſe vix ac ne vix quidem poſſit. In iis numerari inprimis poteſt incolarum paucitas: quæ quidem nec in officio continere provincias tam amplas & Hiſpanico nomini ſua ſponte infenſas, nec bellum ab hoſte validiore illatum propulſare valet. Neque ſupplere iſtam hominum inopiam ex provinciis ſibi ſubjectis commode poteſt: intereſt enim ſecuritatis ejus, ut virtus provincialium virilisque vigor enervetur, qui jugum alioquin, creſcente audacia, facile excuterent. Et quantaſcunque demum militum manus ex iſtis provinciis conſcribant Hiſpani, eorum tamen opera ad caſtella arcesque in patrio ſolo tutandas quum uti nequeant, in alias terras dimittere neceſſe habent, ita tamen, ut rei ſumma non niſi Hiſpanis committatur. Itaque vix tantum militum, qui tot caſtellis præſidio ſint, ſuppeditare Hiſpania poteſt, quantum ad provincias firmandas tuendasque ſatis ſit. Quapropter, ſi quando bellum cum exteris incidit, peregrino milite ac mercenario ut plurimum uti neceſſe habet: ita præter ſumptus immenſos, quibus ad iſtas copias conducendas opus eſt, illud etiam incommode accidit, quod earum haud perinde tuta fides eſt, ac ſi quis domeſtico Rex milite utatur. Eadem quoque hominum penuria facit, ut claſſem numeroſam ſuſtentare Hiſpania

amplius nequeat: cujus tamen ad imperium conſtabiliendum magnus eſt uſus. Tum illud etiam Hiſpanorum potentiam haud parum affligit, quod illorum provinciæ non in unum collectæ ambitum, ſed ſparſæ paſſim, & immenſis Oceani locorumque intervallis disjunctæ jacent. Quam ob rem incredibile dictu eſt, quam impedita ſimul & incommoda adminiſtratio earum ſit atque conſervatio. Neque enim Rex ipſe intendere animum curamque e propinquo, qua ratione Provinciam ſuam quique Præfecti gubernent, propter locorum longinquitatem poteſt: &, ipſis provincialibus Præſidum injuria oppreſſis, omnis ad Regem compellandum aditus intercluſus eſt: pecunia quoque & homines magno cum labore nec impenſis minoribus illuc ſubmittuntur: qua re nativis quaſi bonis Hiſpania ſpoliatur. Nec in unum collectas habere vires poteſt, tot tantisque provinciis diſcerptas. Quo plus eſt terrarum, eo majore caſtellorum præſidiariorumque multitudine ad fines tuendos opus eſt: quibus Regnum continenti finium compage incluſum carere facile poteſt. Plures etiam ſimul, alius aliis in locis, adoriri eos nullo negotio poſſunt: mutui auxilii ferendi facultate omnibus pene provinciis adempta. Ad hæc America, ærarium Hiſpaniæ, vaſtiſſimo ſubmovetur Oceano, in quo tempeſtatis prædonumque injuriæ claſſes argentiferæ obnoxiæ fiunt. Ex iis, ſi qua naufragio perit, ſumma Reip. inopia argenti impedita ſubſiſtit; reliquis Hiſpanicæ ditionis regionibus adeo exhauſtis, ut ex earum ſtipendiis ſatis magna argenti ſumma confici nequeat. In ordinanda mercaturæ Americanæ ratione vehementer etiam peccatum eſt ab Hiſpanis; eo quod maxima divitiarum ejus terræ pars, dum ad peregrinos redit, facultatem iis præbet Hi-

Hiſpaniam ſuo ipſius gladio jugulandi. Poſt Philippi II. memoriam non mediocri Hiſpaniam detrimento affecit Regum ſubſequentium ſocordia, & quod hodiernus Rex ſero in ſuam tutelam venit, Regnumque non ſatis mature capeſſere per leges potuit: per eam enim occaſionem Primorum Hiſpaniæ potentia usque adeo crevit, ut non ſolum Regi ea, qua decet, promtitudine præſto non ſint, ſed etiam opibus totius Regni direptis communi incolarum egeſtate ſeſe locupletarint. Vitium tandem omnibus Rebuſpublicis, in quibus Pontificia dominatur ſecta, commune eſt, quod nimiis opibus ſacer ordo luxuriat: qui tamen jure divino immunem ſeſe ab omnibus oneribus eſſe contendit, nec, niſi ubi ad extrema ventum eſt, pauxillum argenti Reip. conſervandæ cauſa, idque gratuito munere & non niſi Pontificis conſenſu, ſuppeditare in animum inducit. Gaudet tamen Hiſpanorum Rex privilegio ab Hadriano VI. conceſſo, quo Sacerdotiorum majorum omnium diſtribuendorum ipſi permittitur arbitrium. Idemque, quum ſe acerrimum ſedis Pontificiæ Religionisque propugnatorem adhuc profeſſus ſit, omnes ſibi Zelotas, ac Jeſuitas inprimis, devinxit, qui quidem ejus commodis omnibus modis velificantur.

§. 20. Reliquum eſt, ut, quomodo adverſus finitimos Hiſpania ſeſe gerat, quidve boni maliive ſperare a ſingulis poſſit, diſpiciamus. E regione Barbariæ oppoſita nonnulla in iis oris caſtella tenet, Pegnonem de Velez, Oranum & Arzillam: & e re ipſius foret, ut Algirium quoque & Tunetum adhuc in ditione ſua haberet. Ab ea parte nihil ei periculi metuendum eſt, vana Maurorum proſcriptorum ſine viribus ira, & quod reliquum erat odii in animis exſulum, penitus exſtincto. *Quomodo Hiſpaniæ cum finitimis conveniat, ſpeciatimque cum Barbaris.*

ſtincto. Nam quæ ex ſtationibus Barbariæ in mari fiunt prædationes, non tam Hiſpanis nocent, quam aliis nationibus, quibus cum Hiſpanis, Italis aut Turcis mercaturæ commercium intercedit: neque enim ſuas Hiſpani merces ipſi exportare ſolent, ſed ab illis cæteræ Europæ gentes ultro petunt.

Turcis

Turcarum quidem Imperator Siciliæ & Sardiniæ Inſulis, Regnoque Neapolitano vehementer imminere videtur. Verum tamen haud metuendus Hiſpanis eſt: propterea quod non modo interjectum mare, quo minus juſtus exercitus tranſportari commode & in terram exponi poſſit, impedit; verum etiam quod hoſtilis exercitus, etiamſi continentem obtineat, vaſto interpoſito Oceano commeatu intercludi nullo negotio poteſt: præſertim quum omnes Italiæ Reſpublicæ, ſi quando in eum locum ventum eſſet, conjungere ſuas vires cum Hiſpanis neceſſe haberent, ut crudeliſſimum hoſtem a ſuis finibus arcerent. Quarum quidem res, coactis in unum claſſibus, Turcarum viribus longe ſuperior eſt.

Italis;

Nec ab hiſce Italiæ Rebusp. quidquam periculi Hiſpaniæ impendere videtur; quod & hæc nihil antiquius pacis in Italia conſervandæ ſtudio habet, (ne per inteſtini belli occaſionem Galli imprudentibus obrepentes ſedem in iis terris firment) & illæ conſilia ſua eodem quoque unice dirigunt. Quod ſi vero latius in Italia, quam nunc eſt, propagare ſuam potentiam Hiſpania conabitur, ſumma haud dubie vi iſti molitioni reſiſtent Reſpublicæ Italicæ: Gallum etiam, ſi ſuis diffiderent viribus, nulla interpoſita mora ſibi adjuncturæ.

Pontifice R.

Quod ad ipſum Pontificem attinet, ſalivam ei fortaſſis moveat Regnum Neapolitanum, quod ſub conditione clientelæ fiduciariæ a Pontifice conceſſum Hiſpani tenent: ut videlicet uberiorem ſuos nepotes,

potes, , quos vocant, ditandi facultatem habeat. Cæterum, nec ipſi Pontifici ſatis virium eſt ad conſilium illud exſequendum, & reliquæ etiam Italiæ Reſpublicæ ſumma ope obſtituræ videntur, ne tantum Regnum Imperio Eccleſiaſtico adjiciatur. Et ſunt alioquin Pontificis nepotes ad ingentes e vectigalibus Eccleſiaſticis opes comparandas, quam ad neceſſarios belli ſumptus ſuppeditandos, procliviores. Rurſus Hiſpanus, quum ſuis rationibus inprimis conducere intelligat, ut ſe principem Eccleſiæ Romanæ propugnatorem profiteatur, ipſeque Pontifex, prout magis minusve Hiſpano favet, ita ejus conſiliis aut prodeſſe multum aut officere queat, Pontificem omnibus modis ſibi conciliare & adjungere ſtudet. Quanquam e contrario Gallorum Rex, qui Proteſtantes, ut vocant, adhuc defendendos ſuſcepit, quos opprimere Hiſpania & Auſtria conatæ ſunt, declaravit Romanæ curiæ, Hiſpaniam non tam de Religione laborare, quam ut Proteſtantium bonis locupletata ea via ad ſummum expetitæ tantopere Monarchiæ faſtigium adſcenderet: ea adepta, vicaria tantummodo Pontificis opera uſuram. Itaque nihil magis Pontifices prudentiores optant, quam ut vires utriusque Regni, Hiſpaniæ videlicet & Galliæ, quaſi in æquilibrio poſitæ æquo momento diſcrimen partiantur: id enim ad Pontificiæ majeſtatis ſecuritatem auctoritatemque conſervandam inprimis utile eſſe conſtat. A Venetis quoque, qui cum potiſſimum Venetis; ſcopum ſibi propoſitum habent, ut Remp. ſuam. libertatemque cum totius Italiæ quiete conſervent, quod Hiſpania ſibi metuat, nihil eſt; dummodo eos miſſos faciat, nec in eorum Remp. quidquam moliatur. Atque non minus ipſorum, quam reliquarum Italiæ Rerump. intereſt, ut Mediolanum

in

Digitized by Google

in ditione Hiſpanorum maneat, ne Gallorum Rex, eo Ducatu ſubacto, aditum habeat ad reliquas Italiæ provincias invadendas. Quod ſi vero Hiſpani quidquam periculi libertati Italiæ molirentur, dubium non eſt, quin Veneti, ſi non aperto Marte, conſiliis ſaltem occultisque machinationibus atque pecunia iis reſtituri ſint. De reliquo, Reſpublica illa mediam ſeſe Galliam inter & Hiſpaniam gerendo amicitiam colere cum utraque tantiſper ſtudet, dum commodis ejus neutra officiat. Genuenſis quoque Reip. ſalus magno Hiſpanis momento eſt ad ſecuritatem & conſervationem terræ Mediolanenſis confirmandam. Itaque quum Andreas Doria ſe permiſſurum negaret, ut caſtello inædificato Carolus V. eam in poteſtatem Hiſpanorum redigeret, aliam deinceps Hiſpani viam ejus civitatis ſuis rationibus adjungendæ inierunt: ingentem quippe pecuniæ ſummam ab ea mutuum ſumſerunt, aliqua vectigalium Regiorum parte in Hiſpania illi oppignerata. Portum inſuper Finalium ſibi ſubjecerunt Hiſpani, ne in Genuenſium manu eſſet, maritimum cum Mediolanenſibus commercium intercludere. Cum Sabaudiæ Duce cur amicitiam jungere debeat Hiſpanus, magnam habere cauſam videtur; propterea quod is, ſi quando cum Gallis ſeſe conjunxiſſet, ingens Mediolanenſi terræ diſcrimen allaturus eſſet. Sed tamen quoniam, ſi Mediolanum Galli obtinerent, iidem etiam Sabaudiæ nocituri videntur, (Gallorum quippe viribus undiquaque circumcluſa foret) Hiſpani ejus benevolentiam conſervare haud difficulter poſſunt. Hetruriæ reliquique Italiæ Principes Hiſpanum ultro offendere in animum haud inducent: iidem tamen injuriam ſibi fieri, aut quidquam de imperii finibus decerpi, quantum in ſe eſt, haud-

Genuenſibus; Sabaudiæ Duce; Florentinis;

haudquaquam patientur. In Helvetiorum quoque amicitia aliquid momenti poſitum eſt Hiſpanis, qua militibus conſcribendis, qua terra Mediolanenſi tuenda: ii non niſi pecunia & largitionibus conciliari poſſunt. Quoniam autem Helvetiorum gens ſacrorum cultu diverſa in partes abiit, plurimum apud Pontificios fere Hiſpani poſſunt: Evangelicos, ut vocant, Galli ſibi adjunctos habent, qui & reliquos viribus antecedunt. Superioribus bellis aut argento, aut blanditiis, ſeu metu ſopiti, Gallos Burgundiam, quem tamen Comitatum olim tuendum ſuſceperant, pro lubitu lacerare iidem paſſi ſunt. Gentem Batavam Hiſpania usque ad Pacificationem Monaſterienſem atrociſſimum experta eſt hoſtem. Poſt id vero tempus huic non admodum metuenda videtur: quæ enim tanta libido incedere poteſt Batavos, Hiſpaniam adoriendi, & vel minimam ejus provinciam ſubigendi, quum ſua tueri ac præſentem Reip. ſtatum conſervare vix ac ne vix quidem poſſint? Et ſi vel maxime quidquam in Indiam Occidentalem molirentur, tamen ibi non ipſi ſolum Hiſpani iis ſuſtinendis propulſandisque pares forent, ſed Britanni etiam & Galli haudquaquam permiſſuri eſſent, ut utramque Indiam, inexhauſtos illos divitiarum fontes, Batavi ſimul obtineant. Quin immo ipſum Batavum ſua ipſius ſalus cogit, quantum in ſe eſt, prohibere, ne Provincias Hiſpano-Belgicas Gallus ſibi ſubjiciat & proxime ſuos fines dominetur, aut ulla denique re Hiſpanis multo ſuperior exiſtat. Germaniæ vires opesque ſuas ducere Hiſpania poteſt, quatenus earum arbitrium penes familiam Auſtriacam eſt. Quin immo perſuaſum eſt non ita pridem Ordinibus Germaniæ, ut fide ſua interpoſita ſecuritatem Circuli Burgundici denuo præſta-

Helvetiis; Batavis; Germaniis;

ſtarent : hoc pacto Imperium Romanum cum ſua cauſa perpetuo adverſus Gallos conjunctum ſeſe habituros Hiſpani confidunt : nec enim ulla inter utrumque Regnum oriri controverſia poteſt, quin Regio iſta ſimul ejus contagione inficiatur : præſertim quod ea terra ad bellum ultro citroque inferendum accommodatiſſima eſt. Britanni quidem cum bellis navalibus tum in America haud leve Hiſpanis damnum afferre poſſent; ſed exiguo ſuo commodo : ſiquidem non in Hiſpanicas ſolum oras negotiandi cauſa naves complures mittunt, & Orientis commercium maritimum a prædonibus Hiſpanorum ingenti affici detrimento poſſet ; ſed etiam Batavi haud æquo laturi eſſent animo, Britannos ullas ſibi vires paulo majores in iis oris comparare. Luſitani per ſe quidem ipſi haud multum detrimenti Hiſpanis inferre queunt, niſi quod his bello externo implicitis, domi negotium faceſſere, & invitos ab hoſtibus avertere poſſent : qui tamen haud magnum ex ea re compendium capturi videntur : nec difficulter forſan ad Hiſpanorum partes perduci poſſent Batavi, occaſione ſibi Luſitanos ex India Orientali penitus ejiciendi oblata. Capitalis igitur Hiſpanorum hoſtis & ſolus extimeſcendus eſt Gallus : cui ad incommodandam Hiſpaniam nec vires, nec ad reliquas Belgii Hiſpanici Provincias ſubjugandas voluntas quoque deeſt : quin etiam facile eum alias quoque partes adoriendi libido inceſſerit : verum tamen, ſi quid adhuc loci vetuſtis Politices præceptis relictum eſt, ſuſpicari licet, pro ſe quemque, ad quem injuria oppreſſæ Hiſpaniæ pertineret, quantum in ſe eſt, prohibiturum, ne omnium libertas, ſalus & fortunæ ab unius arbitrio pendeant. Hiſpaniæ autem quæ conditio futura ſit, ſtirpe Regia, quæ, (ut nunc

Britannis ;

Luſitanis ;

Gallis ;

nunc eſt) infirmis ſubnixa radicibus marcet, exſtincta, humana ratione proſpici vix poteſt: nec enim ipſe modo Gallus adverſus Regnum Rege ſuo orbatum graſſaturus eſſe, verum etiam una alterave Reſpublica, quam Familia Regia Hiſpaniæ conciliavit, defectura ab ejus ſocietate videtur.

CAPUT III.

DE PORTUGALLIA.

Portugallia maximam ejus Provinciæ partem complexa, quam Luſitaniam Romani appellarant, quum ultimo Gothorum Rege Roderico una cum reliqua Hiſpania in Maurorum poteſtatem veniſſet, diu ſub eorum imperio fuit. Alfonſus vero VI. Caſtellæ & Legionis Rex bellum adverſus Mauros omni vi parans, anno circiter CIↃXCIII. quum ex peregrinis etiam terris auxilia evocaſſet, venit inter alios Henricus, operam militarem Regi navaturus: de cujus ſtirpe inter Scriptores haud convenit. Sunt qui eum ſtirpe Burgundica ortum eſſe dicunt: ipſum filium natu minorem Roberti Burgundiæ Ducis fuiſſe; hunc patrem habuiſſe Robertum Gallorum Regem, Hugonis Capeti filium. Alii eum a Familia Lotharingica originem ducere affirmant; ſed Veſontione natum Burgundum vulgo habitum eſſe. Henrici virtutem resque præclare geſtas digno præmio remuneraturus Alphonſus VI. filiam ſuam notham, nomine Thereſiam, ei elocavit, dotis nomine quidquid terrarum in Portugallia tum temporis Chriſtiani tene- *Regni Portugalliæ origo.* *Henricus Comes Portugalliæ.*

 bant,

bant, (quo quidem ſpatio oppida Braca, Coimbra, Viſeo, Lamego, & Portus continebantur,) titulo Comitatus inſignitum, una cum ea parte, quæ nunc Transmontana dicitur, aſſignavit: poteſtate etiam omnem iſtam Regionem ad Guadianam fluvium usque Mauris eripiendi retinendique facta: ea tamen lege, ut in fiduciaria Regis Legionis clientela eſſet, ejus comitia obiret, & ſi quod bellum incidiſſet, trecentos equites auxiliares mitteret. Obiit Henricus anno a Chr. nat. CIϽCXII. Alfonſo filio tenera ætate relicto. Ejus ditionem Ferdinandus Paczius, Traſtamaræ Comes, vitricus, cui mater illius impudica nupſerat, privigno impubere, invaſit. Is autem poſteaquam adolevit, arma adverſus vitricum capit, atque eundem ex Portugalliæ finibus fundit fugatque: matrem autem in carcerem compingit. Quæ Alfonſi VII. Caſtellæ Regis opem implorat, eique ſe Portugalliam, exheredato filio, conceſſuram pollicetur. Alfonſus autem Portugalliæ Princeps, Caſtellanis prælio victis, ejus ſe victoriæ beneficio ab imperio Caſtellanorum penitus liberatum eſſe contendit anno CIϽCXXVI. Idem Alfonſus anno CIϽCXXXIX. expeditionem in Iſmarum Regem, qui trans Tagum fluvium imperium obtinebat, ſuſcepit: ei una cum Regulis Maurorum quinque Iſmarus infeſto agmine obviam proficiſcitur. Ibi tum Alfonſus in caſtris ad Cabecas des Reges Rex ſalutatur, ut & ipſi & univerſo exercitui major alacritas lætitiaque injiciatur: inde inſigni victoria parta, vexillis prætoriis Regum V. potitur: itaque ſcuta minora V. in inſignia Portugalliæ transferri, & ſe Regem deinceps appellari juſſit. Multa deinde oppida Mauris eripuit, & in iis Oliſipponem CIϽCXLVII. opera claſſis Belgicæ. Alfonſus a

Alfonſus Rex Portugalliæ.

Fer-

Ferdinando Legionis Rege captus in oppido Badajoz, anno cIↃcLXXIX. gratis dimittitur: hac tamen conditione, ut quas in Gallicia urbes expugnaſſet, reſtitueret. Moritur ætatis anno LXXX. Chriſti cIↃcLXXXV. finibus Regni pariter ac gloria mirandum in modum propagatis.

§. 2. Ei ſucceſſit Sanctius filius, qui multis oppidis conditis, & incolis completis, Selvam urbem Maurorum expugnavit, opera claſſis cujusdam Belgicæ, quæ ad bellum Palæſtinum proficiſcebatur. Cæterum, perpetuis Maurorum motibus jactatus diem obiit anno cIↃccXII. Hunc Alfonſus filius cognomento Craſſus excepit; a quo nihil memorabile actum eſt, niſi quod ope proficiſcentis in Palæſtinam claſſis Belgicæ Alcaſſarem oppidum Mauris eripuit. Vita exceſſit anno cIↃccXXIII. & imperium per manus tradidit Sanctio filio, qui cognomento Capellus dicebatur: ei propter ſocordiam, & quod uxoris imperio obnoxius eſſet, Regnum abrogatum ad Alfonſum fratrem Portugalli tranſtulerunt. Anno cIↃccXLVI. Toleti moritur in exſilio. Memoriæ proditum eſt a Portugallis, eum ex omnibus Luſitaniæ Regibus ſolum nullos ſeu nothos, ſeu legitimos reliquiſſe liberos. Alfonſus Sanctii frater, Mathilde uxore ſua, eademque Bononiæ Comite, quod & ætate provectior & ſterilis eſſet, deſerta, Beatricem Alfonſi X. Caſtellæ Regis filiam matrimonio ſibi junxit, quæ Algarbiam dotis vice ad ipſum detulit: quanquam & ipſum & univerſum Regnum, quod cum priori uxore divortium feciſſet, Pontifex proſcripſit. Cæterum, Regnum bene adminiſtratum multis amplificavit urbibus. Fatis conceſſit anno cIↃccLXXIX. Dionyſii filii virtutes, & inprimis juſtitiam, liberalitatem, ac veritatis ſtudium miris ad cœlum laudibus

Sanctius I.

Alphonſus II.

Sanctius II.

Alfonſus III.

Dionyſius.

bus ferunt Luſitani: Regnum compluribus ædificiis cœnobiisque, in quibus eſt Academia Conimbricenſis, exornavit. De eo vulgo a Portugallis jactatur proverbium: *El Rey D. Denys*, *qui fiz*, *quanto quin*. i. e. *Rex Dionyſius*, *qui quantum*
Alfonſus IV. *voluit*, *fecit*. Vita fungitur anno CIƆCCCXXV. Alfonſus IV. ejus filius, cognomento Fortis, ingentem ſibi gloriam in bello otioque peperit; niſi quod fratrem nothum, patri atque univerſo populo inprimis charum, præter jus faſque perſecutus e finibus Regni ejecit: item, quod D. Agnetam de Caſtro, feminam inſigni forma præditam, quam Petrus filius clam in matrimonium duxerat, interfici juſſit: ea re Petrus irritatus, quum adverſus patrem arma cepiſſet, magna paſſim damna intulit, donec ad extremum compo-
Petrus. ſita res eſt. Deceſſit anno CIƆCCCLVII. Petrus ejus filius vulgo Crudelis cognominatur: quanquam ejus ſeveritatem in laude multi ponunt, quod rigidiſſimus juſtitiæ vindex facinoroſos exquiſitiſſimis ſuppliciis affecerit. Obiit anno CIƆCCCLXIIX.
Ferdinandus. Ferdinandus ejus filius cum Henrico notho, qui fratrem ejus, Petrum Crudelem, Caſtellæ Regem occiderat, de Caſtellæ Regno contendit: Beatricem matrem ſuam, Sanctii IV. Caſtellæ Regis filiam fuiſſe, cauſſatus. Enimvero ex Proceribus multi civitateſque ejus Regni complures ei ſeſe dediderunt: qua re atrociſſimum cum Henrico bellum exſtitit: viribus impar quum jus ſuum perſequi non poſſet Ferdinandus, pacem cum Henrico facere cogitur. Cæterum, anno CIƆCCCLXXIII. denuo inter utrumque exarſit bellum: propterea quod nonnullos crimine læſæ Majeſtatis damnatos Ferdinandus receperat, nec repetitos dimiſerat. Itaque Henricus impreſſione in Luſitaniam facta, longe lateque per agros, nemine reſiſtente,

populabundus vagatur. Henrico mortuo pacem Ferdinandus cum Johanne ejus filio init, quam vero Luſitanus haud diu ſervavit: Lancaſtriæ quippe Ducem, qui Conſtantiam, Petri Caſtellæ Regis filiam, in matrimonio habebat, incitat ad Regnum Caſtellæ vindicandum: & venit is infeſto agmine eoque ſatis magno in Portugalliam. Cæterum, quum & in Luſitania ab injuria Britanni haud abſtinerent, & eos belli Hiſpanici brevi tæderet, inclinantibus ad pacem omnium animis, ab armis diſceſſum eſt. Exinde filiam ſuam, nomine Beatricem, Ferdinandus Rex Johanni Caſtellæ Regi nuptum locavit: ea conditione, ut qui ex eo matrimonio naſcerentur liberi, in Portugalliæ Regnum ſuccederent. Ea ingentium deinceps bellorum cauſa exſtitit. Cum Ferdinando, qui bellis infeliciter geſtis multum Regno ſuo detrimenti attulit, ſimul germana Regum Luſitaniæ ſtirps eſt exſtincta anno CIↃCCCLXXXIII.

§. 3. Ferdinandi obitum ingentes in Portugallia mutationes conſecutæ ſunt: Luſitanorum plerique in Caſtellanorum ſibi inviſiſſimorum ditionem ſeſe venturos eſſe ægre ferebant. Pactis quidem nuptialibus inter Caſtellæ Regem & Beatricem Ferdinandi filiam initis cautum fuerat, ut Eleonora ejus mater imperio Luſitaniæ tantiſper præeſſet, dum ſuſceptus ex eo matrimonio filius in ſuam tutelam veniſſet. Sed Eleonoram perinviſam popularibus reddidit nimia & ſuſpecta erga Comitem de Andeira benevolentia; penes quem in aula ſumma rerum & arbitrium erat. Itaque eum clam interfecit Johannes, Petri nothus. Quamobrem & Johannem populus majore amore proſequi, & viduam Regiam impenſius odiſſe cœpit. Sed quum in Luſitania non idem omnes ſentirent, quidam a Caſtellæ Rege, ut Regnum *Interregnum.*

Luſitaniæ ſuſciperet, petierunt: & cœpto reſponſura fortuna videbatur, ſi celeritate adhibita, aut bona cum ſubjectorum pace, aut vi Regnum occupaſſet. Sed & cunctando ſpatium adverſariis ad vires firmandas dedit, & frigidum ipſe ac lentum nimis conſilium cepit; ut ſine armis prægreſſum exercitus ſubſequeretur. In Portugalliam ubi venit, depoſitum ſocrus Regnum ei detulit: ipſe Luſitanos parum ſui ſtudioſos aut benevolos habuit: cujus rei inter alia ea quoque cauſa fuit, quod raro nimis homines compellabat. Sed tamen Primores nonnulli & civitates cum eo ſeſe congregarunt: maxima vero pars ab jugo Caſtellanorum abhorrens, Ducem elegit, Johannem nothum, virum prudentem, ſtrenuum & populo inprimis charum. Caſtellani obſeſſa Oliſippone diſcedere re infecta coguntur, maxima exercitus parte luc peſtifera conſumta. Inſequente anno

Johannes Nothus. cIↃcccLxxxv. Johannes, a Portugallis Rex creatus, haud ingratus pleraque oppida Caſtellanorum fidem ſecuta in ordinem cogit, & Caſtellanos Luſitaniæ fines infeſto agmine ingreſſos acie victos profligat: ejus victoriæ memoriam Portugalli ſolenni quotannis feſto celebrare dicuntur. Inde reliquæ civitates novo Regi haud gravate ſeſe dediderunt. Portugalli irruptione quoque in Caſtellæ fines facta Lancaſtriæ Ducem ad auxilium ferendum evocant, ſpe Regni Caſtellani oſtentata. Britannorum copiis vi morborum vehementer attritis, pacem Lancaſtriæ Dux ea quidem lege init, ut Catharinam, filiam ſuam unicam e Conſtantia Petri Caſtellæ Regis filia prognatam Regis Caſtellæ filius in matrimonium duceret. Poſtea induciæ Caſtellam inter & Portugalliam fuere: ad ultimum, quum bellum recruduiſſet, æterna firmata pax eſt anno cIↃccccxcIx. Ita Regnum Por-

Portugalliæ recens partum Johannes defendit feliciter, & laudabiliter adminiſtravit. Motibus inteſtinis coortis, ſuſcepta in Africam expeditione Ceutam urbem expugnat anno cIↃccccxv. Ejus filius quoque Maderam Inſulam primus reperit anno cIↃccccxx. Ipſe diem obiit ſupremum anno cIↃccccxxxIII. memoriamque ejus Portugalli mirifice colunt.

§. 4. Eduardus ejus filius, inſignis virtute Princeps, haud diu imperium geſſit: eo regnante quum peſtis Luſitaniam vehementer infeſtaret, ipſe epiſtolæ venenatæ contagione infectus moritur anno cIↃccccxxxIIX. Sub ejus imperio fratres, infelici in Africam expeditione ſuſcepta, ad Tangeram oppidum capiuntur, Maurisque ſe Ceutam urbem reſtituturos eſſe, polliceri coguntur, Ferdinando obſide relicto. Sed quum pactis ſtare Ordines Portugalliæ recuſarent, obſes miſeram in captivitate vitam neceſſario exegit. Alfonſus Eduardi filius puer erat ſexennis: ejus tutelæ mater paterno teſtamento præfecta fuerat. Sed Ordines muliebre adſpernati imperium, adminiſtrationem Regni Petro, Eduardi fratri eidemque Coimbriæ Duci, detulerunt. Is indignum laboris præmium tulit: falſis ad novum Regem criminationibus delatus, quum ſui purgandi cauſa militum manu ſtipatus adveniſſet, interficitur. Quanquam non deſint, qui eum rebellionis adverſus Regem ſuſceptæ incuſent. Erat alioquin Alfonſus V. virtute & rei militaris peritia clariſſimus: eo imperante Luſitani complura oræ Africanæ oppida, Tangeram, Aricillam & Alcaſſarem expugnarunt. Magna quoque auri vis in Portugalliam ex Guinea advehebatur: ex eo illud monetæ genus, quod Cruſades vulgo appellant, Rex cudi juſſit. In magnas inde contentiones cum Ferdinando Catholico & Iſabella Alfonſus incidit;

Eduardus. Alfonſus V.

quod Johannam Henrici IV. Caſtellæ Regis filiam notham & ex adulterino, ut vulgo ferebatur, complexu natam ſibi deſponſaſſet. Quo minus nuptiæ fierent, ſanguinis reverentia (erat autem ſororis Alfonſi filia) obſtabat: quanquam eos Pontifex, quod initio recuſaverat, poſtea religione ſolvit. Exin Alfonſus, nomine & inſignibus Regiis Caſtellæ aſſumptis, oppida nonnulla capit, ex Primoribus ejus Regni multis ad eum deficientibus. Tum Ludovicus quoque XI. Gallorum Rex milites ſubſidio mittit, quibus haud multum eſt profectum: & quum Ferdinandus, ſecunda uſus fortuna, capta a Luſitanis oppida per vim recepiſſet, & ipſos ad Toro oppidum anno CIↃCCCCLXXVI. iterum anno CIↃCCCCLXXIX. ad Albuheram acie viciſſet, aliis deinde cladibus illatis, Alfonſus deſperato proſpero rerum ſucceſſu, pacem facit, Regno Caſtellæ juxta atque Johanna ſponſa ejuratis: ei tamen Johannem Ferdinandi filium infantem adhuc, conjugem fore ſpondent Hiſpani. Illa ſeſe ludibrio haberi rata cœnobio ſe mancipavit anno CIↃCCCCLXXIX. Ita commodi nihil, damni multum ex eo bello percepit Portugallia. Alfonſus moritur anno CIↃCCCCLXXXI. dolore (ut fertur) cadentis ad irritum tantæ ſpei, poſtquam & ſponſa ſua & Caſtellæ Regno ſe excidiſſe vidit, confectus. Johannes filius ſuccedit: in eum periculoſiſſima conflata fuerat conjuratio, quæ quidem detecta præter complures alios necem & exitium attulit etiam Duci Bragantino, & Duci de Viſeo, quem ſua manu Rex gladio transfixum occidit. Ad navigationem Indiæ Orientalis idem Johannes viam patefecit: exploratoribus miſſis, qui non ſolum Africæ oras ad Promontorium Bonæ Spei uſque navibus diligenter inveſtigarent, ſed terreſtri etiam itinere Indiæ Orien-

Johannes II.

Orientalis Regiones perſpecularentur. Caſtellum quoque de Mina in oris Guineæ ab codem exſtructum. Quæ ad iſtam in Indos navigationem rite inſtituendam neceſſaria videbantur, nondum perfecta erant, quum Rex moritur anno cIↄccccxcv. nulla relicta prole.

§. 5. Johannem II. excipit Emanuel, cognatus ejus, idemque Ducis de Viſeo filius Eduardi Regis nepos. Huic a Maximiliano Imperatore lis de ſucceſſione mota; quod hujus mater Leonora Eduardi Regis filia fuiſſet. Sed cum Emanuele populus ſtetit: omnium ſcilicet animos ei egregiæ, quibus ornatus erat, animi corporisque dotes conciliarant. Is, ut domeſticam ſecuritatem firmaret, Iſabellam, Ferdinandi Catholici filiam natu maximam, in matrimonium duxit: natus ex eo conjugio Princeps, Michael nomine, omnium omnino Regnorum Hiſpaniæ, Navarra excepta, hereditatem aditurus, ni præmatura morte oppreſſus ſpem tantam deſtituiſſet. Dedit hoc precibus ſponſæ Emanuel, ut Mauros Judæosque ad unum omnes publico edicto proſcriptos e Portugalliæ finibus ejiceret, ſervitutis pœna ſtatuta in eos, qui contra edictum remanſiſſent. Et Mauri quidem confeſtim, nemine eos remorante, in vicinam Africam transmigrant. Sed Judæis liberi erepti, qui quartum decimum ætatis annum nondum attigiſſent, & Chriſtianorum ſacris baptiſmatis ritu per vim initiati ſunt: adulti autem tantis contumeliis injuriisque afficiebantur, ut ad vexationem ignominiamque vitandam plerique aqua luſtrali tingi ſe paterentur, priſtinis ſuperſtitionibus nihilominus tacita mente pertinaciter inhærentes. Hoc Rege ad ſummum felicitatis faſtigium perducta eſt Portugallia: perfecto penitus navigationis circum littora Africæ inſtituendæ con-

Emanuel.

Mauri Judæique Portugallia pulſi.

Naviga-

 ſilio,

tionis in Indiam Orientalem exordium.

ſilio, quod ſuperior Rex antea mente agitaverat, quum neceſſarios ad eam rem apparatus circumſpexiſſet: primus ad oram Calicutii appulit Vaſco de Gama anno CIↃCCCCXCVII. Quum jam aromatum commercia ad ſe trahere Luſitani cœpiſſent, inprimis eis ſumma vi reſtitit Sultanus Ægypti: per eam enim terram, perque Venetorum provincias Indiæ Orientalis merces in univerſam antea Europam cum incredibili illorum lucro derivabantur. Itaque, ut ex India Portugalli pellerentur, Sultanum in eos inſtigant Veneti, ære etiam ad conflanda tormenta bellica, & fabris lignariis ad naves ædificandas ſubmiſſis. Luſitani autem, præſidium haud ſatis firmum in ea, quam dederant barbari Reges, fide eſſe rati, in loca munita paſſim ſeſe inſinuarunt, & pro ſitus opportunitate caſtella arceſque exſtruxere. Neque illis reſtitere admodum barbari, partim navibus Europæorum tormentiſque perterriti, partim quod quantum ea caſtella momenti ad ſuum exitium haberent, haud proſpicerent. Cæterum, Luſitanorum opes vireſque in India Dux Albuquerquius longe lateque propagavit, Ormuzio, Malacca, Cochino, & Goa urbibus expugnatis: in ultima earum civitatum ſedes magiſtratuum, quos in Indiam cum imperio Luſitani mittunt, conſtituta eſt. Hoc pacto ampliſſima Africæ & extremæ Aſiæ commercia aſſeruit ſibi Portugallia, præſtantiſſimis quibusque portubus & emporiis nobiliſſimis occupatis, non ſolum qua ad Auſtrum ſpectat Africa, in Mauritaniam, Guineam, Congo, Angolam, Inſulam S. Thomæ &c. verum etiam qua ad Orientem vergit, in provincias Monzambique, Melindam, Mombazo, Zefalam, nec non ab oſtio maris Rubri in Japoniam usque: incredibile dictu eſt, quantæ ex iſta negotia-

gotiatione opes in Portugalliam redundarint. Adhæc Braſiliam Americæ Regionem detexit Petrus Alvarus Capralis, vel, ut alii volunt, Americus Veſputius, in quam complures a Luſitanis coloniæ deductæ. Atque tantum incrementum cepit res Luſitanorum, Emanuele Rege, qui anno CIƆIƆXXI. deceſſit, & cujus Regnum imaginem aurei ſeculi vocitare Luſitani conſueverunt. Ei ſuccedit Johannes III. filius, paternæ felicitatis heres juxta ac propagator. Is Franciſcum Xaverium aliosque Jeſuitas mittit in Indiam, qui Chriſtianorum ſacra in eas terras invehere conati ſunt. Ingentem equidem Ethnicorum multitudinem ab avita ſuperſtitione ad Chriſti cultum traductam à ſe & ſacro ablutam lavacro jactant. Quam vere, & an præter nomen Chriſtianorum iſti homines aliud quidquam ſuſceperint, illi judicent quibus cum ea gente conſuetudo fuit. Ipſe Rex moritur anno CIƆIƆLVII. Johannes III.

§. 6. Johanni III. ſuccedit in Regno Sabaſtianus, ejus nepos, trium annorum infans, cujus tutelam, avia iſtud onus deprecante, ſuſcepit Henricus Cardinalis idemque infantis patruus. Impotens Principis animus ac juvenili ardore præceps Portugalliæ Regnum adeo afflixit, ut a priſtinæ felicitatis culmine uno veluti ictu deturbaretur. Aſſentatorum quippe blanditiis Princeps magnanimus & ambitioſus corruptus conſilia ſibi ſuggeri paſſus eſt, & captu ſuo ac ætate majora & ab eorum temporum ratione aliena: itaque quum jam non niſi bella animo agitaret, in popularibus ac ſibi ſubjectis, quorum virtus diuturno otio & commerciorum quæſtuoſiſſimorum uſu remiſſa fuerat, exercitationibus bellicis rei militaris ſtudium accendit. Ac primum quidem in Africam expeditionem ſuſcipit, hoſtium vires levioribus velitationibus Sebaſtianus.

tionibus periclitaturus. In Indiam inde navigare quum ſtatuiſſet, atque ei itineri reclamatum eſſet a Conſiliariis, tandem ut in Africam infeſto exercitu proficiſceretur obtinuit. Anſam ejus rei perficiendæ præbuit Muley Mahomet, Rex Maroccanus, pulſus a Muley Muluceo patruo, qui auxilium a Sebaſtiano Rege petebat. Itaque Philippo Hiſpanorum Rege aliisque, qui ejus ſaluti favebant, nequidquam diſſuadentibus, ipſe cum magno illo quidem, ſed inexercitato exercitu in Africam contendit: quocum temere in interiora terræ ac longius progreſſus, quum iniquo loco confligere cum copiis multo majoribus in animum induxiſſet, dignum temeritate ſua exitum habuit: exercitu, cui flos nobilitatis Luſitanicæ interfuerat, aut miſere cæſo, aut ignominioſe capto. Prælium trium Regum interitu inprimis nobilitatum fuit, Sebaſtiani, Mulechi Mahometis exſulis, & Mulechi Marocciæ Regis, qui inter præliandum, rebus omnibus prudenter ordinatis, febri exſtinctus eſt anno CIↃIↃLXXIIX. Illum Henricus patruus idemque Cardinalis excipit, vir ætate confectus: cujus Regnum nulla re memorabile fuit, niſi quod de ſucceſſione ejus diſceptatum eſt. Mortuo eo anno CIↃIↃLXXX. Philippus, optimam controverſiæ minuendæ viam ratus, armis de jure ſuo diſceptare inſtituit. Itaque populi Caſtilianorum odio commoti in Antonium, Johannis III. Regis filii, nomine Ludovici de Beya, nothum, animi propenſione cognita, Philippus ingenti cum exercitu Albanum Ducem in Luſitanos mittit: is, Antonio pulſo, univerſo Regno paucis diebus potitur. Reliquæ deinceps provinciæ victoris fortunam ultro ſecutæ, Tercera inſula excepta, quæ non ſine inſigni Gallorum clade, qui ei auxilio venerant, per vim domita eſt.

Henricus.

Caſtiliani Portugallia potiuntur.

eſt. Portugallis ſicuti Caſtilianorum imperium permoleſtum ac grave accidit, ita ingentia deinde mala ea utriusque Regni conjunctio attulit. Philippus quippe, tumultuantibus Belgis, expeditiſſimam ejus gentis coercendæ rationem eſſe ratus, eam maritimo cum Hiſpanis Luſitanisque commercio prohibere inſtituit. Neque enim adhuc longius Belgarum naves profectæ, inde merces Indicas in alias Europæ ſeptentrionalis terras aſportarant. Itaque ea quæſtus faciendi facultate erepta, Philippus arbitrabatur, fore, ut Belgæ inopia compulſi ad ſanitatem redirent, & criminis veniam expoſcerent. Sed conſilium fortuna in contrarium vertit: Batavi Hiſpaniæ ac Luſitaniæ oris excluſi, ipſi in Indiam navigare ſub finem ſuperioris ſeculi contendunt, magnisque defuncti difficultatibus, quum pedem in iis oris fixiſſent, Portugallos, penes quos Indica commercia ſolos adhuc fuerant, ingenti damno afficiunt: aliis atque aliis locis munitis aut ſitus natura opportunis ereptis. Ormuzium quoque, emporium nobiliſſimum, ope Britannorum iisdem extorſit Abas Perſarum Rex anno CIↃIↃCXX. Neque is finis malorum fuit: magnam inſuper Braſiliæ partem, & complura oræ Africanæ oppida ipſis Hollandi eripuerunt anno circiter CIↃIↃCXXX. Ad ea perficienda nullum habituri aditum fuiſſe Batavi videntur, ſi proprium ſibi ac ſeparatum a Caſtellanis Regnum Portugalli retinuiſſent.

§. 7. Excuſſerunt autem jugum Caſtellanorum Portugalli anno CIↃIↃCXL. per occaſionem evocatæ nobilitatis Luſitanicæ, cujus opera adverſus Catalaunos, qui paulo ante rebellionem fecerant, uſurus Rex fuerat. Primores quippe armorum juxta ac conſilia conferendi facultatem adepti, quum, quibus difficultatibus Hiſpania eo tempore premeretur, Johannes IV.

retur, animadverterent, armati audacia, libertatis aſſerendæ conſilium capiunt. Ducem Brigantiæ, Regem conſalutant, qui ſibi nomen Johannis IV. indidit: ejus avia olim etiam cum Philippo II. de regno contenderat. Graviter ab Hiſpanis offenſum eſt in eo, quod Duci huic in tempore haud occurrerunt; cui nempe tam ſpecioſum in iſtud regnum jus competeret, quive in magna apud Luſitanos auctoritate eſſet, & quartam Portugalliæ partem proprio jure obtineret. Dum graviſſimo cum Gallis, Batavis, & Catalaunis bello Hiſpania diſtinetur, ſatis Portugalli ſpatii ad res ſuas firmandas habebant. Ii Hiſpanorum jam imperio liberati pacem quoque cum Batavis componunt, iis conditionibus, ut quod quiſque occupaſſet, retineret. Sed tamen haud diuturna pax fuit: poſteaquam quæ a Batavis in Braſilia obtinebantur oppida ab his ad Luſitanos defecerunt, quorum in ditione antea fuerant: quod quum Portugallorum fraude factum eſſe, Batavi dictarent, hi ea re adducti bellum illis denuntiant. Et quanquam Braſiliam relinquere Portugallis neceſſe habebant, iis tamen multa Indiæ Orientalis loca viciſſim eripuere, Malaccam, oppida in ora Zeylan inſulæ poſita, in littoribus item Coromandelico & Malabarico, Cochin, Cananor, Cranganor, aliaque oppida: & prope erat, ut ipſa etiam Goa eos pellerent, niſi pacem cum hoſte feciſſent anno CIƆIƆCLXI. Johannes IV. deceſſit anno CIƆIƆCLXI. Regno filio adhuc impuberi, cui Alfonſus nomen, relicto. Regnum interea, dum filius adoleſceret, a matre bene adminiſtratum eſt. Hiſpani pace ſub montibus Pyrenæis facta, Portugallis excluſis, quum conditionibus cautum eſſet, ne iſtis auxilium Gallus ferret, Luſitaniam ſumma vi adoriri incipiunt. Fortiter ea reſtitit, &

Alfonſus VI.

& Gallus pace Pyrenæa neglecta permiſit, ut Luſitanis Comes Schombergius aliique complures operam militarem navarent: ii præliis nonnullis factis Hiſpanorum vires vehementer afflixerunt; præcipue ad Extremos & Villam Vitioſam oppida. Pacem tandem, anno CIↃIↃCLXIIX. Hiſpani, Gallorum armis in Belgio impetiti, a Luſitanis expetunt: nec iſti alieni a pace erant, quod ſi fieri ulla ratione honeſta poſſet, bello diuturno defungi cupiebant, ea pacificatione juri ſuo in Portugalliam renuntiarunt Hiſpani. Interea adolevit Alfonſus, homo ferus, & eorum, qui Petro fratri ſtudent, elogio peſſime moratus: is tenera ætate animi corporisque viribus morbo vehementer afflictis, ad Regnum juxta ac conjugium ineptus eſt redditus. Regnum matri ereptum occupat anno CIↃIↃCLXVI. eaque paulo poſt moritur: ipſe Principem Nemurienſem e familia Sabaudica matrimonio ſibi jungit. Ea quum ſedecim omnino menſes cum eo fuiſſet, in cœnobium ſe recepit, & ut matrimonium diſſolveretur, poſtulavit anno CIↃIↃCLXVII. non impotentiam ſolum Alfonſi cauſſata, ſed & quod eam ex amicis cuidam proſtituere in animo habuiſſe dicitur, ut herede ſuſcepto Regnum ſibi in perpetuum ſtabiliret. Tum vero ſimultas Regem inter & Petrum fratrem pridem enata usque adeo inflammata fuit, ut hic, niſi fratri ejusque familiaribus occurreretur, ſalvum ſe eſſe haud poſſe exiſtimaret. Itaque Primoribus ſibi ac plebe conciliatis fratrem ad Regnum in ſe transferendum adigit. Alfonſus contra bis centena & ſeptuaginta librarum millia pro annuo ſtipendio ſibi reſervavit: domum item Bragantinam cum omnibus qui ad eam pertinent fructibus. Petrus autem repudiato Regio nomine Principem Portugalliæ & Alfonſi fratris, tanquam ad Regnum minus

Petrus Alfonſi frater.

Princeps Portugalliæ. nus idonei, Vicarium ſe appellari præcepit: fratris quoque conjugem rogatu populi & Pontificis conceſſu ducit. Alfonſus, ne quid rerum novarum moliretur, arctiſſima ſtipatus cuſtodia in Terceram Inſulam mittitur. Regnum adhuc quidem Petrus quietum admodum & populo applaudente geſſit.

Luſitanorum indoles. §. 8. Quod reliquum eſt, de gentis terræque genio ac viribus pauca memorabimus. Hiſpanis ſuperbia atque animi elatione pares Luſitani, prudentia ac circumſpectione inferiores eſſe dicuntur: rebus ſecundis ſecuri, adverſis præſentique periculo temerarii & inconſiderati. Imperium plerumque ſevere nimis ac crudeliter exercent. Avaritiæ lucroque deditiſſimi pecuniæ corradendæ cauſa omnes mundi angulos perreptarunt. Sunt, qui eos improbitatis ac malitiæ incuſent, quod quidem vitium ipſorum animis contagioſa ſanguinis Judaici permiſtione affrictum eſſe dicitur. Frequens alioquin pro terræ magnitudine gens, & hominum multitudine ſatis conſpicua: præſertim, ſi quanta Luſitanorum copia in Braſilia, in littoribus Africanis, in India denique Orientali conſederit, in animo tecum reputaveris. Exercitui tamen paulo majori citra alienam opem ex domeſticis copiis conficiendo, claſſibusque validioribus patrio milite inſtruendis haudquaquam par, ſatis negotii habet, ut præſidiis loca munitiora firmet, claſſesque mercatorias in varias oras dimittat.

Soli Luſitaniæ ratio. §. 9. Quod ad regiones, quæ Luſitaniæ nunc nomine continentur, attinet, modico terrarum intervallo circumſcriptæ, haud fœcundæ nimis ac fertiles ſunt: incolæ frumento plerumque importato utuntur. Urbibus tamen ac vicis frequens, portus etiam ad mercaturam inprimis opportunos habet. Inter merces, quæ in Portugallia natæ expor-

exportari poſſunt, eminet ſal, cujus magna vis ex Serubale, ſeu St. Hubes oppido in regiones ſeptentrionales aſportatur: item oleum, aliquantum vini, ac fructus præſtantiſſimi omnis generis. Reliqua, quorum ibi commercium eſt, ex provinciis ejus importantur. Argentifodina quoque, quæ Guacaldana vulgo dicitur, argenti *quentos* (ita appellant) quotannis CLXXIIX. reddere perhibetur: (ſinguli autem *quenti* aureis bis mille ſexcentis & ſeptuaginta tribus, *Realibus* octo, & *Maravedis* viginti ſeptem ipſorum ſupputatione valent.) Provinciarum Portugalliæ princeps eſt Braſilia, quæ ingenti tractu in littore Americano porrecta in latitudinem pauca admodum milliaria patet, clementia cœli agrorumque ubertate nobiliſſima. Sacchari ibi vis ingens conficitur: in quo quidem maxima pars vectigalium ejus terræ conſiſtit: eo quoque ſcite utuntur ad cupedias ſaccharatas, ſeu conditanea, gulæ illecebras, e fructibus nobiliſſimis, qui in Braſilia & Luſitania naſcuntur, conficiendas. Super hæc zingiberis quoque, goſſipii, *indigo*, aliorumque lignorum ad tincturas accommodatorum copia eſt in Braſilia: ſed quum veteres ejus terræ incolæ otio ac deſidiæ deditiſſimi, ut labores duriores ſubeant, ne vi quidem aut metu ſubigi poſſint, mancipia Æthiopica Portugalli, quorum ibi & alibi commercium eſt non ſecus ac boum, emunt in oris Africanis, maxime in Congo & Angola Regnis, quæ labores difficiliores ſordidioreſque ſuſtinere in Braſilia coguntur. Cæterum, quod cum Auſtrali Africæ parte Luſitani etiamnum conſtitutum habent commercium, haud ita magni momenti eſt, poſteaquam eis ubique fere impedimento fuere Batavi: & quæ in Africa Orientali obtinent loca, nullum fere fructum Regno, Præſidibus **Africa.**

H autem

autem uberrimam corradendæ pecuniæ facultatem præbent. In iis Indiæ Orientalis partibus, quas intactas Batavi reliquerunt, plus momenti poſitum eſt. Goa, urbs ampla, omnium gentium, quæ undiquaque eo confluunt, commerciis inprimis floret. Cæterum, jam pridem Indiæ Orientalis gubernandæ ratio, quam ſecuti ſunt Luſitani, haudquaquam probata fuit viris prudentibus: quod qui in iis terris degebant Portugalli, neglecto rei militaris ſtudio, in omni libidinis ac voluptatum genere ſeſe volutarent, ſatis eſſe, rati, ſi ſe ſumtuoſe ac ſuperbe aliis jactarent. Itaque in facili fuit Batavis, ex maxima Indiæ Orientalis parte nationem inviſiſſimam & in contemtum apud omnes adductam expellere. Illud tamen præter Batavos præcipuum habuere Luſitani, quod eis in China exercendi commercii facultas data eſt: ubi Macao oppidum in Inſula continenti ſubjecta poſitum obtinent: ii Batavos quoque apud Chinenſes usque adeo infamarunt, ut iſti negotiandi in China poteſtatem adhuc quidem, quod ſciam, impetrare haud potuerint. In Japonia florentiſſimæ olim Luſitanorum res fuere: idque Jeſuitarum potiſſimum beneficio, qui Chriſtianorum ſacris imbuere eam gentem ſtuduerunt. Jamque quadringenta hominum millia Chriſtianæ militiæ nomina dederant, & ſpes erat, fore, ut univerſa tandem gens ad Chriſti cultum adduceretur. Cæterum, annis abhinc circiter triginta & amplius in invidiam ac ſuſpicionem apud Japonenſium Imperatorem adducti ſunt Luſitani, Batavorum fraude, qui epiſtolam ad Pontificem a Jeſuitis ſcriptam interceperant: qua quidem illi Japoniam ſeſe totam in poteſtatem Romanæ Eccleſiæ propediem redacturos eſſe pollicebantur. Ea verba ita interpretati ſunt Batavi: velle Jeſuitas Chriſtianorum recens conciliatorum opera

India Orientalis. *Luſitani Japonia*

Impe-

Imperatorem de Regno deturbare: quod Pontifex ejusmodi eſſet homo, qui Imperia pro lubitu & daret & eriperet: apud eum Hiſpanorum Regem (cui Portugallia eo tempore parebat) plurimum poſſe. Quæ res eo veriſimilior viſa eſt Japonenſibus ſua ſponte ſuſpicioſis, quod ingenti amore & obſervantia coli a novis Chriſtianis Jeſuitas animadverterent: qui, quæ ab hominibus beneficis offerebantur dona, ambabus, quod ajunt, manibus accipiebant. Itaque complures Provinciarum Præſides conqueſti ſunt, imminui, quæ a popularibus & incolis accipere conſueviſſent, munera, poſteaquam in Sacerdotes ſuos cuncta Chriſtiani recentes effudiſſent. Mappa inſuper Geographica propoſita Imperatori oſtendunt Batavi, Hiſpanorum Regem imperium ab una parte ad Manilham uſque, ab altera ad Macao oppidum protuliſſe, ut haud difficile foret Hiſpanis provincias iſtas, Japonia intermedia ſubjugata, conjungere, ac continenti inter ſe imperio copulare. Inde horrendum in modum ſævitum in miſeros Chriſtianos, adeo ut verbis exprimi nequeant cruciatus, quibus conſtantiam hominum ſua ſponte pertinacium vincere & edomare conati ſunt. Atque eo rem deduxerunt, ut nullus jam Chriſtianus in Japonia reperiatur: in Luſitanos capitis pœna ſtatuta, ſi iis terris deprehenſi eſſent. Itaque Batavi in Japoniam navigantes ſuis interdicunt, ne quam Chriſtiani cultus ſignificationem dent: & interrogati, num Chriſtiani eſſent, negant, ſed Batavos eſſe ſe profitentur. Azores denique ſeu Flandricæ Inſulæ quoque in Luſitanorum ditione ſunt: inter quas principem locum obtinet Tercera, item Madera, fertilis admodum Inſula. Batavorum fraude pulſi.

§. 10. Apparet itaque, Portugalliæ ſalutem in commerciis potiſſimum poſitam eſſe, per Indiam Portugalliæ vires.

Orientalem, Braſiliam, aliasque, quas in Africa obtinet, provincias exercendis. Sed & illud manifeſtum eſt, comparatione reliquarum Europæ Rerumpublicarum, haud tantas eſſe Luſitaniæ vires, ut aut ultro adoriri quemquam, aut adimere quidquam alteri poſſit. Quapropter ei rei unice ſtudendum eſſe Luſitaniæ videtur, ut ſuas opes ac præſentem rerum ſtatum tueatur, neve committat, ut cum ea gente bello implicetur, quæ viribus maritimis potens impetum facere in remotiores provincias queat. Quod vero ad ſingulos finitimorum ſeorſim attinet, proxime quidem illius fines attingit Hiſpania, expeditiſſimo in illud Regnum aditu. Sed tamen haud magnopere extimeſcendæ Hiſpanorum vires Luſitanis videntur: partim quod adverſus Portugalliam non amplius xxv. militum millia ſuſtentare illi in ſuis finibus propter rei frumentariæ inopiam poſſint: (cujuſmodi exercitum quum Portugallia quoque conficere queat, æquum terreſtri militia certamen futurum eſſet) partim quod ad Provincias Luſitaniæ invadendas claſſem non ſatis magnam adornare poſſint Hiſpani. Accedit, quod Luſitanis promptum ac paratum a Gallis aut Britannis auxilium foret: qui quidem pro virili parte præcavebunt, ne Luſitania denuo potiatur Hiſpanus. Quanquam e re Luſitanorum non videtur eſſe, ut Galli aliusve inſtinctu temere bellum Hiſpanis moveant: quippe qui nullum ex eo operæ pretium facturi, & gratuito labore vires enervaturi non vane conjiciuntur. Galliam cur valde reformidet Luſitania, cauſæ nihil video: longe abeſt illa; nec eam ſibi rei maritimæ facultatem comparavit, ut genti, quæ firmata ſede ſtabili jam loco res ſuas in utraque India locarit, nocere magnopere poſſet: præſertim quum cauſa appa-

appareat nulla, quæ offenſam parere Galliam inter & Luſitaniam queat. Atque illius etiam intereſt, ut adverſus Hiſpanos Batavosque erecta ſubſiſtat Luſitania. Plurimum adhuc quidem periculi Portugallis exſtitit a Batavis: quippe qui non modo portus illorum infeſtos reddere, ſed multum etiam incommodi in utraque India afferre eis poſſunt. Nec Batavis difficile admodum eſſe videtur, Macao oppido in littore Chinenſi, reliquisque oræ Malabaricæ locis Portugallis ademptis, Orientis commercia diſturbare. Sed tamen Luſitanis, ſi quod eis bellum cum Batavis incidiſſet, Britannorum auxilium defore, haud credibile eſt: eos quippe ſummo pridem dolore affecerunt ſecundæ nimis Batavorum in India Orientali res; qui tantas ſibi opes compararint, ut non Anglis modo, ſed aliis etiam finitimis nationibus adhuc quidem inſolenter ſeſe oſtentare, & contumelioſe etiam inſultare non dubitarint.

CAPUT IV.

DE BRITANNIA.

Antiquiſſimis temporibus Britannia, maxima cogniti olim Orbis Inſula, non unius paruit imperio, ſed in varias ac minutas diſtracta Reſpublicas fuit, Regulorum fere poteſtati obnoxias: quarum multitudo & inteſtinis tumultibus materiam præbuit, & ad vim externam infirmas eas reddidit. Græcis quoque ac Romanis necdum cognita ſatis fuerat, quum Julius Cæſar, maxima Galliæ parte perdomita, expeditionem in eam terram ſuſcepit, divitiarum ſpe haud dubie addu- *Antiquiſſimus Britanniæ ſtatus.*

 ctus.

ſtus. Is haud longe progreſſus, quum levioribus aliquot præliis incolas laceſſiſſet, in continentem revertitur, nullo vel exercitu relicto, vel tributo incolis imperato. Immunis deinde ac libera a Romanorum impetu Britannia manſit: donec Claudius Imperator, majore vi Inſulam aggreſſus, aliquam ejus partem nullo fere negotio occupavit: propterea quod incolæ, mutua ipſi diſcordia in partes ſciſſi, haud conjunctis viribus communi hoſti reſtitiſſent. Ibi tum in provinciæ formam redacta Britannia, & aſſidui exercitus munita præſidio fuit: is aliam atque aliam deinceps civitatem, magnis utrinque cladibus datis & acceptis, perdomuit. Ad extremum Domitiano Imperatore Julius Agricola victricibus copiis totam pervagatus Inſulam, Caledonios (ii Scoti hodie dicuntur) magna illata clade domat. Quanquam extremam Britanniæ partem, quod & aſpera eſſet & invia, Romani totam ſibi ſubjicere nunquam potuere. Adrianus deinde & Severus Imperatores a reliquis Britannis eam gentem, ad excurſiones prohibendas, muro per tranſverſam Inſulam ducto, ſubmoverunt. Hiberniam Romani nunquam attigerunt. Ad ultimum, Britanniam Romani, quum per quadringentos circiter annos obtinuiſſent, ultro deſeruere, quum populi Septentrionales Auſtrales Imperii Romani partes eſſent adorti: ad repellendum eorum impetum legiones Britannicas una cum delectu incolarum in continentem evocant Romani.

Romani eam occupant.

Iidem deſerunt eam.

§. 2. Nudata hoc pacto Romanorum præſidio Britannia, ac flore domeſtici militis ſpoliata, quum jam ante vires ejus ſub Romanorum imperio vehementer afflictæ fuiſſent, Picti Scotique, irruptione in provinciam fertiliſſimam ex terra ſterili & omnium rerum egena facta, miſere depo-

populantur eam vaſtantque. Etſi ad reprimendum eorum impetum Britanni Vortigernum Regem crearunt; is tamen, quum ſe hoſtibus imparem eſſe intelligeret, omni etiam a Romanis ſubſidio denegato, Anglos contra eos evocavit, Saxonicam gentem, quæ in Holſatorum finibus incolebat: pars ejus Regionis antiquum Angliæ nomen etiamnum retinet: quanquam Gothos alii, alii Friſios fuiſſe dicant: multum certe affinitatis inter hodiernam Friſiorum & veterem Anglorum linguam intercedere memoratur. Ii cum aliquot hominum millibus, Hengiſto & Horſo ducibus, ſubſidio laborantibus quum veniſſent, Scotos expellunt anno a Chr. Nat. circiter CCCCL. Sed capti amœnitate loci terram in ſuam ipſi poteſtatem redigere inſtituunt, ac Britannis ipſis jugum imponere, cui propulſando evocati antea fuerant. Britanni, re cognita, quum importunos nimis ſocios ac iniquos ejicere e ſuis finibus conarentur, ad bellum res erupit: eo bello multa hominum millia Anglo-Saxones ex patria evocarunt, quæ ſibi in occupando ejus terræ imperio præſto eſſent: & ademerunt eorum ope Britannis Saxones Orientalem primum Inſulæ partem. Premente deinde per undecim annos Auſtrales partes, quas veteres adhuc incolæ tenuerant, fame pariter ac peſtilentia, quum in Britanniam Minorem Rex Cadwalladarus confugiſſet, Saxones, arrepto tempore & occaſione, reliquas Britanniæ provincias ad unum omnes per vim occupant: Wallia provincia excepta, quam, impedito montibus aditu, ſubigere haud potuere. Ita Cadwalladarus ultimus Britannicæ ſtirpis Rex fuit: is quum ſe imparem eſſe Saxonum viribus intelligeret, Romam profectus cœnobio ſeſe mancipavit anno IↃCLXXXIX. Britanniæ ab Anglis Angliæ nomen inditum.

Vortigernus Rex.

Anglo-Saxones in Britanniam evocantur.

Cadwalladarus Rex.

 §. 3. An-

§. 3. Anglo-Saxones, Heptarchia ſeu ſeptem omnino Regnis conſtitutis, quæ tamen non uno omnia tempore cœperunt, ſed prout aliam atque aliam Regionem incolis extorſerant, quum in ſemet ipſos tandem arma convertiſſent, ad ultimum ſub unius imperium univerſam Britanniam collegerunt. De iis nonnulla ſtrictim delibabimus.

Anglo-Saxonum regna.

Ac primum quidem omnium Cantii Regnum fuit: quod anno CCCCLV. cœptum continua Regum XVII. ſerie propagatum eſt ad annum IↃCCCXXVII. quo tempore a Saxonibus Occidentalibus (vulgo Weſt-Saxonibus) perdomitum eſt. Alterum fuit Suſſexiæ Regnum, quod exortum anno CCCCLXXXIIX. ſub Regibus V. productum ad annum IↃCI. id itidem a Saxonibus Occidentalibus in provinciæ formam redactum. Tertium erat Saxonum Occidentalium, quod quum initium cepiſſet anno IↃXIX. ſub Regibus XIX. duravit ad annum IↃLXI. Undecimus eorum Ina inſtituit, ut ſinguli ſubjectorum qui XIX. denariorum (vulgo Pence vocant) rem haberent, ſingulum quotannis denarium Pontifici Rom. penderent: & dictum eſt primo vectigal iſtud Eleemoſyna Regis, deinde Denarius D. Petri.

Denarius D. Petri.

Quartum Regnum conſtituit Eſſexia, quod ab anno IↃXXVII. Regibus omnino XIV. per manus traditum exſtinctum eſt a Saxonibus Occidentalibus anno IↃCCCIIX. Quinto loco ponitur Northumbria, quod Regnum, quum inde ab anno IↃXLVII. ſub Regibus XXIII. incolume ſtetiſſet, in poteſtatem Saxonum Occidentalium venit anno IↃCCCCXXII. Sextum erat Merciæ Regnum, quod conſtitutum anno IↃXXII. Rex numero viceſimus adminiſtraverat, quum in Saxonum Occidentalium manus perveniret anno IↃCCXXIV. Ultimum fuit Saxonum Orientalium, quod cœptum anno IↃLXXV. quum Reges perpetuo ordine XV. obtinuiſſent,

tinuiſſent, tandem ab Athelſtano cum reliquo Imperii corpore conjunctum eſt anno ıɔcccccxxııx. Poſtea vero quam reliqua Regna aut in provinciæ formam redegit, aut Reges eorum comiter ipſius majeſtatem venerari coegit anno circiter ıɔccccxııx. Egbertus, Saxonum Occidentalium Rex, ipſe cum poſteris non jam Britanniæ, ſed Angliæ Rex appellatus eſt. Eo regnante, Dani in Angliam impreſſionem facere cœperunt: idemque ſub Imperio inſequentium Regum factitarunt; quanquam initio ſæpius fortiter repulſi ſunt. Sed tamen ſede in ſeptentrionali Angliæ parte firmata, diu in ea quieti admodum fuerunt, ac ſe continuerunt Anglorum Reges comiter venerantes. Sed Ethelredo Rege (qui regnare cœpit anno ıɔccccclxxıx.) quum vi in Auſtrales Angliæ partes irrumpere Dani incepiſſent, ingente pecuniæ vi Anglis extorta, ac fœminis per vim ſtupratis, tantum omnibus terrorem incuſſerunt, ut eos Lord Danes (i. e. Dominos Danos) appellare vulgo incolæ cogerentur. Quanquam Dani, quotquot in Anglia deprehenſi fuerant, ad unum omnes, conſpiratione facta, occidione occiſi ſunt ab Anglis anno cıɔıı. inſequente tamen anno Rex Danorum reverſus ingentes & horrendas populationes facit: & quæ adverſus Danos inibantur conſilia Edrici (quem tamen Ethelredus Rex Merciæ Ducem, filia in matrimonium data, crearat) proditione eludebantur. Ethelredus ipſe ad ultimum vaſtato excedere Regno & in Normanniam profugere coactus eſt. Cæterum, quum Sueno inter direptionem Monaſterii St. Edmundi, quod in Suffolcia poſitum eſt, gladio (incertum unde) ictus periiſſet, rediit quidem e Normannia Ethelredus, & Canutum Suenonis filium in Daniam, domum ſuam, compulit. Sed brevi ingenti cum exercitu rever-

Egbertus Rex.

Dani in Angliam irrumpunt.

Ethelredus.

ſus eſt: ei quum reſiſtere omnibus viribus niteretur Ethelredus moritur anno CIƆXVI. Ejus filius Edmundus cognomento Ironſide (*Ferreum latus*) fortiter Danis obſtitit: & jam ſæpius in manu habere victoriam videbatur, ni Edrici proditoris inſidiæ impedimento illi fuiſſent. Quum tandem uterque Rex ſingulari certamine finem belli facere ſtatuiſſet, jamque Canutum Edmundus atroci ictu feriiſſet, miſer homo perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut cum Danis Regnum partiretur: quumque alvi dejiciendæ cauſa ſeceſſiſſet, ab Edrico per inſidias gladio transfixus occiditur.

Edmundus.

Canutus. §. 4. Edmundo mortuo Canutus, Primoribus Angliæ convocatis, quum ex iis quæſiviſſet, num dividendo Regno aliquid Edmundi fratribus juris reſervatum eſſet, iique negaſſent, ſingulis jurejurando adactis, Angliæ Regem ſe creari jubet anno CIƆXVII. omnibus, qui ex ſtirpe Regia prognati eſſent, e medio ſublatis. Inde, ut populum ſibi adjungeret, cum in matrimonium duxiſſet Emmam, Ethelredi Regis viduam, Danorum magnam partem domum remiſit, legibusque optimis ſancitis, Regnum deinceps laudabiliter geſſit. Aſſentatores ſupra humanum faſtigium ipſum extollentes lepide coarguit. Solium in littore collocari jubet, & mari interdicit ne pedes ingruentibus fluctibus aqua perfundat: quum ſpreto imperio Oceanus more ſuo intumeſcens fluctus ad pedes evolveret: En vobis, inquit, quam inanis eſt & infirma Regum terreſtrium potentia. Moritur

Haraldus. anno CIƆXXXV. Succeſſit ei filius Haraldus, quem a celeritate curſus vulgo Haſefoot, i. e. *Leporipedem* appellabant. Is nihil memorabile egit, præterquam quod Emmam novercam una cum filiis in Angliam ex Normannia pellectis miſerandum in modum obtruncavit. Obiit ſine prole anno CIƆXXXIX.

cIↄxxxix. Poſt ejus obitum, Hardiknutum conſanguineum, (erat enim Canuto & Emma parentibus natus) Primores Regni evocant e Dania: is nulla re niſi edacitate nobilis fuit, quater de die cibo ſeſe ingurgitans. Et uſque adeo aliena ab eo voluntas ſubjectorum erat, ut Rege in convivio repentina morte exſtincto, lætitiam editis ſpectaculis in publico paſſim declararent: ea ſolennia Hockſtide dicta ſunt, ab ignominia ac contemtu, in quem poſt ejus mortem venerant Dani, ut cum quo Imperium ſimul Angliæ, quod in ipſorum manibus fuerat, concidiſſet: illi quum per annos ccxl. ingentes quidem populationes fecerant, Regiam tamen poteſtatem annos duntaxat xxvi. obtinuerant. Poſt exceſſum Hardiknuti ad Regnum evocatur Eduardus cognomine Confeſſor, Ethelred Regis Emmæque filius, atque adeò Hardiknuti frater uterinus: qui ſe ſecuritatis cauſa in Normannia ad id tempus tenuerat, Regiis inſignibus ſolenniter ornatus anno. cIↄxlii. ut populum ſibi conciliaret de vectigali nònnihil remiſit, quod *Danegild*, i. e. tributum Danicum appellatum xl. annos & amplius pependerant. Quietum Regnum pacatumque tenuit, & non niſi prædonum Danicorum Hibernicorumque vexationibus infeſtum: qui tamen brevi temporis ſpatio repulſi diſceſſerunt. Primo ei divinitus conceſſa facultas fuerat, qua etiamnum Anglorum Reges gloriantur, morbi iſtius, quem vulgo *the Kings Evill*, h. e. malum Regium, Angli vocant, contactu ſuo perſanandi. Improlis deceſſit cIↄlxvi. Deſtinaverat is Regnum cognato ſuo Edgaro Athelingo, Eduardi Ironſidæ nepoti. Is quum nondum adulta ætate eſſet, Haraldus, Goodwini Cantii Comitis filius, cui tutela Edgari pueri demandata fuerat, ſibi Regia inſignia ipſe ſumſit;

Hardiknutus.

Eduardus Confeſſor.

Haraldus.

ſed

ſed haud diuturna ejus dignitatis poſſeſſio fuit: nono quippe, quam regnare cœperat, menſe a Guilielmo Normanniæ Duce prælio victus occiditur. Ita Angliæ Regnum ad genus Normannorum pervenit.

Guilielmus Conqueſtor. §. 5. Guilielmus iſte cognomento Conqueſtor, Roberti Normanniæ Ducis filius, ortus a Rollone Dano, qui a Chr. nat. anno circiter ıↄcccc irruptione in Galliam cum magna ſuorum ac Norvegorum manu facta, longe lateque vagatus eſt, ut ejus expellendi nulla iniri ratio poſſet: donec ei Carolus Simplex Neuſtria provincia, quæ deinceps Normannia dicta eſt, conceſſa, filiam etiam Geiſam in matrimonium dedit, hac quidem conditione, ut Chriſtianæ diſciplinæ ſacra ſuſciperet. Rollonis filius erat Guilielmus cognomento Macroxiphus (*gladius longus*). Hujus filius Richardus erat, cognomine Audax. Ab eo prognatus eſt Richardus II. dictus Bonus: ei Richardus III. filius, & huic Richardus IV. ſucceſſerunt. Quo ſine prole mortuo, Robertus Guilielmi Conqueſtoris pater Dux Normanniæ creatur. Guilielmum pater ſuſtulit ex Arlotta, pellionis filia, cujus cum aliis puellis ruri choreas ducentis perſpecta pulchritudine captus deperiſſe eam, & deinceps etiam matrimonio ſibi junxiſſe fertur. Guilielmus, quamvis nothus, a patre ſucceſſor conſtituitur, & puero novenni nobiles ſolenne dicere ſacramentum jubentur: Robertus paulo poſt moritur. Permultis in adoleſcentia turbis ac periculis jactatus Guilielmus, quum omnia incommoda Fortuna ac Virtute ducibus ſuperaſſet, magnam ſibi apud omnes auctoritatem comparavit. Eduardo Confeſſore mortuo, Guilielmus, quum Haraldum Regnum occupaſſe comperiſſet, ſibi illud aſſerere conſtituit, ab Eduardo Rege teſtamento relictum ſibi eſſe cauſſatus, propter ea quæ

Guilielmus Angliam occupat.

a Ro-

a Roberto patre ille accepiſſet beneficia. Sunt, qui ab Eduardo ſpem modo Regni factam eſſe contendant, ipſumque Haraldum, quum in Normannia eſſet, jurejurando adactum recepiſſe, operam ſe daturum, ut ille Regnum conſequatur. Fieri certe potuit, ut hæc talia non niſi in ſpeciem, ut ſuam dominandi libidinem tegeret Guilielmus, jactarentur: ut ut ſit, Guilielmus cum ingenti Normannorum, Gallorum, Belgarumque manu in Angliam quum appuliſſet, copias nemine reſiſtente in terram expoſuit; quod claſſem ſuam Haraldus in Angliam ſeptentrionalem miſerat, contra fratrem & Haraldum Hartfagerum Norvegiæ Regem, qui in eam partem impreſſionem fecerant: uterque victus quidem eſt, ſed tamen Guilielmo expeditior interim Regni aditus factus: propterea quod ab Haraldo reductæ copiæ belli itinerisque laboribus debilitatæ erant. Haraldus viribus utcunque collectis firmatisque prælium cum Guilielmo committit ad Haſtingum Suſſexiæ oppidum die XIV. Octobr. CIƆLXVI. in quo fortiter utrinque pugnatum eſt: cæterum, quum Haraldus ſagitta transfixus præceps in vulnus abiiſſet, eo exſtincto victoria ac Regnum penes Guilielmum fuit: & jam nemine tota Anglia reclamante, uno omnium ore Rex agnoſcitur. Initio quidem Angli hanc Imperii mutationem haud ægre pati: partim quod ſuum cuique intactum relinqueret victor, & vacua tantummodo bona Normannis ſuis donaret: partim quod priores Angliæ Reges neceſſitudine attingeret: partim quod eum Pontifex Max. paulo ante commendarat. Ipſe nihil ad ſecuritatem firmandam prætermiſit: arma populo ademit, & ad congreſſus nocturnos prohibendos edicit, ut ſigno campanæ dato, circa horam IIX. veſpertinam ſuæ quisque domi ignem lucemque exſtingueret: caſtella quoque

in ſpecie quoq; arcem Londinenſem, ſeu Tour.

que multis in locis condidit. Poſterioribus temporibus variæ exortæ ſunt turbæ: Edgarus quippe Athelingus, aliique Proceres in Scotiam profugi, inde Angliam ſeptentrionalem infeſtant: iis ſe Danici prædones adjunxerunt. Per idem quoque tempus, Eboracum oppidum injecto igne deflagrat: qui in eo incolebant Normanni cæduntur, hoſtes tamen inde a Guilielmo profligati. Conjuratio quoque periculi plena in ejus caput ſuſcepta anno CIↃLXXV. Sed ab eo feliciter repreſſa, prius quam conjungere vires ſuas conſcii poterant. Adverſus filium quoque Robertum Normanniam patri adimere cupientem magna manu e Britannia profectus, quum inter præliandum ipſum cum filio manus conſerere contigiſſet: ab eo equo dejectus vocis indicio agnoſcitur: ibi tum filius ex equo deſiliens patremque complexus, veniam orat: pater, ut erat ſua ſponte ad condonandas injurias propenſus, ſe cum filio haud difficulter reconciliat. Walliam quoque vectigalem idem Rex fecit, & Malcolmum, Scotiæ Regem, ſacramento fiduciario adegit. Quumque populum recens domitum lenitate in officio contineri vix poſſe intelligeret, durius tractare incolas cœpit: omne argentum aurumque ex Monaſteriis aſportare, quod permulti ſecuritatis cauſa eo contulerant: tributa immenſa imperare: bonam terræ partem ſibi vindicare: de regionibus ſingulis, quas cuique conceſſiſſet, certum ſtipendii annui numerum ſibi reſervare: bonorum pupillarium uſumfructum usque ad primum & viceſimum ætatis annum ſibi aſſerere, certa modo parte pro alimentis relicta; privilegia cuncta recognoſcere: novas lingua Normannica leges ferre, ut ſermonis imperitia plures noxam admitterent: novas judicii formulas introducere:

Guilielmus cum filio reconciliatur.

&

& complures denique provincias ad uſum venationis ad ſe rapere. Arcuum quoque longiorum uſum in Angliam idem Rex invexit, quorum beneficio & victoriam ipſe ab Haraldo Rege reportavit, & poſterioribus temporibus Angli Gallis, inſignibus illatis cladibus, acie perpetuo ſuperiores exſtiterunt. Extremò, quum res in Normannia turbaſſet Philippus I. Gallorum Rex, ac Robertum filium in patrem incitaſſet; ipſe in Normanniam trajecit: ſed eum ſibi filius confeſtim reconciliavit. Rothomagi morbo correptus quum inter alia ex ventris nimium prominentis incommodis vehementer laboraret, a Gallorum Rege per ludibrium interrogatus, quamdiu in puerperio cubaturus eſſet; reſpondit, ſeſe, ut primum a puerperio aſſurrexiſſet, & voti perſolvendi cauſa ſacra obiiſſet, mille in Gallia faces ſacrificaturum eſſe. Dictis facta reſponderunt: dato inde in Gallorum fines impetu, incendiis agros & oppida longe lateque vaſtavit. Ea autem populatione adeo incaluit, ut morbo inde contracto diem obierit anno CIↃLXXXIIX Normannia filio natu maximo, Angliæ Regno Wilhelmo filio minori, teſtamento relictis. Lepidum ejus reſponſum Galliæ Regi datum.

§. 6 Guilielmus II. cognomento Rufus inteſtinis initio turbis jactabatur: quum & Robertus frater Regnum ſibi deberi aſſereret, & multi ex Primoribus rebellionem facerent. Fratrem, marcas ter mille annuas, & poſt obitum Regni ſucceſſionem ei pollicitus, facile placat. Magnates paſſim per Regnum diſperſos partim blanditiis mitigat, partim vi domat. Is tumultus, quod rebelles omnes ex gente Normannorum erant, utilis Anglorum nationi fuit: eam deinceps Rex propter fidem pluris fecit. Duo quoque bella diverſis temporibus cum Malcolmo Scotorum Rege gerens, priore jurejurando clientelari eum adegit; Guilielmus Rufus.

git; altero ipſum una cum filio natu maximo occidit. Walliam item provinciam in ditionem ſuam penitus redegit. Inter alias conficiendæ pecuniæ artes illa inprimis memorabilis eſt, quod evocatis viginti hominum millibus in Normanniam, ut ſimulabat, ducendis, quum milites jam conſcenſuri naves eſſent, edici juſſit, ut qui duodecim aſſes penderet, ei domi apud ſuos manendi facultas eſſet. Nec quisquam fuit, qui non eam pecuniam libentiſſime ſolveret. In venatione ex improviſo interficitur a ſervo anno CIↃC. Succeſſit Henricus frater natu minor: is, quum moriente Rege præſens adeſſet, confeſtim Regia potitus gaza, animos hominum largitionibus ſibi adjunxit. Hoc pacto conſecutus eſt, ut fratri majori Roberto præferretur: qui, quum in expugnanda Hieroſolyma operam navaret, domi tanto Regno excidit. Henricus ut Imperium ſibi ſtabiliret, compluribus oneribus, quæ ſuperiores impoſuerant Reges, populum ſublevat; Edgarum, Scotorum Regem, eundemque vicinum, Anglis infeſtum, ducta in matrimonium Mathilde, ipſius ſorore, ſibi devincit. Mathildis, vitam matrimonii expertem colere ac illibatam cuſtodire virginitatem in animo habuiſſe dicitur. Itaque Hymenæos celebrare a fratre coacta, liberos, qui ex eo conjugio nati forent, diris devovit: & voti damnata eſt, liberis deinde ac poſteris adverſa ſemper fortuna conflictatis. Robertus inde magna manu in Angliam quum irrupiſſet, ab Henrico fratre, opera amicorum, annua penſione promiſſa, placatur; quam ipſe deinceps fratri remiſit; ejus facti quum eum poſtea pœniteret, Henricus indignatus usque adeo exarſit, ut, trajectis in Normanniam copiis, fratrem cruento prælio victum captivum abduceret. In cuſtodia perpetuo aſſer-

Henricus.

aſſervatum, tandem oculis etiam privat. Ibi tum cum Angliæ Regno conjuncta Normannia fuit. Inde Ludovicus Craſſus, Gallorum Rex, creſcentes Henrici opes ferre haud potuit, & Guilielmum Roberti filium, opera Fulconis Comitis Andegavenſis, & Balduini Flandriæ Comitis, in Ducatum Normanniæ reſtituere conſtituit. Id belli atrociſſimi initium fuit: quod hunc denique in modum ſopitum eſt, ut jusjurandum fiduciarium dicere ob poſſeſſionem Normanniæ Regi Gallorum Guilielmus Henrici filius neceſſe haberet. Inde uſu receptum eſt, ut filius Regis natu maximus, Dux Normanniæ appellaretur, quoad ea provincia copulata cum Anglia fuit. Novus Normanniæ Dux filiam Comitis Andegavenſis matrimonio ſibi jungit. Guilielmus Roberti filius, Comes Flandriæ factus, quum Normanniam iterum tentare inſtituiſſet, eo bello interficitur. Rex Henricus primus, (ut nonnulli volunt, neque enim inter Scriptores omnino convenit) plebejos ad comitia Regni convocavit, quum ante id tempus non niſi Nobiles & Epiſcopi ad ea adhiberentur. Ea origo diviſionis Parlamenti, ut vocant, in ſuperius & inferius fuiſſe memoratur. Guilielmo filio, quum ex Normannia in Angliam reverteretur, una cum multis primæ dignitatis viris fœminisque, temulentorum nautarum incuria, maris fluctibus hauſto, quum Mathildi filiæ, ejusque heredibus conſtabilire Regnum Rex niteretur, eam Henrico IV. Imperatori primum, &, quum nullos ex eo liberos ſuſcepiſſet, Gothofredo Plantageneto, Fulconis Comitis Andegavenſis filio, nuptui dedit: ſimulque, ſe vivo, ſacramentum ei dicere Angliæ Ordines juſſit. Moritur anno cIↄcxxxv. Cum eo virilis Normannorum ſtirps in Angliæ Regno eſt exſtincta.

Parlamenti origo.

Stephanus. §. 7. Henrico mortuo, Stephanus Boloniæ Comes, ſororis Henrici filius in Regnum celeritate multisque pollicitationibus adhibitis irrepit: quanquam ipſe una cum Ordinibus jurejurando fidem Mathildi obſtrinxerat: quod vero variis iisque ineptis eludere cavillationibus conabantur. Is, ut Regnum ſibi firmaret, conciliavit ſibi Ordinum animos beneficiis, ac tributi remiſſione; munitas quoque arces ædificare Nobilibus conceſſit, magno ſuo in poſterum malo; filium denique Euſtachium cum Conſtantia Ludovici Craſſi Regis Gallorum filia connubio junxit. Is Rex turbulentum perpetuo Imperium geſſit. Scoti primum, & Nobiles deinde, caſtellis freti, multum ei negotii exhibuerunt: Scoti tamen ingenti clade perdomiti ſunt. Maxima contentio ei interceſſit cum Mathilde Auguſta: ad eam in Angliam venientem quum magnæ concurſiones fierent, aliis ſuper alios in ejus caſtra tranſeuntibus, Stephanus in prælio ad Cheſtriam capitur. Londinenſibus, ut Eduardi Regis leges in uſum revocaret, petentibus, quum illa recuſaſſet, ab ea ad hoſtes illi deficiunt: & arctiſſima obſidione Oxoniæ circumdata vix imminens periculum effugit. Interim dum hæc geruntur, ex carcere Stephanus Rex elabitur: nec prius tumultuandi finis factus, quam undevigeſimum ætatis annum Henricus Mathildis filius attigiſſet. Is quatuor ingentium provinciarum dominus, Andegavum paterna, Normanniam materna hereditate adeptus, Viennam & Pictaviam uxorio jure, (habebat enim in matrimonio Eleonoram Guilielmi ultimi Viennæ Ducis filiam ac heredem,) poſſidens, quum Angliam quoque ſub imperium ſuum redigere inſtituiſſet, cum exercitu in Angliam appulit, & nullo pæne negotio id quod inſtituerat, effecit. Euſtachio Stephani Regis

Henricus II.

gis filio repentina morte oppreſſo, inter utrumque ita convenit, ut Stephanus Rex eum filium & heredem adoptaret. Quod poſteaquam Stephanus feciſſet, paulo poſt moritur anno CIƆCLIV. Eum igitur excepit Henricus II. qui inter alia præclara facinora, caſtella, Stephani conceſſu exſtructa, ab Epiſcopis Nobilibusque dirui juſſit. Regno per annos duodeviginti feliciter & tranquille adminiſtrato, eum cupido inceſſit, Henricum filium inaugurandi, & in Regni ſocietatem adſciſcendi; ut eo firmiorem ipſi ſucceſſionem redderet: nupta illi fuerat Margarita, Ludovici junioris Gallorum Regis filia. Res ea magna Henrico patri incommoda attulit: Henrico quippe adoleſcenti perſuaſum eſt, parentem Regno ſe penitus abdicaſſe & in filium tranſtuliſſe. Gallorum quoque Rex invidia percitus iniquo animo ferebat, tantas regiones a Britannorum Rege in Gallia teneri. Nec Scoti quidquam magis, quam Angliæ deprædandæ occaſionem, expetebant. Itaque Henricum II. Galli Scotique una cum Henrico juvene ſimul aggrediuntur. Sed feliciter utrique repulſi ſunt: Scoti inprimis ingenti eo bello affecti clade Huntingtoniæ quoque Comitatu exuuntur. Pace cum Gallis compoſita, ſecundo Henrici filio Richardo Adela, Ludovici filia, deſponſatur. Cum ea deinceps Rex pater amore captus ſtupri conſuetudinem habuiſſe, eamque ob cauſam nuptiæ Richardi filii diſturbatæ ab illo fuiſſe memorantur. Id Richardus (qui mortuo Henrico, fratre natu maximo, proximus Regni heres exſtiterat) adeo inique tulit, ut adverſus patrem inſurgeret. Philippus Auguſtus Galliarum Rex, diſcordiæ iſtius occaſione uſus, *Mans* oppidum capit. Ea res Henrico Regi, præterquam quod ſe ab amicis, uxore, liberisque deſtitutum videbat, tantum doloris

attulit, ut paucis diebus poſt præ mœrore, diem obiret anno CIↃCLXXXIX. Henricus iſte Hiberniam quoque ſubactam Angliæ Regno adjecit: eam ipſe & inſequentes Reges titulo Comitatus obtinuerunt usque ad Henricum IIX. qui, excuſſo Pontificis jugo, ut ei ægre faceret, Hiberniæ Regem ſeſe appellavit: contendente alioquin Pontifice, in Chriſtiano orbe nemini ultro Regium adſciſcere nomen, niſi a ſe conceſſum, licere. Pontifex, jus ſuum, quod ſibi per vim ſumſerat, tueri poſtea conatus, illud honoris inſigne Mariæ Reginæ ſolenniter detulit. Multum præterea negotii faceſſivit Henrico Thomas Beckerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis. Is Sacerdotes, Regio inſtituto, delictorum cauſſam dicere in judicio civili permittere noluit, contra divinam majeſtatem eſſe, cauſſatus. Memoriæ proditum eſt, Thoma iſto per vicum quendam equitante, quum caudam equinam protervi ruſtici amputaſſent, eorum liberos ſimiliter caudatos eſſe natos.

Hibernia Angliæ ſubjicitur.

Richardus I.

§. 8. Richardus I. qui Henrico patri in Imperio ſucceſſit, inconſiderato religionis fervore adductus expeditionem ea tempeſtate in Terram Sanctam ſuſcipit, cum quinque & triginta militum millibus, comite Philippo Auguſto, Gallorum Rege: & Cyprum quidem inſulam in itinere ſubegit, quam cum Guidone Luſignano deinceps ipſius in Hieroſolymam jure permutavit: in Ptolemaide expugnanda quoque præſto fuit anno CIↃCXCII. ibi quum Leopoldi, Auſtriæ Ducis, vexillum præfixum primum eſſet, illud tolli Richardus, & ſuum ipſius in ejus loco collocari juſſit. Sed quum jam ſpes eſſet potiundæ propediem Hieroſolymæ, Gallus in patriam redit, poſteaquam Richardi provincias & terras a ſe domi haudquaquam vel minima re violatum iri

con-

conceptis verbis juraverat: cum ſequitur Odo ſeu Hugo, Dux Burgundiæ: inde animus Saladino creſcere cœpit. Atque Richardus, Gallos in Normanniam incurſionem feciſſe percipiens, pacem cum Saladino facit. Sed terreſtri itinere in Auſtriam ignoto habitu contendens agnoſcitur: agnitus ob contumeliam Ptolemaide illatam in cuſtodiam datur, & Imperatori traditur. Ita in carcere menſes omnino xv. detentus librarum millibus centum redimere libertatem neceſſe habuit. Domûm reverſus, miram Regni perturbationem offendit: neque enim Galli ſolum in Normanniam impetum fecerant; ſed Regnum etiam Joannes frater affectabat; quem tamen brevi, ut veniam delicti peteret, ſubegit, Galloſque etiam ſtrenue repreſſit. Vulnere, quod in obſidione exigui Galliæ oppidi acceperat, confectus, paulo poſt vita fungitur anno cIↃcxcix. Eo mortuo Joannes frater Regnum occupat: de quo controverſiam ipſi eo tempore faciebat fratris ejus natu majoris filius, Arthurus, Britanniæ Minoris Comes. Is quum per ſe virium haud ſatis haberet, ad Gallorum Regem confugit, cui omnes Angliæ vexandæ occaſiones exoptatiſſimæ erant, quique complura oppida in Normannia & tractu Andegavenſi ceperat. Pacem denique cum eo turpiſſimam fecit Joannes, quum & Blancam, Alfonſi Caſtiliæ Regis & ſororis Eleonoræ filiam, Ludovico Philippi filio in matrimonium daret, & oppida a Philippo expugnata ad unum omnia, Juliomago excepto, pro dote aſſignaret. Inde Iſabellam, Comitis Engoliſmæ filiam heredemque uxorem ducit, Hugoni Comiti *de la Marche* antea deſponſatam. Is ad eam injuriam vindicandam, viribus cum Arthurio, Britanniæ Principe, & Gallorum Rege conjunctis, tractum Turonenſem & Andegavenſem

Johannes.

ſem invadit. Johannes autem hoſtes ex improviſo opprimit deletque, & Arthurum Principem ipſum capit, qui paulo poſt Rothomagi in carcere periit. Sed Conſtantia mater ejus de morte filii accuſationem inſtituit apud Philippum Gallorum Regem, utpote in cujus clientela fiduciaria Johannes Rex propter poſſeſſionem provinciarum Gallicarum eſſet: ita Henricus in jus vocatur, ut ob Arthuri cædem capitis cauſſam dicat. Ille ad conſtitutam diem non comparens, ſententia lata, omnium in Gallia poſſeſſionum clientelarium (vulgo feuda vocant) exſors pronunciatur: exin totam ei Normanniam adimere Rex Philippus inſtituit; trecentis & ſedecim annis poſtquam a Rollone Normanno ſubacta fuerat. Galli Juliomagum (vulgo Angers) quoque oppugnantes, ſunt ſtrenue a Joanne Rege repulſi; itaque induciæ in biennium factæ ſunt. Intra quod tempus Scotos una cum Hibernis Walliſque rebellibus in ordinem Johannes coegit. Exin bellum cum Gallia denuo exarſit: & Joannes Rex exercitu ſuo victo fugatoque iterum cum Gallis inducias paciſcitur. Infelix iſte bellorum eventus vehementer Joannis auctoritatem apud Primores Angliæ labefactavit, qui ipſum ſua ſponte propter tributorum magnitudinem odio proſequebantur. Itaque coitione facta priſtinam libertatem repetunt: & a Rege ſpe vana lactati, quum ad apertam ſeditionem res evaſiſſet, a Ludovico Philippi Gallorum Regis filio auxilium petunt. Ad quem in Anglia appulſum magni undique concurſus fiebant: Johannem comprimere hoſtes parantem vita deſtituit. Moritur quippe dolore confectus anno CIↃCCXVI.

Henricus III. §. 9. Succeſſit ei filius Henricus III. cui tenera ætas & miſerationem apud pleroſque commovit, & paternam exſtinxit invidiam. Gallos quoque Gui-

Guilielmus Comes Pembrocenſis, idemque tutor ejus, ad Lincolnam fundit fugatque, & quæ eis e Gallia ſubſidio miſſæ fuerant, copias prælio navali delet. Eam ob rem Ludovicus abdicato in Angliam jure domum ſeſe recepit. Henrici Regnum querelarum ac motuum inteſtinorum plenum perpetuo fuit: qui ex advenarum potiſſimum colluvie munera opesque ad ſe rapientium dimanarunt. Trecentos quippe Italos, qui ſacris ibi beneficiis perfruerentur, ſimul eo Pontifex miſit, qui uſque adeo in bona incolarum graſſabantur, ut annui reditus ſummam ſexaginta millium marcarum (ut vocant,) argenti explerent: quantam ne ipſe quidem Rex eo tempore percipiebat. Itaque is, in aſſiduis illis exactionibus, propter profuſionem, pecuniæ inopia perpetuo premebatur. Porro, filia Comitis Provinciæ in matrimonium ducta, ad ejus propinquos locupletandos magna argenti vis conſumta eſt. Ad ultimum, bello Regem inter & Primores conflato, Henricus jus ſuum in Normanniam, Andegavum, Agrum Turonenſem, Cenomanum, Gallo, pretio trecentorum millium librarum, remiſit: Rex ipſe primo ſtatim prælio capitur. Cæterum filius, Eduardus Princeps, coacto denuo exercitu, & Simone Montfortio Leiceſtriæ Comite eodemque factioſorum anteſignano cæſo, Regem liberat, & turbas penitus omnes ſedat. Foris memorabile nihil Henricus geſſit, præterquam quod duas in Galliam expeditiones ſuſcepit, ſed fruſtra. Obiit anno CIↃCCLXXII. Succeſſit Eduardus filius, qui, quum eo tempore in Terra Sancta eſſet, anno demum interjecto domum reverſus Regnum placide ac quiete capeſſivit. Per eum Wallia penitus conjuncta cum Anglia eſt, Lyonnello ultimo Principe, adverſus Regem rebellante, in acie cæſo. Eo re-

Eduardus I.

Odii Anglos inter & Scotos origo.

regnante Anglos inter & Scotos bellum cruentiſſimum odiumque implacabile exarſit, quo per trecentos circiter annos utraque gens miſerandum in modum colliſa jactataque fuit. Origo iræ hæc fuit. Alexandro III. Scotorum Rege ſine prole mortuo, complures, qui Regnum ambirent, erant: iis ſe arbitrum ingerit Eduardus Rex; majores ſuos cauſſatus, dominium Scotiæ ſupremum ſeu (ut cum vulgo loquar) *directum* obtinuiſſe, eodemque clientelæ fiduciariæ vinculo etiamnum ſibi obſtrictos eſſe Scotos. Cauſa cognita compertum eſt, Regnum potiori jure Joanni Baliolo, Comiti Galluvacenſi, & Roberto Brucæo deberi. Sextum jam annum controverſia diſceptabatur, quum Brucæo ſecreto ad ſe evocato Eduardus promittit, ſeſe Scotiam ei adjudicaturum, modo jusjurandum clientelare (vulgo *homagium* appellant) dicere in animum induceret. Brucæo id recuſante, & ſimul oſtendente, ſe non usque adeo regnandi cupidum eſſe, ut ea gratia patriæ libertatem labefactare velit, Joannes Baliolus conditionem accipit, atque adeo Regnum Scotiæ conſequitur. Is paulo poſt, diſceptantibus inter ſe Comite de Friſe, & Gente Albernethana, quæ illius fratrem occiderat, hanc ſententia lata abſolvit. Ergo ad Curiam Anglicanam provocat Comes. Eo etiam Baliolus Rex accitur, ut una cum Angliæ Rege in Concilio Magno ſedeat. Jamque cauſſa agi cœpta erat, quum ecce Baliolus ſurgere jubetur, ut redderet ſententiæ ſuæ rationem. Cauſſam dicere per procuratorem cum inſtituiſſet, prohibetur, ac eodem in loco, ubi rei conſiſtere conſueverunt, ſtare ipſe cauſſamque orare cogitur. Eam, ut interpretabatur, ignominiam, Scoti tam iniquo tulerunt animo, ut Joannes Baliolus domum reverſus Eduardo Regi declararet, ſeſe jurisjurandi

tan-

tanquam iniqui religione haud teneri: neque enim in ſua manu eſſe, ejuſcemodi promiſſis ſeſe obſtringere. Simul redintegrato cum Gallis fœdere, bellum Anglis denuntiat. At vero Eduardus Rex, impetu in Scotiam facto, captisque oppidis munitiſſimis, ac Scotis una cum Rege jurejurando adactis, ipſum in Angliam captivum mittit, firmiſſimo in Scotia præſidio relicto. Id præſidium paulo poſt a Scotis, Guilielmo Valleſio, Equeſtris ordinis homine, cætera egeno, duce, profligatum eſt. Eduardus Rex ex intervallo rediens, quadraginta Scotorum millia occidione occidit ad oppidum Forkirck: ibi tertium eos ſacramentum apud ſe dicere jubet. Cæterum, Robertus Brucæus, Balioli competitor, neglecta jurisjurandi religione Regnum invadit: clades utrinque data eſt & accepta. Sed quum Eduardus Rex ipſe adverſus Robertum infeſto agmine proficiſceretur, eum morbo correptum mors intercepit CIƆCCCVII. Bellum quoque cum Gallis Eduardus antea geſſerat. Quippe quum circa Normanniæ oras prædati eſſent Aquitani, Eduardo ſubjecti, hunc ceu clientem ſuum fiduciarium Philippus Pulcher Rex in curiam ad ſe citat: atque quum ſe ſiſtere detrectaret, omnibus, quas in Gallia obtinebat, beneficiariis poſſeſſionibus (*feuda* barbari vocant) eum mulctat. Burdigalam quoque, aliaque loca damnato adimit. Adverſus eum cum Flandriæ Comite & Adolpho Imperatore fœdus Eduardus icit. Cæterum, infeſtis copiis in Flandriam quum veniſſet, cognita omnium ibi rerum perturbatione, inducias cum Philippo Rege facit, atque illius filiam Eduardo filio deſpondet anno CIƆCCXCVII. Judæos idem Rex ex Anglia ejecit, bonaque proſcripſit, tanta cuique bonorum portione relicta, quantam ſuis ipſe humeris aſportare poſſet.

I 5 §. 10. Eum

Eduardus II. §. 10. Eum Eduardus ejus nominis II. filius excepit, qui, ut primum Regni gubernacula ſuſcepit, nuptias cum Iſabella Philippi Pulchri filia, ſibi patre adhuc vivo deſponſata, celebrat. Aquitaniam & Pontivenſem Comitatum titulo dotis recepit, quæ parenti olim ejus Galli maximam partem eripuerant. Cum Scotis infeliciſſime pugnavit: prælio ad oppidum Bannoksboroug commiſſo a millibus Scotorum triginta, Anglorum centum millia victa fugataque; tantusque fugientibus terror injectus eſt, ut adverſus ternos Scotos vix centeni Angli conſiſtere, eorumque excipere impetum auderent. Ex eo tempore Angli acie inferiores perpetuo fuere,(niſi quod quum in Hiberniam Scoti impetum feciſſent, eos Angli inde pepulerunt.) Itaque Eduardus inducias cum iis facere neceſſe habuit. Domi quoque ingenti turbarum procella jactatus eſt: propterea quod Primores Regni Gaveſtonem, hominem intimæ apud Regem admiſſionis, eique in primis carum, & eo mortuo Spenſios e medio ſublatos cupiebant. Res tandem in bellum erupit: eo fracti victique Primores capitis pœnas dedere. Regina ipſa exin in Galliam profugit, indeque in Hannoniam: propterea quod Regis animum ab ea Spenſii abalienarant. Inde cum exercitu rediens, dato in cuſtodiam Rege, Spenſios ac complures alios interfici jubet. Rex abdicare ſe Regno, idque Eduardo filio deferre Magni Concilii decreto coactus, alio atque alio transferri, miſerrimeque haberi; extremo miſerandum in modum necari, ſemeſtri ſpatio poſt, quam Regnum ipſi abrogatum fuerat, anno CIϽCCCXXVII.

Eduardus III. §. 11. Eduardus III. per ætatem imperio haud ſatis maturus erat, quum ad eum Regnum deferretur: itaque eo impubere pleraque imperii munia a matre, & qui apud eam gratia plurimum

va-

valebat, Rogerio Mortimerio adminiſtrabantur. Ea ſub initium Regni ignominioſam cum Scotis pacem iniit; quippe in conditionibus erat, ut Principatu Eduardus omnique in Scotos jure cederet: Scoti contra, quidquid in Cumbriam & Northumbriam juris haberent, ut eo decederent. Hac re multisque aliis offenſionibus factum eſt, ut paucis interjectis annis Regina in æternum concderetur carcerem, Mortimerius patibulo ſuſpenderetur. Exin nova bellorum atrociſſimorum ſeges inter Anglos Gallosque exſtitit: tribus Philippi Pulchri filiis, Ludovico, Philippo, & Carolo, ſine prole demortuis. Eduardus quippe Galliæ Regnum ſibi tanquam Regis ultimi ſororis filio deberi aſſerit, argumentatus, ut maxime matrem Regno prohibeat ſequior ſexus, ſibi tamen quippe mari id fraudi eſſe non poſſe. Sed Philippus Valeſius, quamvis uno propinquitatis gradu remotior, (erat enim Philippi patruelis) Regnum tamen ab Ordinibus Galliæ obtinuit, Legis Salicæ obtentu, & alienæ dominationis odio commotis. Nec parum eam rem juvit Roberti, Comitis Arteſiæ, contentio. Eduardus inde ad ſacramentum nomine Aquitaniæ, quam obtinebat, apud Philippum Regem dicendum citatus comparuit; licet jus ſuum iſtius facti præjudicio vehementer labefactari videretur. Sed & juvenis erat, neque in Anglia otium ab inteſtinis motibus fuit. Ambiani quum templum iniret & diademate redimitus, & gladio ſuccinctus, & calcaribus munitus; hæc omnia deponere, & flexis genibus dicere jusjurandum jubetur. Eam rem acerbiſſime tulit Eduardus, cum ingenti in poſterum Galliæ malo. Paulo poſt Regnum ſibi debitum a Rege Scotiæ adhuc juvene Eduardus Baliolus, Joannis Balioli filius, poſcit: ei ab Eduardo Rege, etſi hujus ſoror Davidi Scotorum Regi

Jus Anglorum in Galliæ Regnum.

Regi nupſerat, tamen, neglecta affinitate, auxilium latum. Per eos motus Barvicum Angli recipiunt; atque triginta Scotorum millia prælio victa cadunt. Baliolus Regno potitus, ſe cum Scotis ſuis in clientela ac poteſtate Anglorum fore, jusjurandum prò more dedit: Eduardus poſtquam ad ætatis maturitatem pervenit, auctore Roberto, Arteſiæ Comite, expeditionem ſuſcipit in Galliam, ſuum in iſtud Regnum jus perſecuturus: titulos quoque ac inſignia Gallorum Regis uſurpare cœpit. Ea expeditione claſſem Gallorum, ad Anglos littore prohibendos provectam, delet Eduardus, interfectis claſſiariorum triginta millibus anno CIƆCCCXL. Angli deinde quum Tornacum urbem obſidere inſtituiſſent, inducias ſub id tempus unius anni faciunt. Interim cum Scotis multum Anglis negotii fuit. David namque Rex adventu ſuo Eduardum Baliolum pulſum Regno exuerat. Exin bellum in Gallia recruduit: Angli inter alia oppida Engoliſmam capiunt. Eduardus ipſe, ingenti in Normanniam exercitu deducto, multis ibi & in Picardia oppidis potitur: ad ultimum, juſto prælio decertatur ad oppidum Crecii, quod in Picardia ſitum eſt. Anglorum exercitus capitum triginta millium expleverat numerum. Gallorum copiæ altero tanto majores erant: ac acie triginta Gallorum millia, in quibus mille & quingenti homines illuſtri dignitate conſpicui, deſiderata. Poſtridie quoque ejus diei, ſeptem hominum millia, quum ignari rerum omnium in caſtra Gallorum iter facerent, interfecta: nemini eo prælio quamvis mortem deprecanti venia data. Hæ res geſtæ anno CIƆCCCXLVI. Per idem tempus David, Scotiæ Rex, impreſſione in Anglorum fines cum ſexaginta militum millibus facta, (eo conſilio, ut Gallis gratificaturus Anglos bello domeſtico diſtentos

Prælium ad Crecii oppidum.

ſtentos domum revocaret) ingenti prælio victus ipſe capitur. Eodem anno multas ſibi palmas Angli in Britannia & Aquitania victricibus armis compararunt. Caletum inſequenti anno expugnatum, præſidio non niſi genere Anglico firmant. Anno CIↃCCCLVII. Eduardus Princeps, idemque Eduardi Regis filius, in Aquitaniam a patre miſſus, ac longe lateque pervagatus inſignem gloriam reportavit. Joannes Rex cum ſexaginta hominum millibus (Principi autem octo ſolum millia erant) adverſus eum profectus, quum victum jam ac quaſi manibus comprehenſum tenere ſe hoſtem exiſtimaret, nullas omnino quamvis æquas honeſtasque pacis conditiones accipere voluit. Princeps copias ſuas in vineis collinis ſylvisque conſiſtere jubet: inde incurſantem Gallorum equitatum ſagittis repreſſit: hac ratione reliquis quoque ordinibus turbatis, Johannes Rex ipſe una cum filio natu minimo capitur: eo prælio mille & ſeptingenti circiter viri, ſive genere, ſeu dignitate inſignes, cecidere. Locus, ubi depugnatum eſt, duobus milliaribus Pictavia diſtat. Ad extremum, quum Eduardus tribus deinde exercitibus Gallorum fines longe lateque populatus eſſet, Pontificis opera pax componitur ad Bretignium oppidum haud procul Autrico (nunc *Chartres* appellatur) ſitum: in has ſcilicet conditiones, ut præter eas provincias locaque jam ante ab Anglis occupata, Pictones, Santones, Rupellas, Terram Aulnenſem, Angumienſem, Petricorios, Limovices, Cadureos, Aginnenſem agrum & Bituriges, ſupremo Anglus imperio obtineat: Caletum item, Comitatus Oyenſem, Guinenſem, & Pontivenſem retineat: Eduardo aureorum (ut vulgo vocant) milliones tres Joannes Rex ad redimendam libertatem numeret: de ea pecunia filiis tribus natu minoribus, fratre,

Prælium ad Pictaviam.

fratre, aliisque Primoribus Regni, numero triginta, obſidibus datis, caveat: Rex autem Angliæ, reliqua, quæ ceperat, oppida reſtituit, & ſuo in Galliam jure omnino conceſſit. Porro, Eduardus Princeps, cui pater Aquitaniæ Ducatum attribuerat, Petrum Caſtiliæ Regem in Regnum reſtituit. Sed domum reverſus, flagitantibus ſtipendium militibus quum novum popularibus tributum imponeret, atque hi conqueſti ea de re apud Galliarum Regem eſſent, citatus ad Regem, reſpondit: ſeſe ſtipatum ſexaginta hominum millibus compariturum. Itaque bellum Anglis Carolus V. Galliarum Rex indicit, Principem, quod nec conditionibus pacis ſtetiſſet, neque hoſtilia facere omnino ceſſaſſet, ſuo jure atque provinciarum ei ſine exceptione conceſſarum Principatu excidiſſe cauſſatus. Inter belli apparatum Eduardus & cum eo Anglorum felicitas exſtinguitur. Galli totam fere Aquitaniam in poteſtatem ſuam redigunt, Burdigala & Bajona exceptis. Rex ipſe & filii tam ſtrenui fortisque deſiderio, & amiſſarum provinciarum dolore confectus, decimo, quam filius obierat, menſe moritur, anno CIↃCCCLXXVII.

Richardus II. §. 12. Succeſſit ei Richardus II. Eduardi Principis maxime ſtrenui filius, qui Regnum capeſſivit, annorum admodum undecim puer. Galli ejus contemta ætate multas oræ Anglicanæ urbes oppidaque exurunt. Scoti quoque ex altera parte irruptionem faciunt: bellum ancipiti fortuna geſtum eſt, donec prorogatis ſæpe induciis pax convenit. Eo Rege Regnum domi vehementer turbatum eſt. Ac primum in Cantio aliisque provinciis ſeditionem plebs fecit, importunitate exactoris, impoſiti in ſingula capita vectigalis, commota: atque in eo jam res erat, ut rabida atque impotens

tens multitudo obtruncare Nobiles Clericosque ad unum omnes, Monachis ordinis (ut vocant) mendicantium exceptis, in animum induceret, quum derepente Regis auctoritate ſimul ac robore animi permota ad ſanitatem redit. Regi autem cum Primoribus perpetua interceſſit ſimultas: ille enim ſuo imperare arbitratu, & familiares omnino defendere ac tueri nitebatur: hi contra, homines Regio favore elatos ſubmovere, Regiamque poteſtatem circumſcribere ac Concilii auctoritate temperare ſtudebant. Cæterum, dimiſſo Concilio, extemplo acta reſcindere Rex conſueverat. Vicit tamen Concilii auctoritas, effecitque ut maxima Regis familiarium pars aut morte mulctaretur, aut exſilio: Rex quoque ipſe jurejurando adactus, in adminiſtrando Regno ad nutum ac voluntatem Magnatum accommodare ſe cogitur. Exin horribilis in Regem conſpiratio Primorum coorta eſt. Sed iis maximam partem capite plexis, factionem Rex funditus exſtirpaſſe jam atque deleviſſe viſus eſt. Verum enim vero Rex levi momento labefactatur omnino ac ſubvertitur. Res ita ſe habet. Ducem Norfolcium Regi obtrectaſſe Henricus Lancaſtriæ Dux arguit: ille negare factum atque Henricum mendacii inſimulare: inde ad certamen ſingulare quum ſe invicem provocaſſent, prohibiti a Rege, exſulare etiam jubentur. Henricus Lancaſtriæ Dux in Galliam profectus, factiones in Regem concitat: magnaque hominum factioſorum (vulgo *Malcontentos* appellant) multitudo ei ſe aggregat, quæ, ut Regno potiatur, effecturam ſe largiter promiſit. Itaque cum exigua manu in Angliam appulit, eo ipſo tempore, quo Richardus Rex magno ſuo malo in Hiberniam profectus aberat: igitur Henrico ſpatium ad vires confirmandas datum eſt: maxi-

maxime, quod ſex demum hebdomadis interpoſitis, propter ventum adverſum Rex de hoſtium irruptione certior fieri potuit. Accedebat proprium Regis peccatum, qui, quum quos præmiſerat ingentem confeciſſent exercitum, contra quam convenerat, diutius juſto in Hibernia hærens, moras intempeſtivas fecit, quoad copiæ recens conſcriptæ, ſubducentibus ſe paulatim militibus, dilaberentur. Ipſe in Angliam quum veniſſet, atque quantas ſibi opes hoſtis compararit, cognoviſſet, deſperatis rebus omnibus, milites ſuos dimittit, vitam pro ipſius ſalute profundere nequidquam paratos. Eo deinceps in cuſtodiam dato, Ordines Angliæ Lancaſtriæ Dux convocat: ibi tum Richardus, de crimine non uno accuſatus, indignus Regno pronuntiatur. Sed antequam ea ſententia promulgaretur, Regnum ultro deponit: ac paulo poſt in carcere miſerandum in modum trucidatur anno CIƆCCCXCIX.

Henricus IV. §. 13. Hoc pacto ad Regium faſtigium adſcendit Henricus IV. domo Lancaſtriæ ortus, quem Ordines Angliæ, abdicato Richardo, Regem conſalutarunt. Cæterum, ſi & Henrici obtentum, & Ordinum jus ad amuſſim exigas, veraque æſtimatione metiaris, lubrico admodum loco titulum, quo ad Regnum ſibi vindicandum Henricus uſus eſt, poſitum eſſe, intelligas. Nam quod illi prædicant, Eduardum, Lancaſtriæ gente ortum, Henrici III. Regis filium natu maximum fuiſſe, propter deformitatem autem corporis Eduardo fratri poſthabitum, id veluti commentitium & anilibus dignum fabulis jam pridem exploſum eſt a rerum Anglicarum Scriptoribus. Initia ejus Regni variis turbis infeſta fuere; ſed eas difficultates feliciter ſuperavit. Nam quod de Richardo in Regnum reſtituendo Galli inierant conſilium

filium cum ipſius morte evanuit. Magna tum quoque complurium conjuratio, Richardo etiamnum vivo, detegebatur. Et quod cum Scotis conflatum erat bellum, ipſis perquam funeſtum fuit. Denique & Walliæ provinciæ incolæ rebellarunt, ſpe adducti, fore, ut opera factioſorum hominum, maleque erga Regem affectorum, quorum ſe ingens ex Primoribus multitudo conjungere cum rebellibus volebat, jugum Anglorum excutiant. Sed nondum ſuas copias contraxerant, quum eos Rex ex improviſo adortus cruento prælio proſternit: homines ſex & triginta Rex ipſe ſua manu confeciſſe memoratur. Quum nihilo magis homines turbulenti conquieſcerent, tertium inter ſe conjurant: ſed nec ea machinatio Regem fefellit. Et qui ſe ex fuga ad Scotos receperant, eosque in Anglos incitarant,(nec enim illi ullam unquam Angliæ vexandæ conturbandæve occaſionem prætermittebant) ipſi pariter atque adjutores Scoti præter clades nihil retulerunt. Rex moritur anno cIɔccccxIII.

§. 14. Is Henricum V. filium ſucceſſorem habuit: qui, quum prima ætate exiguam ſui exſpectationem commoviſſet, admotus deinde Regni gubernaculis ita eminuit, ut inter præſtantiſſimos fortiſſimosque Angliæ Reges numerari merito debeat. Igitur qua erat animi magnitudine gloriæque cupiditate, maximam ſibi laudis bellicæ ſegetem in bello Gallico conſtitutam eſſe advertebat: accedebat ſuorum auctoritas, qui vetus in Regnum Gallicanum jus armis perſequendum eſſe exiſtimabant. Itaque, miſſis ad Carolum VI. Legatis, ut Regno abiret, poſtulat. Si fecerit, ſe Catharinam filiam ſibi matrimonio juncturum pollicetur. Sed quod Regna temere projicere a conſuetudine imperantium alienum erat, armis dimicandum fuit. Henricus cum exercitu in Gal- Henricus V.

Pugna ad Azincurtum.

liam profectus, Harflorio expugnato, inſignem de Gallis victoriam refert, ad Azincurtum Picardiæ oppidum. Gallorum numerum ad minimum ſextuplo majorem Anglicano exercitu fuiſſe, Angli prodiderunt: paulo minus millia decem eorum cæſa, totidemque capta: contra ex Anglorum exercitu vix aliquot centum milites deſiderati: victoriam Henricus tum temporis haud perſecutus eſt. Gallicana poſtmodum claſſe ad Harflorium ab Anglis victa profligataque, Henricus exercitu iterum in Galliam ducto, quum in Normannia aliud poſt aliud oppidum cepiſſet, ad ultimum Rothomagum expugnavit anno cIɔccccxIx. Atque eo minus ei obſiſtebatur, quod in aula Gallica res peſſimo loco ſitæ erant, Carolo VI. Rege mentis haud ſatis compote, Reginaque Delphino filio vehementer iraſcente; propterea quod is cimelia matri & comparſum a longo tempore peculium ademiſſet, rectius hæc & alia bello ſuſtentando impendi cavillatus. Itaque Regina, his aliiſque rebus impulſa, animo in partes Joannis Burgundiæ Ducis inclinare cœpit, eumque ad ſummam fortunam, ac ſupremam rerum aulicarum civiliumque curationem perduxit: verum major ei privatæ dignitatis contra Delphinum tuendæ, quam publicæ ſalutis ab Anglorum vexationibus defendendæ, cura fuit. In colloquium inde uterque Rex venit: ſed vanum illud atque irritum fuit; Delphini fraude, qui ſpem Burgundo fecerat, fore, ut omnis quæ ſibi cum eo intercederet controverſia componeretur. Conventus quoque Monteroviæ indicitur, in quo Burgundus, Delphino cædis haud dubie auctore, obtruncatur. Itaque filius ejus idemque Dux Philippus paternam ulturus mortem, palam ad partes Anglorum tranſit, atque eo rem deducit, ut Hen-

Henricus, ducta in matrimonium Catharina Principe, tantiſper dum parens viveret, Galliæ adminiſtrationem obtineat, certiſſimus ejus morte heres, ac ſucceſſor Regni futurus. Nuptiæ celebrantur Trojæ, quæ eſt in Campania poſita, anno cIↃccccxx. pactorumque fides jurejurando ſancitur: ea deinceps etiam a tribus Regni Ordinibus Lutetiæ Pariſiorum rata habita. Delphinus eo citatus, quum ſe ſiſtere detrectaſſet, ſententia lata, ob cædem Burgundi, Gallia exſulare jubetur in perpetuum: jamque ejus e medio tollendi via circumſpectabatur. Sed ille alio atque alio fugit, & maximam temporis partem Avarici Biturigum ſeſe continuit: ex eo per ludibrium Rex Biturigum dictus. Interea Angli urbes oppidaque alia ſuper alia capiunt. Tandem Rex Henricus Coſnæ ad Ligerim, obſeſſæ a Delphino urbi, ſuppetias laturus, morbo in itinere correptus, in Arcem Regiam (quæ vulgo *Bois de Vincennes* dicitur) deferendum ſe curat, atque ibi in ætatis ac fortunæ flore moritur anno cIↃccccxxII. Galliæ adminiſtratione Bedfordio Duci eidemque fratri ſuo, Anglicæ autem rei curatione Gloceſtriæ Duci fratri alteri, relicta.

§. 15. Eum filius excipit Henricus VI. infans menſes admodum octo natus. Is ubi adolevit, a paterna deſciſcens virtute, quum partas a patre provincias urbesque omnes per ignaviam atque imbelliam amiſiſſet, avitam gentis Anglicæ gloriam vehementer obſcuravit. itaque Carolo VI. qui Henrico haud diu ſuperſtes erat, mortuo, Rex Galliæ renuntiatur Lutetiæ Pariſiorum. Delphinus item, Carolus VII. deinceps dictus, ſub idem fere tempus Regem ſe declarandum curat, cum omni fortiſſimus quisque Gallicæ nobilitatis ſteti. Scotis etiam illi ſuppetias venienti- *Henricus VI.*

bus: Philippus contra Burgundiæ, itemque Johannes, Britanniæ Duces, Anglicarum partium fuere: ab iis fœdus quoque renovatum eſt. Tum vero acriter utrinque dimicare cœptum eſt. Et Galli quidem primo ad Crevantium Burgundiæ oppidum anno cIↃccccxxIII. & inſequenti anno ad Vernolium ingentem acceperunt cladem. Quumque anno cIↃccccxxv. caſtellum S. Jacobi Beveronis (*S. James de Beuveron*) exercitu quadragies mille militum ſepirent, præſidiariis militibus in extremo diſcrimine opem S. Georgii Sarisburienſis implorantibus, eo audito Sarisburienſem Comitem obſeſſis ſubſidio venire rati, nominisque metu territi, extemplo ſeſe fugæ mandarunt, quemadmodum a Scriptoribus rerum Anglicarum memoriæ proditum eſt. Ita penes Anglos aliquamdiu victoria ubique fere manſit. Cæterum, in obſidione Aurelianenſi ſiſti quodammodo felicitatis curſus cœpit. Et quanquam in ea Gallos commeatum ipſis eripere conantes profligarunt, (id prælium *ab Halecibus* nomen accepit) atque ipſa adeo urbs dedere ſe Burgundionum Duci nequidquam pararet, Anglis omnes pacis conditiones aſpernantibus; tamen non ſolum in obſidione urbis Comes Sarisburienſis, vir ſtrenuus, periit, verum etiam Galli cohortatione puellæ cujuſdam Lotharingicæ nomine Joannæ excitati confirmatique, militem Anglicanum a mœnibus Aureliæ feliciter ſubmoverunt. Ea puella multis deinceps adverſus Anglos rebus præclare geſtis magnisque facinoribus editis Carolum Regem Rhemos ad ſuſcipienda Regni inſignia deduxit. Tandem ab Anglis in prælio leviori capta, tanquam ſuperſtitionis ac Diabolici rea conſortii crematur Rothomagi. Carolo coronato, quum complures ad eum civitates defeciſſent, Angli ſuum quoque Regem Henricum ex Anglia evocatum

Joanna Aurelianenſis.

Regno

Regno Galliæ ſolenniter inaugurant Lutetiæ Pariſiorum cIɔccccxxxII. Eodem tempore pactæ in ſexennium opera Pontificis induciæ haud diuturnæ fuere; Gallis loca complura fraudulenter & quaſi per cuniculos intercipientibus, dicentibusque, nihil contra induciarum religionem fieri, dummodo a vi manifeſta abſtineatur. Quemadmodum nec Carolus Rex adduci unquam potuit, ut juſtum cum Anglis prælium committeret; ſatis habens, arte eos ac ſtratagematis per circuitum impetere. Inprimis autem rem Anglicam in Gallia afflixit Ducis Burgundionum ab Anglorum amicitia levi de cauſa deſciſcentis cum Gallorum Rege reconciliatio. Gliſcebant nonnullæ in Bedfortii Burgundionisque Ducum animis odii ac mutuæ ſimultatis ſcintillæ, quum ad eas penitus exſtinguendas colloquio Fanum D. Audomari, opportunus ei rei locus, deligitur. Jamque præſtitutum tempus appetebat, & diſceptari cœptum eſt, uter prior veniret, quod exiſtimabant, eum, qui prior comparuiſſet, tacita quaſi confeſſione ſe inferiorem eſſe agnoſcere. Id vero recuſabat Bedfortius: quandoquidem in re Gallica adminiſtranda principem locum obtineret, atque adeo ſibi, in tanto dignitatis faſtigio collocato, cauſſæ nihil eſſet, cur fiduciario Galliæ clienti concederet. Burgundus contra, ſe ſupremum eſſe atque unicum urbis colloquio deſtinatæ dominum contendebat. Itaque colloquium intermittitur. Burgundus, rupto amicitiæ Anglicanæ vinculo, immane quantum Carolo Regi auxilii tulit. Acceſſit novum etiam malum, mors Bedfortii Ducis anno cIɔccccxxxv. Sommerſetius ac Eboracenſis Duces quum de Principatu, uter in defuncti locum ſuccederet, acriter inter ſe contendiſſent, pervicit hic quidem, dignitatemque, ad quam adſpiraverat, conſecutus eſt;

Diſſenſiones Ducum rebus Anglorum noxiæ.

tantum autem illi negotii faceſſivit Sommerſetius, ut, antequam novus Galliæ Rector adveniſſet, Lutetia Pariſiorum, poſtquam annos XVII. in ditione Anglorum fuerat, una cum civitatibus compluribus aliis Carolo Regi ſeſe dederet anno CIↃCCCCXXXVI. Quanquam, ut vicem rependeret Gloceſtrius Dux, Burgundione Caletum obſidente pulſo, magnas eidem in Flandria, Arteſia & Hannonia calamitates intulit: nec minori clade Gallos Talbutius, ſumma virtute Dux, affecit. Interim, dum pactis induciis Gallia ab armis paulisper conquieſcit, motus inteſtini ſemina ſparguntur in Anglia. Deſponderat ſibi Rex Comitis Armeniaci filiam: ad eas nuptias diſturbandas Comitem una cum filia Gallus in cuſtodiam dedit. Suffolcius inde Comes, idemque Regius eo tempore apud Gallum Orator, injuſſu Regis, Margaritæ, Renati Ducis Andegavenſis, ejusdemque Neapoleos ac Siciliæ Regis filiæ, nuptias paciſcitur: Regique ut eas ratas habeat perſuadet. Ei vehementer reclamatum eſt a Gloceſtrio Duce eodemque Regis patruo: partim quod & pater mulieris Dux & nomine tantum Rex eſſet, partim quod Armenianæ, priori ſponſæ, magna ſic injuria fieret. Verum tamen nuptiæ nihilominus fiebant: & Andegavenſis inſuper ager cum Cenomanenſi, ut ſponſam dimitteret, Gallo conceſſus. Sed quum Rex obnoxius uxoris præpotentiumque poteſtati miniſtrorum eſſet, Regina primum in ulciſcendo Gloceſtriæ Duce virium factura periculum, eum de Regno male adminiſtrato accuſat, ac comprehenſum clam interficiendum curat: illata inſonti cædes magna deinceps mala Regi dedit. Galli quippe Normanniam paulo poſt recuperarunt anno CIↃCCCCXLIX. quod

Angli Angli motibus Hiberniæ diſtenti haud valida ſuis auxilia

auxilia mittere potuere. Inſequenti anno hi ex Aquitania quoque pulſi ſunt, ut præter Caletum aliaque pauca admodum oppida circumjacentia nihil ipſis in Gallia reliquum eſſet: nec poſt id tempus unquam firmam in Gallia ſedem figere potuerunt. Cauſa tantæ tamque ſubitæ cladis non una affertur: præſidiorum Anglicanorum ſocordia, Ducum ſtrenuorum penuria, ſubjectorum in ſuperbos atque inſolentes Anglorum mores odium; & inprimis inteſtini Angliæ motus, a Richardo Duce Eboracenſi clam excitati. Is namque & Regis ignavia, & averſiſſimo populi ab imperio Reginæ animo cognito, viam ſibi ad Regium faſtigium in tanta rerum omnium perturbatione facturum eſſe confidebat. Adde, quod potiori etiam jure ſibi Regnum deberi aſſerebat, materna quippe ſtirpe a Lyonello, Clarenciæ Duce, Regis Eduardi III. filio tertio, ortus, quum Henricus contra ab Joanne Gauntio Eduardi III. quem diximus, quarto filio originem duceret. Simulabat autem, ſe id unice agere, ut miniſtros exitioſos ac nimio favore elatos,& inprimis Ducem Sommerſetium Rex abs ſe removeret. Inde exercitu coacto prælium cum Regiis copiis committit: eo Dux Sommerſetius cecidit. Ibi tum Eboracenſis Regis Regnique Protector renuntiatur. Sed ea pax haud diuturna fuit, bellumque paulo poſt iterum exarſit, in quo Dux Eboracenſis victus primum in Hiberniam profugit. Verum enim vero Varvicenſis Comes Regias copias aliquanto poſt fundit fugatque, Rege ipſo capto: itaque Dux Eboracenſis Regis Regnique Protector ac legitimus Regii faſtigii heres ſecundo declaratur, hac tamen exceptione, ut Regium nomen Henricus, quoad viveret, retineret. Haud vero diu eo loco res Anglicana ſtetit. Regina, quæ in Scotiam profugerat,

Gallia pulſ.

ingentem comparaverat exercitum: adverſus eum quum Dux Eboracenſis copias in aciem eduxiſſet, ipſe capitur, captivique ad unum omnes morte mulctantur. Sed novum inde exercitum filius ſuperſtes Comesque Varvicenſis quum confeciſſent, Londinum contendunt: ibi Rex ſalutatur Dux Eboracenſis, adoleſcens, nomine Eduardi IV. indito, CIƆCCCCLX.

Eduardus IV. §. 16. Eduardus IV. Regnum magno labore partum majori conſervavit. Henricus quippe validiſſimum exercitum in Septentrionalibus Angliæ partibus conduxerat: cum eo cruentiſſimum poſt hominum memoriam prælium committit Eduardus: hoſtium ſeptingenti nonaginta ſex ſupra millia triginta ſex in acie ceciderunt: Eduardus enim, quod hoſtis numero ſuperior eſſet, nullius omnino vitæ parcere ſuos juſſerat. Henricus in Scotiam compulſus, quum redintegratis copiis rediiſſet, iterum victus fugatusque eſt: ipſe in Scotiam ſe recipiens ægre fuga ſalutem quæſivit. Cæterum, ignoto habitu in Angliam reverſus poſtmodum comprehenditur, & in Turrim (ita carcerem majorem Angli vocant) captivus ducitur: Rex ſacerdotio, quam Regno in tanta hominum factioſorum copia adminiſtrando aptior. Sed necdum omni, quod imminebat, periculo defunctus erat Rex. Is Comitem Varvicenſem Legatum miſerat in Galliam, ut nuptias ibi Bonæ, Ludovici Sabaudiæ Ducis filiæ, conficeret. Verum, quum Rex interea Eliſabetham Joannam Grajam, viduam præcipiti duxiſſet conſilio; Comes eam rem tam ægre tulit, ut ad Henricum Regem palam deficeret, & Clarenciæ Duce eodemque Eduardi Regis fratre in partes pellecto, Eduardum Regem armata manu ex improviſo opprimeret caperetque: verum tamen, cuſtodia incurioſius habita, brevi elapſus eſt: inde etſi

etſi induciæ componebantur, jurejurando invicem ſancitæ; bellum tamen mox recruduit. Varvicii copiis victis profligatisque, ipſe profugit in Galliam: inde redintegratis copiis in Angliam reverſus, quum ſe incredibilis ibi hominum vis cum eo ſociaſſet, Eduardum Regem confugere in Belgas ad Carolum Burgundiæ Ducem coegit. Henricus autem Rex, per novem annos carceris ſqualorem perpeſſus, in Regnum reſtituitur. Sed Eduardus copiis Ducis Burgundiæ adjutus, in Angliam poſtquam appulit, qui ad ipſius partes ac ductum ſeſe applicarent, admodum multos reperit: conceptis verbis, nihil ſe in Henricum Regem moliturum, adjurat, bona modo hereditaria ſeſe aditurum ſimulans: neglecta jurisjurandi religione, ſecreto copias nihilominus cogit. Adverſus eum quum infeſto agmine profectus eſſet Comes Varvicenſis, Dux Clarenciæ Eduardo fratri reconciliatus cum omnibus ad eum copiis tranſiit. Ea res Varvicenſem vehementer afflixit, & quum ſe haud ſatis virium habere intelligeret, prohibere nequivit, quo minus Londinum Eduardus contenderet; is benigne ibi exceptus eſt, propterea quod, ut ajunt, Londinenſibus grandi ære alieno obſtrictus erat, nec poſtremas amoris partes apud eorum uxores tenebat. Henricus in priſtinum carcerem quaſi poſtliminio detruditur. Anno cIↄcccclxxi. Eduardus inde Rex, converſis in Comitem Varvicenſem armis, atrox prælium ancipiti Marte committit, ut victoria in Comitem inclinari videretur. At cœlo nubibus obducto, quum, nemine ſuos noſcitante, legionarii infeſtis inter ſe ſignis concurriſſent, ac mutuis ſeſe vulneribus imprudentes ipſi confeciſſent, victoria prope jam explorata e manibus excidit: ipſe una cum aliis multis ex prima nobilitate occiditur.

tur. Acceſſit aliud haud leve malum, quod conjux Henrici Regis,quæ firmiſſimas in Gallia copias coegerat, adverſo retenta vento, una cum Eduardo filio adoleſcente ſero nimis appulit: ipſa deinceps, ubi in Angliam venit, comprehenditur; filius necatur. Poſtea Henricum quoque Regem Glooceſtriæ Dux, homo ſanguinolentus, ſua ipſius manu interfecit. Poſteaquam in Anglia otium motibus fuit, Carolus Burgundiæ Dux Ludovicum XI. Gallorum Regem in Eduardum incitat, ingens ex Regis utriusque inter ſe contentione commodum ſperans. At Ludovicus XI. mala, quæ ſi quando ſe cum Anglo Burgundus conjunxiſſet, ſibi eventura eſſent, animo proſpiciens, Anglum omni ratione deliuire, Burgundumque ei ſuſpectum facere contendit. Eoque illi majorem fidem habuit Anglus, quod, quæ ipſi ad obſidionem Noviomagi (nunc Nuys vocatur) auxilia Carolus Dux promiſiſſet, ea haud mitteret. Nec parum ad maturandam pacificationem contulerunt ampliſſima, quibus Eduardi miniſtros Rex donaverat, præmia. Ejus conſtabiliendæ gratia in colloquium rem Ludovicus Rex deducit: nec dubitavit ipſe prior in locum conſtitutum venire: vinum quoque diſtribui liberaliter inter Anglicanos milites juſſit. Itaque Eduardus, nullo egregio facinore edito, inglorius, fremente nequidquam Burgundo, in Angliam redit. Adverſus Scotos autem melius rem geſſit: quos in eorum finibus populabundus magnis cladibus affecit. Interim dum hæc geruntur, Glooceſtriæ Dux, quo propiorem ſibi ad Regnum aditum pararet, Ducem Clarenciæ, fratrem natu maximum, interficiendum curat. Ad extremum, Eduardus, quum novum adverſus Galliam bellum pararet, quod Ludovicus Rex, poſteaquam præſens periculum fraudulenta pacifica-

Henricus VI. interficitur.

ficatione propulſaſſet, ſtare pacis conditionibus haud curæ haberet, morbo correptus obiit anno CIↃCCCCLXXXIII.

§. 17. Eduardo IV. vita functo, Eduardus V. filius, puer undecim annos natus, Rex quidem ſalutatur, ſed nominis inanis uſura vix per undecim hebdomadas fruitur. Richardus quippe Gloceſtriæ Dux idemque pueri patruus, homo omnium ſeculorum ſceleratiſſimus crudeliſſimusque, Regni invadendi conſilium illico ceperat. Itaque Regem primum ejusque fratrem in poteſtatem ſuam redigit; uſurpata utriusque tutela: amicos inde Regios ſpectata fide e medio tollit. Sacerdotes præterea impudentiſſimos ſubornat, qui fictos paſſim rumores diſſeminarent: Eduardum IV. adulterinis amplexibus ſuſceptum eſſe: Regnum Richardo jure deberi, quippe quem legitimis nuptiis natum, vel ipſa paterni oris ſimilitudo argueret. Ad ultimum, Buckinghamius Dux ad Senatum Londinenſem retulit, Regnum Richardo merito deferri oportere, paucis, qui ad eam rem ſubornati erant, hominibus perditis, ea, quæ Dux retuliſſet, ſua vociferatione comprobantibus; ab univerſa multitudine Regnum delatum eſſe, ſubdole fingitur. Rex pravis artibus Regni potitus, Regem ſe proclamari inaugurarique anno CIↃCCCCLXXXIII. ſimul Eduardum V. hominem innocentiſſimum una cum fratre miſerandum in modum interfici juſſit. Sed paulo poſt inaugurationem ſimultas quædam Regem inter ac Buckinghamium Ducem, cujus quidem beneficio potiſſimum Regnum ille conſecutus fuerat, exſtitit. Quamobrem aula hic excedens, animo agitare cœpit, quo pacto Regnum Henrico, Comiti Riccomontio, qui ea tempeſtate in Britannia Armoricorum exſulabat, tradi poſſet. Quanquam autem in facinore deprehenſus fuerat

Eduardus V.

fuerat Buckinghamius, & a Richardo ſecuri percuſſus, tamen quod iniverat conſilium perficitur. Atque Riccomontius Comes jam ex Britannia Armoricorum cum claſſe adventabat; anno CIↃCCCCLXXXIV. quum adverſo vento in Normanniam rejicitur: inde quod a Carolo VIII. Galliæ Rege auxilium petebat, facile obtinuit. Ingens quoque multitudo ex Anglia ad eum confluens fidem atque operam ſacramento interpoſito addixit: ei viciſſim ſeſe Principem Eliſabetham Eduardi IV. filiam ducturum, jurejurando confirmat. Sed parum abfuit, quin Henricus in poteſtatem Richardi veniret, Petri Landeſii, Theſaurarii Ducis Britanniæ Armoricæ, fraude & inſidiis circumventus; qui magna auri vi corruptus a Richardo fuerat, quemque poſtmodum ipſius dominus patibulo affigi juſſit. Porro Richardus, quum Eliſabetham Principem ipſe matrimonio ſibi jungere conſtituiſſet, atque eam ob cauſſam, quam eo tempore in matrimonio habuerat, uxorem clam e medio ſuſtuliſſet, differre nuptias propter imminens ab Henrico periculum coactus eſt. Is ei rei ut anteverteret, quum propere ex Gallia, trajecto mari, in Walliam primum appuliſſet: magna celeriter manu diſcedens coacta, acie cum Richardo confligit ad Bosworthum oppidum: in eo prælio Williamus Stanlæus cum aliquot hominum millibus in Henrici caſtra tranſiit: pugnamque multi inter Richardi milites detrectabant. Richardus ipſe occiditur, ejusque diadema ipſo eo loco, ubi depugnatum fuerat, Henrico imponitur, isque magno omnium applauſu Rex proclamatur, anno CIↃCCCCLXXXV.

Henricus VII. §. 18. Ad hoc uſque tempus res Anglicana miſerandum in modum convulſa fuerat, infauſta illa & fatali inimicitia, quæ inter gentem Eboracenſem

ſem & Lancaſtriam interceſſerat: illa Roſam Albam, hæc Rubram pro inſigni gerebat. Quippe Henricus IV. ex domo Lancaſtriæ ortus Richardum II. de Regno deturbaverat: cujus nepotem Henricum VI. Eduardus IV. Eboracenſis viciſſim de ſolio præcipitem egit: hujus porro fratri Richardo III. Henricus VII. e familia Lancaſtria una cum Regno vitam ſimul eripuit. Henricus iſte, ducta in matrimonium Eduardi IV. filia, & factiones Roſæ Rubræ atque Albæ feliciter inter ſe reconciliavit, & rem Anglicanam turbis diuturnis vehementer agitatam inſtaurando ad tranquillitatem ſua prudentia reduxit. Quanquam ne ipſe quidem a motibus inteſtinis immunis fuit. Ac primum quidem omnium Lambertus Symmelius, piſtoris filius, pro Eduardo Comite Varvicenſi fraudulenter ſuppoſitus, Rex renuntiatur in Hibernia. Eam fabulam Sacerdos quidam architectatus fuerat: cui Margarita Caroli Burgundiæ Ducis vidua, eademque Caroli IV. ſoror, ut Henrico moleſtiam exhiberet, mirifice ſubſerviit. Symmelius ex Hibernia cum exercitu in Angliam ubi venit, acie victus ab Henrico Rege capitur, & in culina Regia, verſandis ad focum carnibus aſſis, ſordido calonum miniſterio præponitur. Anno cIↃcccxcI. Henricus, expeditione in Galliam ſuſcepta, Bononiam obſidione cingit. Sed quum auxilium, quod promiſerat, Maximilianus Imperator haud mitteret, ad pacem cum Gallis faciendam, non contemnenda pecuniæ ſumma, inducitur. Interim dum hæc geruntur, alius a Margarita Duce impoſtor ſubornatur, nomine Perkinſius Varbecius, qui ſe pro Richardo, Eduardi IV. Regis filio natu minimo, gerebat, parteſque ſuas tam ſcite ac docte agebat, ut permultos ſibi aſſectatores in Hibernia adjungeret. Inde Lutetiam Pari-

ſiorum

ſiorum profectus perbenigne excipitur, propterea quod eo tempore Gallus ab Anglo capitali odio diſſidebat. Pace compoſita, ad Margaritam Ducem ſe contulit: inde in Hiberniam, & denique in Scotiam ſe recepit: ei Rex, quum honorificentiſſime hominem excepiſſet, e propinquis unam in matrimonium dedit, irruptione ſimul cum exercitu in Angliam facta. Et res eo periculoſiori loco eſſe videbatur, quod per id tempus ingens in Anglia ſeditio propter nova & inſolita tributa coorta erat. Verum tamen non minus ſeditioſis, quam Scotis, ſtrenue obviam itum: illi cæſi domitique: hi magna accepta clade in Scotiam repulſi ſunt. Pacem inde cum Anglis fecere Scoti, fide data, ſe nec perfugium ullum, nec ſubſidia, impoſtori Perkinſio in poſterum præbituros. Is in Hiberniam, inde & porro in Cornwalliam ubi venit, declarari ſe Regem Angliæ juſſit. Sed quum paucos admodum, qui ſtudia ad ipſius partes inclinarent, reperiret, & Regias copias adventare cognoviſſet, in templum confugit, ſeque Regi dedidit: ab eo in carcerem Turris Londinenſis conjectus quum effugere denuo conaretur, res novas moliturus, in furca tandem ſuſpenſus, condignas tanto crimine pœnas dedit. Anno CIƆIƆI. connubium convenit inter Jacobum IV. Scotiæ Regem & Margaritam Henrici filiam: quod effecit, ut Anglia deinceps & Scotia ſub unius ſceptro coaleſcerent. Arthurus quoque, Henrici filius natu maximus, Catharinam, Ferdinandi Catholici filiam, matrimonio ſibi junxit. Sed eo mortuo paucis poſt nuptias menſibus, anno ætatis XVI. Henricus, nec dotem æquo animo reddere, nec affinitatis cum Ferdinando recens contractæ vinculum diſſolvi cupiens: Catharinam Henrico filio ſecundo,

do, puero annos XII. nato, in matrimonium dedit, Julii II. Pontificis Rom. conceſſu: nec dum enim cum ea concubuiſſe Arthurus dicebatur. Eam rem ingentes dein mutationes conſecutæ ſunt. Rex iſte inter prudentiſſimos ſui temporis Principes numeratur: nec in eo quidquam reprehenditur, niſi quod ſubjectis multum pecuniæ per calumuias extorſiſſe dicitur. Obiit anno CIƆIƆIX.

§. 19. Henricus VIII. initio Regni ſtatim nuptias cum ſuperſtite fratris vidua facit, magis ut parentis voluntati ſatisfaciat, quam quod eam ſingulariter diligeret: dum matrimonium firmum & inconcuſſum ſtetit, Rex domi bene feliciterque imperium geſſit: in aula quotidie fere ſpectacula ludique equeſtres edebantur. Quod ad res externas attinet, a Julio II. Pontifice, & Ferdinando Catholico ad fœdus adverſus Gallum ineundum ſpecioſo Sedis Apoſtolicæ protegendæ obtentu pellicitur anno CIƆIƆXII. Spem quoque Aquitaniæ recuperandæ fecerat ei Ferdinandus. Itaque Henricus exercitum mittit in Biſcajam, ut conjunctis viribus, quemadmodum conventum fuerat, impreſſio in Aquitaniam detur. Quoniam autem Ferdinandus Navarræ inhians auxilia Anglis nulla mittebat, hi re infecta domum redeunt. Anno CIƆIƆXIII. Henricus valido cum exercitu Galliam profectus, in Tervanna (ad id oppidum Galli, commeatum importare conati, magnam ſtragem acceperunt) & Tornaco expugnandis moratur: illam ſolo æquavit; hoc Franciſcus I. deinde certa pecuniæ ſumma redemit. Verum enim vero Henricus proſpero armorum ſucceſſui haud ſatis imminens, ſeu propria ac innata adoleſcentiæ ſocordia, ſive quod non tam ſibi quam Pontifici belligeraſſe videbatur, in Angliam revertitur.

Henricus VIII.

vertitur. Henrico abſente Jacobus IV. Scotiæ Rex, quum Gallorum inſtinctu irruptionem in Angliam feciſſet, magna accepta clade, ipſe occiditur. Inſequenti anno pacem cum Gallis Henricus componit: quod eum Ferdinandus ſocer ſpe vana lactare & naſo ſuſpendere adunco videbatur. Mariam inde ſororem Ludovico XII. Regi in matrimonium dedit. *Anno cIↃIↃXXII. Henricus, bello denuo Franciſco I. indicto, quum magnam validamque manum in Galliam miſiſſet, tum eo anno, tum inſequenti parum profecit: nihilo felicius cum Anglis Scoti bellum geſſere. Franciſco autem ad Ticinum capto, quum jam belliſſimam rei Gallicanæ concutiendæ labefactandæque occaſionem nactus eſſe Henricus videretur, (claſſis quippe ad copias in Normannia exponendas parata erat) tamen deſertis Caroli partibus pacem cum Gallo compoſuit. Carolus item, quod intenderat conſilium perfeciſſe ſe ratus, quando parum jam Angliæ fiducia nitebatur, Maria, Henrici filia, quæ ipſi deſponſata fuerat, repudiata, Regis Luſitaniæ filiam uxorem duxit. Et quum litteris antea non niſi ſua manu conſcriptis, & *Filii* nomen & *Amici Fideliſſimi* ſubſcripſiſſet, ea nunc Scribæ manu exarari juſſit, nec in calce litterarum præter ſimplex *Caroli* nomen, ullum obſequii aut honoris titulum appoſuit. Quanquam alioquin magnopere expediebat, ne in alterutram partem nimis inclinare Henricus videretur. Sunt tamen, qui Wolſæum Cardinalem, qui tum apud Henricum gratia & auctoritate nihil non poterat, plurimum ad eam pacificationem momenti attuliſſe exiſtiment: is alienior a Carolo V. fuerat, propterea quod ab eo nec ad Pontificiam dignitatem evectus, & quam ipſi fecerat, ſpe potiundi Archie-

chiepiſcopatus Toletani fraudatus eſſet, nec, ut antea, *Filii nomen* & *Cognati* in calce litterarum adſcriberetur. Henricus utique ingenti ea tempeſtate periculo Galliam liberavit. Is annos omnino viginti concorditer ac ſuaviter cum conjuge vixerat, quum eum religio quædam ac dubitatio exagitare cœpit; jurene ac legitime fratris viduam in matrimonio haberet nec ne? eum ſibi ſcrupulum a Præſide Pariſienſi, qui tum nuptias Mariæ, Henrici filiæ, cum altero Franciſci Regis filio paciſcebatur, injectum primum eſſe prædicabat. Sunt, qui eum uxoris pertæſum, poſtquam Annam Boleniam deperiſſet, de diſſolvendo matrimonio cogitaſſe, affirment. Quod aliis tamen haud veriſimile vel ideo videtur, quod tertio demum anno, poſtquam eo ſcrupulo ſollicitaretur, Annam illam in matrimonium duxerit: & vero tantæ moræ impatiens eſſe flagrans amor videtur. Multi denique in ea ſunt ſententia, ut exiſtiment a Wolſæo Cardinale hanc primum dubitationem ei allatam eſſe, & Carolo V. ægre faceret, & Franciſco I. placeret, viam eo divortio & aditum aperiendo ad conciliandas inter Henricum & Ducem Alenboniam Franciſci ſororem nuptias. Quomodocunque ſe id habeat, re ad Pontificem delata, Campegio, & Wolſæo Cardinali, aliisque negotium datur, ut de cauſſa cognoſcant. Et initio quidem Pontifex cauſſæ Regiæ paulo æquior, quum gratificari Henrico voluiſſet, diploma ad Campegium miſiſſe dicitur: quod tamen ille premere, quoad, quid eo faciendum eſſet, mandatum accepiſſet, juſſus eſt. Ex quo autem Carolus deinceps res præclare feliciterque geſſerat, Pontifex ejus animum offendere veritus, Campegium, diplomate combuſto, rem in lon-

Henrici VIII. divortium.

 gum

plures Evangelici (uti vocant) qui ſacrum cruſtulum (ut Pontificii quidem ſentiunt) in corpus Chriſti converti negabant, morte mulctati ſunt. Licet cauſſa iſtius mali non tam Regi ipſi, quam Epiſcopis tribuenda eſſe videatur, qui legibus tam ſævis promulgandis exſequendisque Regnum tot hominum ſanguine funeſtarunt. Anno CIↃIↃXLIII. bellum cum Scotis recruduit: ii, quum irruptionem in Angliam feciſſent, a parva Anglorum manu fuſi profligatique ſunt: ea clades uſque adeo commovit Jacobum V. Regem, ut præ mœrore moreretur, relicta Maria filiola unica, quam Eduardo filio Henricus deſpondere inſtituerat, eo conſilio, ut Regnum utrumque conjungeret: & tranſacta res foret, niſi Cardinalis idemque Archiepiſcopus Santandreanus irritum conſilium feciſſet. Fœdus quoque Henricus Rex cum Cæſare adverſus Galliam percuſſit: quo conventum erat, ut, conjunctis utrinque ad Lutetiam Pariſiorum copiis, urbem iſtam diriperent, & circumjacentes regiones ad Ligerim amnem uſque vaſtarent, coactis peditum millibus octoginta, equitum duobus & viginti. Sed neuter conditionum fidem implevit. Henricus in expugnanda Bononia hæſit, quam deinceps, pace anno CIↃIↃXLVI. compoſita, Gallis octies centenis aureorum millibus redimendam promiſit: id quod effectum eſt Eduardo VI. Rege anno CIↃIↃL. Equidem haud facile crediderim, ſerio rem egiſſe Henricum, aut commiſſurum fuiſſe, ut Gallis vexandis ipſe Carolo V. ad vires firmandas augendasque viam muniret. Matrimonia, poſtquam Catharinam Arragoniam dimiſerat, triſtis exitus excepit. Anna Bolenia, adulterii pariter & inceſtus accuſata, ſecuri percutitur: etſi religionis potius Evangelicæ, cui addicta fuit, quam criminis invidiam ei obfuiſſe, permulti exiſtimant. Prin-

Matrimonia Henrici.

Principes certe Proteſtantes (ut vulgo appellant) ſupplicium iſtud tam iniquo tulerunt animo, ut Henricum, quem antea ducem factionis ſuæ & anteſignanum eligere decreverant, ſuas ſibi res habere juberent. Poſt Annam matrimonio ſibi junxit Janam Semeram, Eduardi VI. matrem, quæ in partu periit. Exin Annam Cliviam quum duxiſſet, mox, ob neſcio quod corporis vitium, intactam dimiſit. Quinta conjux Catharina Howarda fuit: ea adulterii accuſata capite plectitur. Sexta, nomine Catharina Parra, Comitis Latimeri vidua, ſuperſtes Regi fuit. Ipſe moritur anno CIƆIƆXLVII.

§. 20. Eduardus VI. puer novennis Regnum capeſſivit. Sed, eo impubere, Dux Sommerſetius, avunculus ejus, cuncta imperii munia obiit. Operum primum fuit, quod cogere Scotos inſtituit, ad nuptias inter Eduardum Regem & Mariam Reginam juvenculam ſuo conſenſu approbandas: impreſſione in Scotiam facta, ad Muskelborughum oppidum ingenti acie victos fundit fugatque. Voti tamen haud compos factus eſt: Reginam quippe Scoti in Galliam miſere, Delphino, qui deinceps Franciſcus II. appellatus eſt, nupturam. Hoc Rege Reformata, uti vocant, Religio in Angliam publice introducta eſt, ſacris Pontificiis abolitis prohibitisque. Quæ res locum ac materiam turbis ciendis dedit. Sed eæ ad extremum feliciter ſopitæ ſunt. Pace quoque inter Angliam, Galliam Scotiamque compoſita, Bononia Gallis reſtituitur anno CIƆIƆL. Ad ultimum, Rege gravi ac periculoſiſſimo morbo laborante, Northumbriæ Dux, qui antea Sommerſetium Ducem ſupplicio affectum e medio ſuſtulerat, malis artibus effecit, ut per cauſſam ſtabiliendæ Religionis Reformatæ Rex teſtamentum conderet: eo exhere- Eduardus VI.

dibus Regni Maria & Eliſabetha ſororibus ſcriptis, (nam Scotiæ Reginæ ea tempeſtate nulla fere ratio habebatur) Joanna Graja, Ducis Suffolciæ filia, ex Maria Henrici VII. filia ſuſcepta, Regina deſignatur: magno ſuo & auctoris malo. Nam Eduardo Rege mortuo anno CIƆIƆLIII. Joannam quidem Northumbriæ Dux Reginam Londini pronuntiari jubet. Maria autem Eduardi ſoror natu maxima, ſcripto ad Sanctius Concilium miſſo, Regnum ſibi deberi aſſerit. A litteris ultro citroque miſſis ad arma ventum eſt: ex nobilitate multi cum Regina ſteterunt, ea quidem lege, ne quid in ſacris mutaret. Magna etiam exercitus naviumque pars ad eam tranſit; Conſiliarii Sanctiores plerique omnes, totaque civitas Londinenſis ad ejus ſe partes applicant, Reginamque ſalutant. Quin ipſe quoque Northumbrius, foro uti ac ſcenæ ſervire doctus, Mariam Reginam Cantabrigiæ proclamat; nullo ſuo bono; nec enim capitis ſupplicium evitare iſto officio potuit.

Maria. §. 21. Maria Regina Pontificiæ religionis cultum & ſacra, Eduardo Rege abolita, Pontificis denique auctoritate publice in Angliam reducere & quaſi poſtliminio inſtaurare inſtituit; Evangelicos contra miſere crudeliterque habere, complures eorum morte mulctare. Verum tamen Eccleſiaſticas poſſeſſiones recipere nullo modo potuit: verita, ne adimendo eas Nobilibus, qui tum poſſidebant, voluntatem ejus Ordinis ab ſe alienaret. A Pontifice quoque Polus Cardinalis mittitur, ad Regnum iſtud Apoſtolicæ Sedi reconciliandum. Maria Philippo, Caroli V. filio, nupſit, qui poſtmodum Rex Hiſpaniæ factus eſt: inter conditiones erat, ut penes illam omnium Regni munerum magiſtratuumque & opum arbitrium eſſet: & ſi quem ſuſcepiſſet filium, ad eum, præter Angliam, Burgundia

gundia quoque & Belgium hereditate veniret: Don Carolus priori matrimonio genitus Hiſpaniam terraſque Italicas haberet: denique, ſi contingeret, ut ſine herede Don Carolus moreretur, hujus quoque portionem ille acciperet. Sed ſterile conjugium provectior Mariæ ætas fecit: triginta quippe anni erant, quum ſocero jam ſuo Carolo uxor deſtinabatur. Multi, qui iſtas cum Hiſpano nuptias indigne ferebant, ſeditiones concitare cœperunt: inter quos fuit Dux Suffolciæ, Joannæ pater: ea quum adhuc in Turri Londinenſi captiva detenta eſſet, una cum Guilfordo, marito, & parente, capite plectitur. Nec multum abfuit, quin ipſa quoque Eliſabetha, Regina deinceps facta, eandem ſubiret fortunam, ni Philippus pariter ac Hiſpani omnes ejus mortem deprecati eſſent: non quod illi bene cuperent, ſed quod verebantur, ne per Mariam, proximam ab Reginæ obitu Regni Anglicani heredem, quæ Delphino Galliæ nupſerat, Anglia Scotiaque ſimul cum Gallia conjungerentur. Cautum præterea ſponſalibus fuerat, ne ſe bellis, quæ cum Gallis Philippus gereret, immiſcere Maria neceſſe haberet. Verum tamen, quum bellum incidiſſet cum Gallis, nihilominus Philippo lectiſſimas copias ſubſidio miſit, ut earum potiſſimum opera celeberrima illa ad Fanum S. Quintini victoria parta eſſe videatur: victoribus Anglis facultas ejus urbis diripiendæ, ipſis ſolis a Philippo data, præmium fuit. Hac belli movendi anſa captata Henricus II. Galliæ Rex, Duce Guiſio, Caletum oppidum munitiſſimum, ſed ea tempeſtate maxima præſidii parte nudatum, paucis, quam oppugnare cœpit, diebus, expugnat. Oppidani ad unum omnes urbe exire juſſi, auro, argento, gemmis, omnique inſtrumento pretioſiori relictis: Guinam denique Hammamque ar-

ces, ut ne quod Anglis in continenti receptaculum ſupereſſet, Galli cepere. Ei cladi haud diu ſuperſtes fuit Maria, mortua anno CIↃIↃLIIX.

Eliſabetha. §. 22. Eliſabetha Mariæ ſororis obitu uno omnium ore Regina conſalutata, ſe Regnumque ſuum difficillimis temporibus ad extremum usque diem prudentiſſime glorioſiſſimeque geſſit ac conſervavit. Ac initio quidem Philippus, quum Angliæ Regnum retinere inſtituiſſet, Eliſabethæ nuptias ambit, confirmans fore, ut ei canonis gratiam hac in parte faciat Pontifex: ad eam rem impediendam omni ope Galli apud Pontificem nitebantur. Eliſabetha, quanquam palam offendere tantum Principem ac de ſe optime meritum verebatur, eundem tamen ſcrupulum injectum ſibi eſſe ſenſit, (par enim utriusque ratio erat) qui parentem ad divortium cum Catharina Arragonia faciendum impulerat: præterea ſe non poſſe non iniquam videri, ſi Pontificis in indulgenda ſceleris venia auctoritati quidquam loci reliquiſſet; propterea quod paternum divortium hoc veluti fundamento nitebatur, quod Pontifici quemquam legibus divinis ſolvere integrum haud eſſet: itaque Pontificem miſſum omnino facere, & Philippum, quam fieri poteſt, placidiſſime modeſtiſſimeque avertere ab inſtituto conſtituit. Porro Religionem Reformatam, denuo Ordinum Angliæ decreto, & Epiſcoporum auſpicio, alio tamen atque alio tempore, introduxit. Pontificios autem publice ſacrorum cultu interdixit: mulcta in eos ſtatuta, qui templum obire die Dominica neglexiſſent. Omnes præterea jurejurando adacti, ut ſupremam ejus, etiam in rebus Eccleſiaſticis, poteſtatem agnoſcerent: id ſacramentum ex novem Clericorum millibus & quadringentis, modo centum octoginta novem homines, inter quos Epiſcopi XIV. fuere,

re, recuſarunt. Atque in eo, quod ſibi ſumſerat, regimine Eccleſiaſtico conſtanter perſtitit: quanquam multum ei negotii duo hominum genera faceſſerunt, Pontificii, ac Puritani: ex quibus hi Epiſcoporum poteſtatem, ritusque omnes Pontificiorum inſtitutis affines, damnabant, ad Genevenſium diſciplinam ceu rei divinæ normam cuncta exigentes: quanto autem magis creſcebant numero, tanto ſeverius a Regina coercebantur. Pontificii ſæpius & Regnum Eliſabethæ & vitam petiere. Malevoli quoque & inimici multa peregre Seminaria ſeu Scholas Nationis Anglicanæ inſtituere; Duaci videlicet, Rhemis, Romæ, & Valliadolidi: ibi Anglica juventus Pontificiis ſacris initiata inſtituebatur, atque hiſce ferme præceptis imbuebatur: ſummum in Reges imperium penes Pontificem eſſe; populares, ut quemque Regem hæreſeos, ſeu ſuſpectum ſeu convictum Pontifex proſcripſiſſet, ſacramenti fideique religione ſolutos; atque adeo interficere ejusmodi Regem, palmarium omnique memoria celebrandum facinus eſſe. Ex ejusmodi Scholis miſſi in Angliam Sacerdotes, qui Pontificiam doctrinam, & ea inprimis, quæ dixi, dogmata, diſcipulis tradita propagarent. Cum iis magna hominum perditorum multitudo conſilia viresque jungebat, ut ſeditione mota Reginæ vitam peterent: maxime quod ea a Pio V. Pontifice proſcripta fuerat. Verum nihil profecerunt aliud, quam quod uberrimam carnifici ſontium plectendorum meſſem præbuere; effeceruntque, ut durius Pontificii haberentur Multum quoque negotii Eliſabethæ Reginæ Maria Scota exhibuit: quippe quæ proxima ab Eliſabetha heres Regni Anglicani fuerat: ea Guiſiorum inſtinctu, ut injuſta Angliæ dominatrix Eliſabetha a Pontifice declararetur, efficere nitebatur, quanquam oc- Maria Scota.

cultis machinis ei conſilio obnitebantur Hiſpani: tum vero nomen & inſignia Angliæ una cum Delphino marito Maria uſurpare cœpit. Sed ea res deinde exitio Mariæ fuit. Eliſabetha namque Moraviæ Comitem, fratrem Mariæ nothum, defendendum ſuſceperat: qui, ubi & Gallos e Scotia ejicere, & Reformatam in eam Religionem introducere inſtituiſſet, utrumque opera Eliſabethæ conſecutus eſt. Maria Regina, quum Franciſco II. mortuo in Scotiam rediiſſet, Henrico Darlæo, cognato, eidemque formoſiſſimo Angliæ juveni, nupſit, cui Jacobum VI. poſtmodum peperit. Sed amor præceps brevi tepeſcere cœpit, poſtquam David Rizius, citharœdi habitu in aulam primum admiſſus, tanta apud Reginam gratia floruit, ut Henrico multi perſuaderent, eum familiarius licentiusque, quam vel æquum, vel ipſi decorum eſſet, Reginæ conſuetudine uti. Quam ile ob rem captata occaſione, & nonnullis ex Nobilitate aſſumptis, Davidem Rizium, quum Reginæ ad menſam miniſtraret, e cubiculo eductum interfici juſſit. Itaque Jacobus Rex (uterum enim ea tempeſtate mater ferebat) nativa infirmitate natus eſt, ut conſpectum gladium vagina nudatum horreret: propterea quod mater, conſpectis tot gladiis evaginatis, ſubito cohorruiſſe memoratur. Id facinus Reginam in maritum vehementer exacerbavit: quo paulo poſt, concubia nocte a Georgio Botuelio occiſo, ipſa interfectori nupſit. Horrendam cædem Reginæ inſidiis factam eſſe, Moravius aliique prædicabant: neque id palam profiteri ac memoriæ prodere Georgius Buchananus, Moravii cliens, erubeſcit. Alii rurſus confictos de Davide Rizio & Henrici Darlæi cæde rumores, architecto & auctore Moraviæ Comite, aliisque Reginæ inimicis, in vulgus emanaſſe,

ſe, contendunt, ut Regina in invidiam infamiamque adducta Regno deturbaretur. Quomodocunque ſe res habeat; ſeditio certe in Reginam eſt coorta. Botuelius, cui nupſerat, ex Regno profugere cogitur, (is annis aliquot interjectis, quum miſerrimam in Dania vitam ageret, moritur) ipſa in cuſtodiam datur: anno deinde cIↃIↃLXIIX. elapſa. Copiis, quas coegerat, victis fugatisque, ipſa quum in Angliam ſe recepiſſet, captiva ibidem detinetur. Ibi Eliſabethæ inſidias ſtruere ac ſeditionem movere inſtituit, quando Norfolcio Duci nubere, atque ejus opera Regnum Angliæ conſequi nitebatur. Quibus artibus patefactis Dux in cuſtodiam datus, paulo poſt dimittitur. At vero, quum perſeverare in pravo conſilio deinde deprehenſus eſſet, capitis pœnas luit anno cIↃIↃLXXII. Maria arctiori cuſtodia aſſervatur. Interea dum hæc geruntur, multæ ad eam liberandam carcerique eximendam conjurationes fiunt: ſed eæ omnes detectæ ſunt. Publice quoque quum nihil fere inexpertum relinqueretur ad eam liberandam, nulla ſatis tuta iniri ratio, qua Eliſabethæ ſecuritati conſuleretur, potuit. Itaque Maria, moræ diuturnioris impatiens pravis conſiliatoribus quum auſcultaſſet, technas machinasque in Eliſabetham Pontifice, Hiſpano, Guiſiisque comparatas non approbavit ſolum, verum etiam in iis perficiendis operam ſuam ac ſtudium addixit. Quibus diu agitatis ubi poſtremo ingens conjuratio quaſi ex latebris erupiſſet, interceptis litteris ipſius manu conſcriptis, judices deliguntur, qui Mariam capitis damnabant: quam ſententiam quum Ordines comprobaſſent, & ut ſupplicium quam primum ſumeretur inſtarent, Eliſabetha anceps diu hæſit, nec ut ratam haberet ſententiam adduci potuit: præſertim quod & Jacobus filius & Gal-

Maria capitis damnatur.

Gallus omnibus viribus pro ipſiûs ſalute laborabant. Ad extremum, quum & Aubiſpinæus, Orator Gallicus, in eo eſſet, ut Eliſabetham nefaria ſicarii manu interficiendam curaret, & ſui ſupplicium Mariæ importune urgerent; decreto exſequendo ſubſcribit illa quidem, ſed Davidſonio, qui erat a ſecretis, ſimul mandat, ut rem integram, donec quid fieri vellet conſtituiſſet, ſervet. Cæterum, poſtquam ille rem cum Senatoribus Sanctioribus communicaſſet: ſententia illico promulgata, Maria ſecuri percutitur, anno CIↃIↃLXXXVII. Ob eam rem quum magnam in ſpeciem indignationem præ ſe tuliſſet Eliſabetha, Davidſonium a munere ſuo removet. Id ſupplicium quum graviter Jacobus Rex ferret, auctores ei permulti fuere, ut conjunctis cum Hiſpano viribus parentis mortem armis perſequeretur. Sed delinitus tandem eſt ab Eliſabetha, quæ amicitiam deinde, quoad vixit, illibatam cum eo coluit. In Gallia quoque Guiſii perinfeſti Eliſabethæ fuere. Illa contra, Hugenottis (ita Proteſtantes Galliæ appellant) milite argentoque ſubveniens: Franciſcopolin ad Sequanæ oſtium a Rege Franciſco I. conſtructam (quam Galli *Havre de grace* appellant) ſibi oppigneratam accepit anno CIↃIↃLXII. quanquam præſidium ejus inſequenti anno ejectum eſt. Nec rem eo unquam deducere potuit, ut Caletum reciperet: tametſi pace ad Caſtellum Cameracenſe compoſita promiſſum ei fuerat anno CIↃIↃLIX. Cum Henrico IV. autem amicitiam coluit, copiis pariter magnaque argenti vi ſubmiſſis. Cum Hiſpano vero ſimultates exercuit, quibus occaſionem dedit Belgarum rebellio: iis quippe non ſolum in terris ſuis ac portibus perfugium præbuit, verum etiam militibus pecuniaque primum occultius aliquanto, dein aperte ac palam ſubvenit;

nit : ii. contra fidem ſuam Vliſſinga, Brila, & Rammerukena oppidis conceſſis oppignerabant. Imperium autem ſibi a Belgis bis delatum, repenſitata penitiusque inſpecta, ſumma cum prudentia animique moderatione recuſavit. Comitem tamen Leiceſtriæ, qui principem apud eam locum obtinebat, Ducem ac Præfectum Belgis miſit : is, re male geſta, quum majorem etiam turbarum procellam Belgis ſua ſocordia accerſiviſſet, biennio poſt inglorius domum revocatur. Hiſpanis quoque in oris ſuis & in America Franciſco Draco, aliiſque Ducibus ingentes clades intulit. Gades autem, quas Eſſexiæ Comes occuparat, anno CIↃIↃXV. ſtatim a præſidio Anglicano deſeruntur. Hiſpani contra nihil ad eam vexandam reliqui faciunt, multis magnisque in ejus caput inſidiis ac conſpirationibus comparatis. Et quum in ea eſſent hæreſi, ut exiſtimarent, Angliam poſſe citius, quam Belgium, neque hoc abſque illa, domari, claſſis illa, ut vocabant, invincibilis, quæ Angliam ſubigeret, adornabatur. Sed ea cum magna Anglorum gloria non profligata ſolum, verum etiam tempeſtate afflicta miſere & conquaſſata ad patrias oras rediit. Hibernicas quoque factiones Hiſpanus aluit, quæ multum ſane negotii Eliſabethæ exhibebant. Ea, quanquam proſpere adverſus illas ſemper pugnarat, mediocrem tamen cladem accepit anno CIↃIↃXCVI. Itaque Comitem Eſſexiæ cum exercitu ad eas compeſcendas miſit, ſed fruſtra. Is increpatus ob eam cauſam a Regina, quum in cuſtodiam quoque mitteretur, adeo indigne tulit, ut licet reconciliatus priſtinum jam gratiæ locum obtineret, cives tamen Londinenſes ad ſeditionem ſollicitaret. Ob eam rem capitis ſupplicio afficitur. Hiſpani quoque magnis attriti cladibus bis e finibus Hibernorum protur-

Claſſis Hiſpanorum invincibilis profligata.

ban-

bantur: nec niſi cum vita & imperio Eliſabethæ exſtingui ea rebellio potuit. Pacis porro cum Hiſpanis, quoad vixit, conditio nulla fuit. De ea namque quum Bononiæ agitari cœptum eſſet, opera Henrici IV. anno CIƆIƆCVI. irritam eam pacificationem fecit Anglorum cum Hiſpanis de loci honoriſque primatu contentio.

Eliſabethæ vita cælebs.

De reliquo, ut nuberet Regina, induci nullo modo potuit; tametſi nuptias ejus & populares enixe cuperent, & Principes complures ambirent: proci poſt Philippum memorantur fuiſſe Carolus Archidux Auſtriæ, Ericus Suecorum Rex, Dux Andegavenſis, ejuſque frater Dux Alenconius, Comes Leiceſtriæ, aliique. Cæterum, amantium preces haud penitus aſpernata, ſpe vana eos lactando effecit, ut omnium ſibi benevolentiam conciliaret. Carolum namque Archiducem annos VII. exſpectatione ſuſpenſum tenuit. Jamque rite transacta res cum Alenconio Duce fuerat, quum pacta nuptialia neſcio quibus clauſularum formulis Regina ſcite ſubinde eluderet. Ea regnante Anglicana cum Turcis Indiſque commercia, moneta argenti puri, textura denique ſubtilioris e lana telæ ac levidenſis, introducta ſunt & ſtabilita. Rem autem nauticam opeſque maritimas inprimis firmavit amplificavitque; tanta quidem cum æmulatione, ut, quamvis quibuſcunque rebus poterat Belgis adverſus Hiſpanorum impetus vexationeſque præſidio eſſet, committere tamen nollet, ut eam illi navigiorum bellicorum vim, quæ cum maritimis Anglorum viribus contendi poſſet, ſibi compararent. Eam quamvis neceſſariam Angliæque utiliſſimam æmulationem torpeſcere Jacobus, Rex pacis amantiſſimus, ſivit. Carolus autem I. inteſtinis ſubjectorum motibus diſtentus, animum in eam curam intendere haud potuit:

tuit: itaque Belgarum opes maritimæ tantis creverunt auctibus, ut minui aut frangi inſequentibus temporibus nec a Cromwellio, nec a Carolo II. potuerint. Regina omnem ſupergreſſa laudem ac ſubjectis ſibi populis inprimis chara moritur anno CIƆIƆCII. ſcripto herede Jacobo VI. Scotorum Rege.

§. 23. Poſt Eliſabethæ obitum, Jacobus VI. Scotorum Rex una omnium voce Rex Angliæ ſalutatur: jure, quod in Angliam Margarita Henrici VII. filia habuerat, munitus. Ea quum Jacobo IV. Scotorum Regi nupſiſſet, filium genuit Jacobum V. qui unicam reliquit filiam, Jacobi VI. matrem. Is initio ſe haudquaquam alienum a Pontificiis eſſe ſimulavit, veritus ſcilicet, ne quid rerum novarum ipſo Regni ingreſſu molirentur. Cæterum, vix dum inauguratus fuerat Rex anno CIƆIƆCIII. quum ex improviſo conjuratio quædam, ducibus & anteſignanis Cobano Grejoque Marchionibus, adverſus eum ſuſcepta eſt. Conſilium erat ſtirpem Jacobi e medio tollere, & Arbellam Marchionem, quæ itidem a Margarita Henrici VII. filia, quam diximus, genus ducebat, in ejus locum ſufficere. Ea poſt obitum Jacobi IV. Archiwaldo Duglaſſio Comiti nupta Margaritam pepererat, Matthæo Lenoxio Comiti deinceps elocatam: ex ejus filio tertio Carolo Lenoxio iſta Arbella orta fuerat. Decretum erat, eam Sabaudiæ Duci, opera Hiſpanorum Regis, nuptui dare, atque adeo ad inſtaurandum Pontificium in Anglia cultum viam munire. Sed molimine nefario detecto, animadverſum in auctores, mitius tamen, quam criminis magnitudo poſtulabat. Jeſuitæ, omnesque Eccleſiaſtici Pontificii inſequenti anno, graviſſimo promulgato edicto, ex Anglia ejiciuntur. Anno inde CIƆIƆCV. conjuratione facta homines ſcelerati, ac

Jacobus VI.

Pon-

Proditio pulveraria Londini.

Pontificiæ Religioni addicti, cellam ſubterraneam & Veſtmonaſteriæ, in qua Comitia Regni celebrari ſolent, ſubjectam conducunt, multisque doliis pulvere nitrato refertis complent, eo incenſo Regem, Principes, omnesque adeo Ordines Angliæ flamma ceu fulmine ictos & in ſublime jactatos ſimul ad internecionem daturi. Sed diriſſimum conſilium & orco dignum levi ſane indicio patefactum. Ex conſciis quidam familiarem ſuum Montaguilium Marchionem, litteris obſcuris, quas hujus pediſſequo homo ignotus tradiderat, monuerat, ne poſtero die Comitiis intereſſet. Itaque Rex, id quod res erat, ac ſuſcepti facinoris rationem ſuſpicatus, quum ſedulo perquiſiviſſet omnia, pulverem nitratum reperit. Decretum inde ab Ordinibus, ut omnes ac ſinguli ejus Regni incolæ civesque jurejurando adacti, Jacobum legitimum dominum ſuum agnoſcerent haberentque: neque Pontifici aut Regnum abrogare Regibus, aut ſubjectos officio Magiſtratibus debito ſolvere licere. Pace cum Hiſpanis facta CIƆIƆCIV. inde in conciliandis induciis Hiſpanum inter & Batavos ſedulam cum cæteris operam navavit. Exin, quum Comes Palatinus, gener ipſius, e terris ſuis expulſus eſſet, non alio ei auxilio, quam mittendis ultro citroque Legatis, agendoque de pace præſto fuit. Sed deluſus ab Hiſpanis & circumductus eſt. Anno CIƆIƆCXXVI. Carolus filius in Hiſpaniam proficiſcitur, filiam Regiam natu maximam matrimonio ſibi juncturus: jamque pacta nuptialia inita ac jurejurando firmata fuerant, nuptiis in annum ſequentem dilatis: ſpatium enim ſibi dari Hiſpani volebant, donec, quis rerum Auſtriacarum in Germania futurus ſit eventus, conſtitiſſet. Cæterum, reverſo in Hiſpaniam Principe, quum re-

ſti-

ſtitutionem Palatini omnino contineri conditionibus Angli poſtulaſſent, nuptiæ ad nihilum recidunt. Atque Angliæ Ordines de pecunia ſuppeditanda ad Palatinum in terram ſuam vi armisque reſtituendum aſſenſere quidem; ſed ſalubre conſilium effectus deſtituit. Jacobo Rege bella Anglorum cum Scotis ſublata ſunt, quibus nativa Inſulæ pulcherrimæ felicitas haud parum imminuta fuerat. Et ne aliqua inter utramque gentem de nominis tituliqne dignitate & principatu contentio oriretur, Magnæ Britanniæ nomen, quod utrumque Regnum contineret, invexit. Jamque in eo elaborabatur, ut unum ex duobus Regnum efficeretur, ſed fruſtra: neque enim Scoti ſe ceu victos pacatosque Anglis quaſi interſeri ſubdique pati volebant. Ejus item ætate deductæ in Virginiam, Bermudes & Hiberniam coloniæ: ea re Anglica gens foris quidem mirifice propagata diſſipataque fuit: ſed, ut complures exiſtimant, domi vehementer exhauſta & exinanita: ut multo conducibilius Angliæ futurum fuiſſe videatur, tantam hominum vim ad opificia artesque mechanicas atque halecum capturam adhiberi: quibus quidem artibus, quaſi ante oculos Anglorum Belgæ mirificas ſibi opes comparant. Rurſus alii intereſſe boni publici ac quietis Regni arbitrantur, ne gens indomita atque effrenis nimia laboraret multitudine. In navigationem quoque Indiæ Orientalis omnibus ſtudiis incumbebant Angli, paria tamen facere cum Batavis nullo modo potuerunt, propterea quod hi iſtum quaſi bolum ante præripuerant, & plagæ Orientalis opimitates ſibi vindicare occuparant. Moritur Rex anno CIↃIↃCXXV.

§. 24. Eum excepit filius Carolus I. qui, poſtquam cum Hiſpana nuptias diſturbatas eſſe vi- Carolus I.

M dit,

dit, Henriettam, Henrici IV. filiam, uxorem duxit. Anno CIƆIƆCXXVI. valida claſſis in Hiſpaniam miſſa, quæ ad Gades exſcenſu e navibus in terram facto, magna accepta calamitate repulſa, domum rediit re infecta. Itaque omne inter utramque gentem commercium interdicitur. Cum Gallo itidem collidebatur Anglus: & poſtquam Gallici mercatores male habiti ab Anglis erant, commercia utrinque etiam vetantur. Anno inde CIƆIƆCXXVII. Anglus quum Rupellas tutandas ſuſcepiſſet, copiis e navibus in Retiam inſulam expoſitis, caſtellum S. Martini acriter oppugnat: ſed a Toyra, Præfecto arcis, qui caſtellum ab hoſtium oppugnatione ſtrenue defendebat, magnis attritus cladibus repellitur. Inſequenti anno idem Rupellas, copiis præſidio miſſis, obſidione liberare omni ope nititur, ſed fruſtra. Itaque pacem cum Gallo anno CIƆIƆCXXIX. & inſequenti anno cum Hiſpano Carolus fecit: bello adverſus duos Reges, quibus ſimul adoriendis par non erat, ſuſcepto, nihil præter dedecus, civium & incolarum iram & indignationem, atque incredibilem æris alieni vim conſecutus. Inter hunc Regem atque Regni Ordines ingentes turbæ motusque exſtitere, qui miram deinde rebellionem in eo Regno peperere. Ejus cauſſam paulo altius repetere operæ pretium eſt. Eliſabetha, Regina prudentiſſima, eo collineabat unice, atque hoc quaſi axiomate utebatur, ut ingenti Hiſpanorum potentiæ omnibus viribus obſiſteret, eosque quibuscunque poſſet cladibus in mari afficeret: ita & fractæ Hiſpanorum vires, & ipſius imperio ſubjecti populi magnis divitiis aucti, bellique navalis ac rei maritimæ peritiſſimi facti: qua quidem re opes ac ſalus ejus Regni, ceu fundamen-

Turbarum Anglicarum præcipuæ cauſſæ.

to, nituntur. Itaque Regina cum omnibus domus Auſtriacæ hoſtibus arctiſſimam colere amicitiam, Galliæ adverſus Hiſpanorum artes ac machinationes præſto eſſe, Proteſtantibus, ut vocant, in Germania favere, Belgium ſuis opibus ſuſtentare, ad frangendas vicini periculoſiſſimi ſuſpectas vires, & quod exiſtimabat, Belgium longinquum quoddam Regni ſui propugnaculum videri & inteſtinæ ſanitatis munimentum: in quo, rebus, quibus exerceatur, aliunde objectis, torpens ſanguis idemque calidus nimis quaſi defervescat & ebulliat, priusquam, dato ad latius ſerpendum ſpatio, interiores corporis partes afficiat, morbosque inteſtinos pariat. Jacobus autem Rex longe aliam inſiſtere viam: & quod Batavis ſatis virium eſſe adverteret; non ſolum ad Hiſpanos reprimendos, verum ut ſecum etiam de imperio maris contendere queant, ſeſe ab eorum amicitia ſubducere, & pace cum Hiſpanis facta, omnia ad otium ac ſtabilem pacem componere, Princeps litteris magis quam armis delectatus. Atque, ut Regis ad exemplum popularium etiam mores componi ſolent, populus quoque neglecto rei militaris ſtudio in ea prolapſus eſt flagitia & probra, quæ parere opes & pax diuturna conſuevere. Neque id Rege invito fiebat, qui effeminari populum & non niſi mercaturæ lucroque intentum eſſe ideo volebat, ut luxuria fractus enervatusque arma capere & ſuam impugnare auctoritatem in animum ne induceret. Tum animos Anglorum Scotorumque conciliare ſibi invicem & in concordiam redigere omnibus modis ſtuduit. Anglos in Scotia, in Anglia viciſſim Scotos jure patriæ civitatisque ac omnibus omnino juribus, perinde ac ſi in ipſa terra nati forent, donat: Principes denique gentis utriusque

familias connubiis, firmiſſimo mutuæ benevolentiæ vinculo, jungit invicem & copulat. Illud inprimis ſollicite agebat, ut una eademque in utroque Regno divini cultus ratio, idemque ritus eſſent. Permultas enim Pontificiæ ſuperſtitionis cerimonias & inſtituta, atque inter ea Epiſcoporum poteſtatem, ſed ſupremo Regis imperio ſubjectam, Eliſabetha, quæ Reformatam primum Religionem introduxerat, retinuit, ordinem iſtum ad Monarchiam inprimis accommodatum eſſe rata, quod & a Regibus penderent Epiſcopi, & hi in Comitiis magnam apud Ordines auctoritatem haberent. Itaque proverbium illud ſæpius in ore habuit Jacobus Rex: *No Bishop, no King. Nullus Epiſcopus, nullus Rex.* Rurſus eadem rei Eccleſiaſticæ diſciplina Reformatis Belgii, Helvetiæ, & Galliæ haud probabatur, partim quod gentes Democraticæ libertati aſſuetæ tam in re civili quam eccleſiaſtica æqualitatem amabant, partim quod & a Regibus & ab Epiſcopis pari acerbitate vexatæ atque exagitatæ pari utroſque odio proſequebantur. Neque hi quemquam inter Eccleſiaſticos alteri præferri aut potiori cenſeri jure volebant; ſed externa imperii Eccleſiaſtici munia per Presbyteria, Claſſes & Synodos adminiſtrabant; priſcos denique Eccleſiæ ritus ad unum omnes abrogabant, perfectionem ac præſtantiam Reformatæ Religionis in eo poſitam eſſe rati, ſi nihil, etiam in iis rebus, quæ ſua natura mediæ atque indifferentes eſſent, commune cum Pontificiis haberent. Atque ad eam diſciplinam Eccleſia Scotica conformabatur. Quinetiam mirifice ſub manu crevit in Anglia numerus eorum, qui cum poſterioribus illis ſentiebant. Ii Puritani vulgo ſeu Presbyteriani dicebantur. Et vero eo periculoſior diſſentientium pertinacia fuit, quod eæ nationes,

Puritani.

atra

atra bile, proprio ſibi ac naturali morbo, conflictatæ, ſententiam ſemel ſuſceptam mordicus tuentur, nec ab ea abduci ſe ulla ratione patiuntur. Jacobus Rex, Puritanis ſua ſponte periuſenſus, eam ſectam deleri in Scotia hoc pacto poſſe exiſtimabat, ſi juribus ac privilegiis ſibi conceſſis, quæ ab Ordinibus Scotiæ confirmari debebant, ſupremam etiam eccleſiaſticæ rei ac politicæ poteſtatem inſerendam ſibi curaſſet, quemadmodum Eccleſiæ Anglicanæ caput princepsque erat. Quod ſi obtinuiſſet, in ſpem erigebatur, fore, ut ritus ac inſtituta Eccleſiæ Scoticæ ad diſciplinam Anglicanæ nullo negotio conformentur. Quanquam ei rei, ut novæ, ex Ordinibus multi reclamarunt, pervicit tamen Jacobus, & quæ ad rem Eccleſiaſticam in Scotia conſtituendam pertinent, ordinat curatque. Sed vix dum Scotiæ fines egreſſus Angliam attigerat, quum ecce ſubita cooritur ſeditio in Epiſcopos, qui Anglicanos ritus introducere in Scotiam nitebantur.

§. 5. Carolus I. quanquam longe aliter, atque parens ſuus, affectus erga rem militarem fuerat, tamen ne ſubjectorum libidini ac furori objiceretur, paternum in conſervanda foris pace inſtitutum ſequi contra ſuam voluntatem neceſſe habuit. Et quia ab imperio populari vehementer abhorrebat, & Puritanorum ſectam odio hereditario proſequebatur, omnem curam ad utrumque comprimendum intendit. Quandoquidem etiam extraordinarium tributum imperare Rex ſine Ordinum conſenſu haud poterat, Carolus ſuam bellandi cupiditatem vincere & penitus exſtinguere, quam Ordinibus ſerviliter blandiendo, argentum expetere maluit: in ſpem adductus fore, ut, ſi illi diu haud cogerentur, eorum vis & auctoritas, qua Regia poteſtas vehementer circumſcribebatur, ſua *Caroli I. mores.*

ſponte corrueret. In hac ſententia confirmatus a Weſtonio, ærarii Præfecto, creditur, verito ſcilicet, ne accepti & expenſi rationem reddere ab Ordinibus juberetur. Antiquo etiam more receptum fuerat, ut ab iisdem unicuique Regi ad aulam ſuſtentandam, ac perſonam ſuam cum dignitate tuendam, certus vectigalium numerus attribueretur; Rex ſuis viciſſim ſumptibus claſſem alere ad conſervandam commerciorum incolumitatem deberet. Nec tamen ejusmodi ſtipendiorum annuorum conceſſio in ſucceſſorem transmittebatur. Jam certa vectigalia aſſignata quidem pro reditibus fuerant ab iis Ordinibus, quos Carolus Rex primum coegerat. Cæterum, quum eos Rex iratus & indignabundus dimiſiſſet; hi, ut ejus animum repungerent, quam ei conceſſerant pecuniæ ſummam, quaſi indictam, irritam eſſe ſtatuunt: rebaturque populus fore, ut, rebus ad aulicum comitatum ac perſonam Regiam ſuſtentandam neceſſariis ademptis, Rex ipſe Ordines denuo convocare cogeretur. Sed Rex hæc nihil morari, & non ſolum vectigalia more majorum exigere, verum etiam novis tributis ad octoginta librarum ſterlingarum millia intendere & augere. Hoc facto Rex, ut erat ſua ſponte pervicacioris ingenii, priſtina Reipublicæ forma mutata, ſe ſuosque ſine Ordinum ope tueri ac ſuſtentare conſtituit: id quod fieri nullo modo poſſe populus exiſtimabat. Nam, quum æs alienum ad ſummam duodecies centenorum millium librarum ſterlingarum Jacobus Rex contraxerat, quod deinde Carolus I. temerariis adverſus Hiſpanum Gallumque bellis ſuſceptis, quadringentis librarum millibus multiplicarat, quo modo ſine Ordinum ſubſidio diſpungi tot tantaque nomina poſſent, id vero haud liquebat. Neque enim nova populo tributa imponere per le-

ges

ges Regni *fundamentales* licuit; nec per vim cogere eundem Rex potuit, exercitu deſtitutus: nam is, qui Angliæ præſidio erat, milite domeſtico conſtabat, nec tantum peregrini militis, quantum ad populum rebellem perdomandum ſatis eſſet, inferri poterat, quanquam Germanicas conſcribere copias in animo aliquamdiu habuerat Rex, nihilo magis ab incœpto deſtitit, & Academiarum quarundam JCtorumque reſponſis edoctus, nihil obſtare, quo minus ipſe pro imperio nova tributa bono publico imponeret, vectigalibus inſolitis introductis, reditus annuos, quum antea quingenta librarum millia perciperet, trecentorum millium acceſſione auxit. Præterea tributum in ſingulas domos pro facultatibus cujusque imperavit, claſſem eo ſtipendio ſuſtentandam cauſſatus, eo tributo ad ducenta librarum millia redacta ſunt. Adhæc vetera in ſylvas & nemora jura, quæ in Regiis olim poſſeſſionibus numerata,poſtmodum erutis exſtirpatisque arboribus in agrorum paſcuorumque formam redacta fuerant, quaſi poſtliminio in lucem revocavit. Quo quidem obtentu poſſeſſiones pleræque omnes in dubium vocabantur. Sola Eſſexia provincia controverſiam ſibi hac ſuper re motam redimere trecentis librarum ſterlingarum millibus neceſſe habuit. Atque eadem ratione cum reliquis etiam provinciis actum foret, ni, qui paulo poſt oriebantur motus, impedimento fuiſſent. Hæc & alia facinora Regem in odium & invidiam apud populum adduxerunt. Acceſſit, quod Rex, quum Puritanos vehementer premeret, (cujus rei culpa in Epiſcopo Cantuarienſi, Guilielmo Laud, homine fervido, magna ex parte reſidebat) Pontificios contra mitius haberet. Quod quidem Puritani eo conſilio fieri interpretabantur, ut, ipſis oppreſſis penitus ac deletis, Pontificia ſacra introducat.

 Quam

Quam & ob rem complures libelli famoſi in Regem & Epiſcopos ſpargebantur: iis inquirendis cognoſcendisque Quæſitores conſtituti, quorum acerbitate animi partium vehementius exaſperati ſunt.

Motus in Scotia atque Anglia excitati. §. 26. Jamque ſacra ac humana miſcebantur omnia, ac populus indignatione commotus ubique fremebat, quum in Scotia primum apertæ ſeditionis incendium exarſit. Etenim quum Rex, ut & Epiſcoporum auctoritatem ſtabiliret, & Puritaniſmum aboleret, & paria utriusque factionis inſtituta in re ſacra efficeret, ſacrorum formulam (Liturgiam vocabant) ab Epiſcopis componi juſſiſſet, qua Presbyteria, Claſſes & Synodi Provinciales penitus abrogabantur, atque, ea ut ſervaretur, graviſſimam in refractarios pœnam ſanxiſſet, tumultus ubique per Scotiam concitabantur a Paſtoribus CIↃIↃCXXXVII. Acceſſit alia quoque cauſſa. Quum primum purior ſacrorum cultus ab omnibus ſuperſtitionis ſordibus repurgatus efflореſceret in Scotia, reditus Eccleſiaſtici, qui ad ſacrum pertinebant Ordinem, ad Regem rediere, nullo quidem ſuo magno emolumento; propterea quod ii Equeſtris Ordinis filiis natu minoribus magnam partem concedebantur. Hi quod eam rem ſibi perutilem eſſe intelligebant, eorum redituum ſpem vivi, poſſeſſionem mortui, ad heredes transmittebant. Quin etiam ulterius progreſſi, ſacras iſtas poſſeſſiones, ſeu integras, ſi magnæ, ſeu ex pluribus coalitas, ſi ſingulæ per ſe tenuiores eſſent, profano principatus & dominationis titulo inſigniendas curarunt, maxime minore Jacobi VI. ætate, anno circiter CIↃIↃLXVII. Inde Jacobus quum hoc pacto ſuam aliis benignitatem claudi, & homines de ſe optime meritos muneribus afficiendi facultatem ſibi ereptam eſſe videret,

ret, omnes iſtas poſſeſſionum Eccleſiaſticarum largitiones hereditarias irritas facere inſtituit anno CIↃIↃCXVII. Sed obnitentibus vehementer Nobilibus, a conſilio deſtitit. At vero Carolus majori vi rem aggreſſus anno CIↃIↃCXXXIII. iis bonis ad augenda Eccleſiæ Miniſtrorum ſtipendia annua utitur. Itaque illi, quorum res familiaris Regis bona Eccleſiaſtica ad ſe transferentis inſtituto naufragium fecerat, ſuſceptis poſtmodum Paſtorum, Liturgiam acerbiſſimo proſequentium odio, partibus, ſeditionem jam tum gliſcentem mirifice ſua opera accenderunt. Acceſſit novus etiam pacis inteſtinæ turbator Alexander Leſlæus, qui antea bello Germanico operam militarem Sueco navans, & quum Joannis Bannerii ſupremi Ducis imperio parere nollet, in patriam reverſus, ſperabat fore, ut rebus turbidis quæſtum ipſe & compendium faceret. Ducem ſe profeſſus Nobilitatem in Regem inſtigat, & ſimul hunc illius imminere libertati perſuadet: atque ut conſilium ſuum eo ſpecioſius apud populum redderent, Religionis ac Conſcientiæ utuntur obtentu rebelles, Paſtoreſque formulas, ſuperiori Liturgiæ omnino contrarias, conſcribendas impellunt. Graviſſimum interponunt jusjurandum, adverſus quemcunque atque ipſum adeo Regem, eas ſeſe propugnaturos eſſe. Ei fœderi (quod vulgo *Convenant* appellabatur) maxima Nobilitatis & Clericorum pars ſubſcripſit: Concilium quoque inſtitutum, quod univerſam rerum molem dirigeret atque gubernaret. Ad eas turbas ſedandas, Hamiltonium Marchionem in Scotiam Rex mittit: ipſe de priſtina acerbitate ac ſævitia multum remittit: quæ res inſolentiores etiam rebelles & audaciores fecit. Ab Ordinibus, quos Rex in ſpem ſopiendæ eorum auctoritate ſeditionis convocaverat, fœderatorum inſtituta confir-

Alexander Leſlæus factioſus.

mantur, Epiſcoporum ordo abrogatur, Puritaniſmus omni ex parte introducitur, cum magno Regiæ majeſtatis damno. Et quum reduci ad ſanitatem aut in ordinem cogi rebelles non niſi vi armisque poſſent, nec pecunia Regi, fidique milites ſuppeterent, ad utramque rem comparandam Pontificiorum opera uti conſtituit: itaque & exercitum ex iis confecit, & ſubſidium ab iis pecuniarium accepit, ad Regis tamen ſublevandam inopiam nudquaquam ſufficiens. Cæterum, quum a reliquis etiam ſibi ſubjectis exigeret argentum, præter miniſtros Regios, obtemperavit nemo. Atque quum pecuniæ, injecto terrore, facilius extorquendæ ergo rumor ſpargeretur, multa Hibernorum Germanorumque Pontificiorum millia parata inſtructaque Regi præſto eſſe, animi popularium majore etiam ira inflammabantur. Sed tamen utilem Regi operam præſtare, multumque proficere adverſus Scotos Regiæ copiæ potuiſſent, ſi celeritate adhibita eos adorti forent. At ſpatio ad res ſuas cum Gallis Belgisque communicandas dato, quando ab utriſque & pecunia & arma ſubmittebantur, poſtremo cauſſam ſuam Anglis usque adeo per Legatos commendarunt, probabilemque fecerunt, ut hi ad ingloriam compoſitionem Regem perpulerint. Sed haud diuturna pax fuit: nam & Regios conditionum pudebat, & Scoti Regi diffidebant. Interea Rex litteris, quibus Scoti & pecuniam & duces à Gallo expetebant, interceptis, in ſpem adducebatur, fore, ut ea re & Scotos ceu proditores inviſos Anglis reddat, & ſimul pecuniam, qua inprimis indigebat, ab iis impetret. Itaque indicto Ordinum conventu, litteras, quas dixi, recitat. Verum, quum eam rem parum curarent, quod Inferius Ordinum Concilium ex Puritanis maximam partem conſiſtebat, (qui Scotorum cauſ-

ſa

ſa vehementer cupiebant,) dimittitur paulo poſt conventus. Quumque Rex Scotiæ Delegatum, qui litteris ad Gallum ſcriptis nomen ſuum ſubſcripſerat, Londini comprehendi juſſiſſet, iterum ad arma itum a Scotis, & arx Edimburgi expugnata. Itaque Rex exercitu propter pecuniæ inopiam ſumma cum difficultate conſcripto, quum ipſe in Scotos profectus, iter impeditum per vim aperire conaretur, vincitur fugaturque, fremente paſſim populo; quod milites, quibus nullum numerabatur ſtipendium, provinciæ, in quibus conſtiterant, pro ſe quæque alere cogebantur. Quæ item in Hibernia, Regis gratia, conſcripta ab Ordinibus fuerant militum millia decem, eadem, quam dixi, argenti penuria diſſipavit. Una ſalutis ſpes fuit, induciæ cum Scotis, & novus Angliæ Ordinum conventus, qui initium cepit anno CIƆIƆCXL. menſe Novembri.

§. 27. Sed eo Ordinum conſeſſu erupit, quod pridem in animis populi, occultis gliſcens ſcintillis delituerat, malum. Tantum enim abfuit, ut Regi adverſus Scotos auxilium ferrent, ut potius, fœdere cum iis icto, menſtruum Scoticis copiis ſtipendium promitterent, ut ſibi ad Ordinum Anglicorum defendendam incolumitatem præſto eſſent. Inde res civiles ac Reip. ſtatum excutere, mutare, & in meliorem redigere formam, Regis auctoritatem concidere, ejus miniſtros male mulctare, Epiſcopos Liturgia abolita, & Pontificios ad unum omnes peſſumdare cœperunt. Et ut hæc eo facilius conficerent, Regem ſubigunt, ut promitteret, ſe non prius Ordinum conventum diſſoluturum eſſe, quam & ſupplicium de ſontibus & maleficis ſumtum, & res Anglicana ordinata penitus & compoſita foret: atque adeo ut ſibi, (verbo rem dicam) quoad vellent, prorogare

Parlamentum in Regem inſurgit.

gare comitia liceret. Quo facto Regia auctoritas concidit. Atque ut periculum faceret & Regis patientiæ, & ſuarum virium Ordines, Comitem Staffordiæ, Hiberniæ Proregem, reum peragunt: qui, tametſi & cauſſam ipſe fortiter diceret, & Rex ad eum, ut miniſtrum ſibi chariſſimum juxta ac fideliſſimum, liberandum, nihil ad ſummam contentionem reliqui faceret, tamen, Inferiori Concilio plebem Londinenſem concitante, a Superioris Domus Ordinibus capitis damnatur. Cui ſententiæ ſubſcribere Rex quum recuſaret, & Ordinum inter ſe conſpiratione, & furore plebis Londinenſis compellitur. Exin in multos alios miniſtros Regios ſævitum: pars in carceres conjiciuntur, pars fuga ſalutem quærunt: Epiſcopi e comitiis Ordinum ejiciuntur: Curia Cameræ, ut vulgo vocant, Stellatæ, auctoritas Concilii ſanctioris, Concilium denique Magnum abolentur: Regi vectigal & claſſis imperium adimuntur. Hæc aliaque multa cum ſummo ſuo damno conjuncta Rex permiſit, ſperans fore, ut exulceratus populi animus obſequio perſanetur. Inde in Scotiam profectus, omnibus ejus gentis poſtulatis annuit: ſub idem tempus Pontificiorum conjuratio in Hibernia facta e latebris ſuis erupit, qui libertatem Romanæ Religionis armis vindicare, aliiſque, quas indigne ferebant, rebus exonerare ſe nitebantur: ea re poſtea factum, ut multum ibi ſanguinis immanem in modum profunderetur. Tandem res ad bellum apertum Regem inter & Ordines proceſſit anno CIƆIƆCXLII. Quum enim Regiam convellere majeſtatem Ordines haud deſiſterent: Rex paulo ſeverius exercere imperium, alieno, ut videtur, tempore decrevit. Itaque ſex omnino homines, qui comitiis Ordinum interfuere, proditionis ac ſeditionis reos poſtulat: eorum cauſſam quum Domus

Comes Staffordiæ capitis damnatur.

Belli inteſtini exordium.

mus Inferioris Ordines defendendam ſuſcepiſſent, Rex multis ſtipatus militum Præfectis, in concionem eorum prodiens peracerbis in eos & verbis & geſtibus invectus eſt. Illi, quum vanam ſine viribus iram exiſtimarent, hæc nihil morabantur: atque hæc ita eſſe, documento fuit ſubita Regis lenitas, plane ut veniam petere prioris ſeveritatis videretur. Igitur quum Curia Inferior homines agreſtes circum circa tironesque opificum concitaſſet, tanta ſubito coorta ſeditio eſt, ut Rex, quia tuto remanere Londini haud poterat, periculi vitandi cauſſa, in rus concederet. Ordines omnibus oppidorum maritimorum Præfectis, ne Regis imperio pareant, interdicunt. Et ſane graviter in eo Rex offenderat, quod rebus tam turbidis portus in poteſtatem ſuam haud redegerat, quibus externa recipere auxilia potuiſſet. Quum igitur caſtellum portumque Hullæ occupare conaretur, is quem eo cum copiis miſerat Dux aditu prohibetur. Rebus in eum locum deductis, id ſcilicet reliquum eſſe videbatur, ut munerum ac Magiſtratuum conſtituendorum poteſtatem Regi ademptam ad ſe Ordines transferrent. Plane ut jam in propatulo eſſe videretur, Ordinum poteſtatis Regiæ abrogandæ, & Democratiæ conſtituendæ voluntas. Præſertim, quum & Epiſcoporum a comitiis Ordinum Superiorum, in quibus jus ſuffragiorum XXIIX. obtinebant, rejectionem ſuo Rex conſenſu approbaſſet, & qui Regiarum partium erant, e comitiis ſe maximam partem ipſi ſubduxiſſent: ut facile eſſet Inferioris Curiæ Ordinibus, Superioris Domus auctoritatem labefactare penitus atque evertere. Multis ultro citroque & verbis & ſcriptis fruſtra commutatis, res ad arma venit, & Rex Ordinesque, pari utrique cura, bellum parare occipiunt. Initio Rex Ordinum copias male mul-

mulctarat, ac ſemel iterumve inſigni affecerat clade: ob eam cauſſam Ordines Scotos in Regem incitatos, cum quibus fœdus antea percuſſerant, in auxilium evocant: qui quum valida veniſſent manu, adverſa Rex fortuna uti cœpit, adeo ut profligatis ad Eboracum copiis, quum & milites eum & pecunia deficerent, ad extremum ipſe confugere ad Scotorum exercitum ſit coactus. Ab eo quadringentarum librarum millium pretio quaſi venumdatus & Anglis in manus traditur, hac tamen lege, ut a vi ac injuria abſtineant. Diverſis inde locis, in cuſtodiam datus, mutato ſubinde carcere, captivus diu aſſervatur.

Rex victus capitur.

§. 28. Atque hoc pacto Regem imperio ac fortunis omnibus Puritani ſeu Presbyteriani, Religionis obtentu, everterunt. Sed quo minus frui diu dominatu injuſto & malis artibus parto iſti poſſent, nova prohibuit ſecta, monſtroſo Independentium nomine inſignis: quod quidem nomen ex re ſumtum eſſe videtur: neque enim iſti homines ullis certis cultus divini formulis aut præceptis adſtringi, nec ab ullo ſeu eccleſiaſtico ſive politico dependere imperio volunt: atque omnibus adeo fanaticis tutiſſimum eo nomine perfugium præbent, & ad licentiam feneſtram aperiunt. Ii per fervidæ religionis ac ſingularis ſanctitatis ſpeciem quum in animos Ordinum irrepſiſſent, omnes ad pacis compoſitionem vias obſepiunt, atque os omnibus factionibus ſcite ſublinendo non minus civilis quam militaris etiam rei ſummam ad ſe tranſtulerunt. Namque in locum Eſſexiæ Comitis Thomas Fairfaxius ſupremus belli Dux ſufficitur, addito, qui legati vice fungeretur, Oliverio Cronvellio, Independentium anteſignano, homine verſutiſſimo, ac vulpina plane calliditate prædito: ex eorum deinceps factione

Secta Independentium.

Thomas Fairfaxius & Oliverius Cronvellius factionis Principes.

ctione ſupplementum inferioris Curiæ ſcribebatur. Presbyteriani quum multum jam auctoritatis apud Ordines comparaſſe ſibi Independentes, atque adeo rei militaris ſummam tenere intelligerent, ad Ordines referunt, aliquam militum partem in Hiberniam mitti, paucos admodum ad neceſſarios belli uſus, ſi res poſceret, in Anglia retineri, reliquos ad unum omnes exauctorari oportere. Eam Cronvellius anſam militis gregarii ad ſeditionem impellendi arripuit, cauſſatus, id agi, ut milites aut ſine ſtipendio dimittantur, aut in Hibernia fame enecti ad internecionem redigantur. Itaque milites, poſtquam inter ſe conjurarunt, non militaria ſolum, verum etiam civilia munia ad ſe rapere, Regem ex Ordinum manibus ereptum in ſuam transferre cuſtodiam, & ſe illum in libertatem vindicaturos ſimulare: Londinum denique in ſuam poteſtatem redigere, ac pro libidine omnia agere incipiunt. Quidquid etiam actum de pace componenda cum Rege fuerat, irritum faciunt. Jamque populus tyrannidis hujus pertæſus, turbas paſſim ac tumultus concitabat, & Scoti ſuppetias Regi laturi in Angliam impreſſionem fecerant, quum Cronvellius obviam iis profectus, profligata agreſtium tumultuantium multitudine, Scotos vincit funditque, Hamiltonio belli Duce capto. Ceterum, Cronvellio abſente, Ordines denuo de pace cum Rege agere cœperunt, jamque eo ventum erat, ut haud obſcura pacificationis ſpes affulgeret. Verum enim vero milites ab Iretonio, Cronvellii genero, incitati pacificationem diſturbant, atque Ordinum præcipuos, qui ipſorum obſtitere conatibus, comprehendunt. Ea re factum, ut ſuprema Angliæ Curia ad ſummam paucitatem & quadraginta duntaxat capita redigeretur: quorum pars maxi-

maxima aut militum Præfecti ipſi, aut militibus addicti fuere. Ab his decretum eſt, ne quis poſthac ſeſe in pacificationem cum Rege interponeret: ut ſumma imperii penes populum eſſet, cujus imaginem inferior Curia referret: Regis autem & ſuperioris Curiæ auctoritas ac poteſtas abrogaretur. Judices inde numero CL. conſtituunt, poteſtate Regis citandi, condemnandi, & ſupplicio afficiendi armatos: ab eo judicio plerique omnes abhorrebant: ipſi quoque Paſtores Presbyteriani in concionibus graviter in id invehebantur, ac Scoti ſe invitis id haberi denuntiabant; Batavorum denique aliorumque Principum Oratores omne ſuum ſtudium ad eam rem impediendam nequidquam conferebant. In hoc judicium, cui complures infimæ ſortis homines interfuere, Regem adducunt, proditionis, tyrannidis, prædæ rebus turbidis ad hoc uſque tempus factæ, ſanguiniſque temere profuſi, reum peragunt. Rex quum iſtis hominum purgamentis de ſua cauſſa cognoſcere jus haud eſſe, ſtrenue ac fortiter, uti æquum erat, aſſeveraret, & cauſſam ſe ultra dicturum negaret, capitis damnatur, quum ſexaginta & ſeptem tantummodo Judices adeſſent: reliquis, quos facinoris indignitas deterruerat, judicium ſubterfugientibus, in quorum numero etiam Fairfaxius fuit. Exin Rex a militibus crudeliter & ignominioſe habitus, ad ultimum, in cataſta ad Withaliam exſtructa ſecuri percutitur CIↃIↃCXLIX.

Rex condemnatur.

Rex ſecuri percutitur.

§. 29. Poſt Regis mortem, umbra ac ſimulacra imperii penes Ordines, vis autem ac poteſtas penes exercitum Duceſque fuere. Operum primum fuit, liberos atque omnem adeo ſtirpem Regiam in exſilium ejicere, & reliquum denique conſenſionis globum perdere funditus & ſubigere.

Ac

Ac Cronvellius quidem in Hiberniam miſſus, ubi Regia adhuc factio valida admodum fuerat, Inſulam iſtam unius anni ſpatio, virtute duce, comite fortuna, domat. Interea dum hæc geruntur, Carolum II. Regem Scoti adſciverant, duriſſimis propoſitis conditionibus: qui e Gallia, quo profugerat, quum ſe in Scotiam contuliſſet, inſignia Regia ſuſcepit. Adverſus eum Ordines Cronvellium evocant ex Hibernia. Ii, Fairfaxio, cui minus fidebant, imperio abrogato, Cronvellium, delata ad eum rei militaris ſumma, in Scotiam mittunt. Ibi Scotis ſæpius & maxime juſto ad Leytham oppidum prælio victis fugatisque, inter alia permulta loca arcem Edimburgi, invictam alioquin habitam, expugnat. Rex interim tumultuario collecto exercitu, repentinam in Angliam irruptionem faciebat, ſperans fore, ut, ubi eo veniſſet, magna ſe hominum ad eum aggregaret multitudo. Sed ea ſpes eum fefellit: namque qui ſe ei adjunxerunt, perpauci erant: & a Cronvellio ex improviſo oppreſſus, ad Vorceſtriam, quum copiæ ejus victæ profligatæque eſſent, ipſe peregrino, ne noſceretur, habitu indutus fugæ ſe mandare cogitur: in qua multis periculis mira fortunæ benignitate defunctus, tandem navi oneraria vectus in Galliam profugit. Rege pulſo, Cronvellius, Monckio duce, Scotos perdomat, & graviſſimo iis, ut meruerunt, jugo impoſito, penitus ſub Anglorum poteſtatem redigit. Ordines inde agitare ac deliberare ſecum cœpere, quo pacto exercitum partim dimitterent, partim per provincias ſparſum attenuarent. Verum Cronvellius, iis, qui tantum ſibi ad hanc uſque diem negotii exhibuerant, diſſipatis, novum hominum centum quadraginta & quatuor (qui fanatici maximam partem & ſtolidi fuerant) conventum con-

Hibernia domatur.

Carolus II. fugatur.

N ſtituit:

ſtituit: quibus Cronvellius aſtutiores quoſdam ſuarum partium homines, qui ad ejus voluntatem cuncta dirigerent, intermiſcuit. Ii quum miſellos iſtos homines & inſulſos turpiter ſe dare ſtultiſſimis conſiliis, & omnium incurrere odium, facile paterentur, ad extremum Reip. ſummam ad Cronvellium detulerunt: eam is, recuſato Regis nomine, Protectoris contentus titulo, quum ſuſcepiſſet, ſanctius inſtituit Concilium, principibus cujusque ſectæ viris allectis. Ita ab iis ipſis, qui tantopere Regium averſati imperium fuerant, novus derepente Monarcha naſcitur ac populi cervicibus imponitur, qui tribus Regnis ampliſſimis, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, nemine vel hiſcere contra audente, pro lubitu imperitaret. Is exercitus, qui ſibi terra marique præſto eſſet, conſcribendi cauſſam quærens (id enim dominationis recens acquiſitæ ratio poſtulabat) bellum inferre Batavis inſtituit, qui adverſus novam Reip. formam contemptim ſe gerere videbantur. Eo bello adeo feliciter res geſſit Cronvellius, ut ei divinitus adjunctam fortunam crederes: naves onerarias amplius CIↃIↃCC. hoſtibus eripuit: præliis navalibus quinque ſuperior diſceſſit: poſteriori hoſtes Martinum Trompium Architalaſſum una cum navibus bellicis XXVII. deſiderarunt. Atque eo quidem tempore Belgæ fœderati victas dare manus, pacem expetere, & conditiones a Cronvellio latas accipere ſine exceptione coacti fuerunt: in iis erat, ut Principem Auriacum ab honoribus ac dignitatibus avitis Hollandia provincia in perpetuum amoveret. Sed nec Carolo Regi exſuli perfugium diutius præbere per eas licuit. Eam poſtea ulciſcendæ Reip. Belgicæ cauſſam Regi fuiſſe, ſunt qui affirment: quanquam ea expiari iſtam injuriam tum, quum Rex in Regnum

Cronvellius fit Protector.

Bellum Batavis infert.

gnum reverſurus per Hollandiam iter faceret, variis delinimentis nitebantur, anno cıɔıɔcLX. Sed & fieri potuit, ut aliqua Regis animo ſuſpicio inſederit, Belgas fœderatos mutuam patrem inter & Ordines diſcordiam aluiſſe. Ceterum, tantum ſibi auctoritatis eo bello Cronvellius comparavit, ut potentiſſimi Europæ Principes, miſſis Legatis, non ſecus, ac ſi legitimus Dominus eſſet, amicitiam ejus expeterent. Ad hæc in detegendis, quæ in ejus caput fiebant, conjurationibus ſingulari uſus fortuna eſt. Atque eo conſilio diſpoſitos paſſim, & in ipſo etiam Regis exſulis comitatu ſpeculatores habebat: ſummus in utramque partem, ſeu adjungere ſibi hominum ſtudia, ſive reprimere malevolos vellet, artifex. Pace cum Belgis compoſita claſſem in mare Mediterraneum mittit, quæ prædones ad littus Barbariæ ex latebris ſuis productos in ordinem redegit: alteram in Americam proficiſci jubet: cui eos impoſuit milites, quos alioquin amovere tanquam ſibi inutiles omni modo ſtudebat. Quanquam in obſidione caſtelli St. Dominici optatis eventus haud reſpondit: Jamaicam tamen Hiſpanis ademit, quum maximam claſſiariorum partem morborum vis abſumpſiſſet; claſſe inſuper argentaria direpta magnam iisdem cladem intulit. In Flandriam quoque, ubi auxilia Gallo miſit, Dunkerkam, præmium navatæ operæ, accepit. Moritur anno cıɔıɔcLIıx. formidoloſiſſimus domi foriſque Protector, ut cum potentiſſimis etiam Angliæ Regibus conferri queat: eo inprimis artificio clarus, quod non alius mortalium in re divina diſſenſiones peritius accommodare ad ſuam utilitatem potuit: dum ſuo quamque ſectam ſenſu abundare & ſuo modo operari ſacris ſineret, ſingularum ſibi ſtudia conciliabat. Qua re id conſecutus eſt,

ut diviſo religionibus populo omnis coëundi & in eum conjurandi facultas præriperetur.

Richardus Cronvellii filius.

§. 30. Cronvellio defuncto injuſta ac violenta dominatio ſubſiſtere diutius haud potuit. Ei quanquam in Protectoris & nomen (neque enim alio ſe appellari Cronvellius pater paſſus erat, repudiato ſemper Regio titulo) & dignitatem ſucceſſit Richardus filius, oneri tamen iſti ex dignitate ſuſtinendo haud fuit par. Itaque paulo poſt ab Ordinibus gradu dejectus eſt. Quibus in diverſas abeuntibus partes, quum omne imperantium parentiumque diſcrimen ſublatum eſſet, Monckius, Scotiæ Præfectus, per eam occaſionem exercitu in Angliam ducto, Londinum ſubigit; & militari Ordinum conventu diſſipato, Carolum II. Regem in Regnum revocat anno cIↃIↃcLX. Rex imperium, rebus Eccleſiaſticis & Civilibus ordinatis inſtauratisque, ad priſtinum reduxit ſtatum, popularibus ad obſequium, in pleriſque rebus, promtis paratisque: quippe qui magno ſuo malo didicerant, quantum calamitatis mutatus Reip. ſtatus afferat; verumque eſſe, quod apologus tradit, *ranas* ſæpenumero, *tigillum* **Regem** adſpernatas, *hydro* poſtea, *qui dente aſpero corriperet ſingulas*, parere cogi. Rex rei Anglicanæ ſummam in imperio maris & commerciorum uſu poſitam eſſe ratus, quum ad utramque rem ſolos ſibi Batavos impedimento eſſe intelligeret: animum ad coercendam negotiatorum iſtorum arrogantiam intendiſſe videtur. Spem magnam fecit cladium, quas ſuperiori tempore Cronvellius intulerat, memoria. Itaque bellum Reip. Belgicæ infert anno cIↃIↃcLXV. æquo primum Marte, paribus ultro citroque cladibus illatis & acceptis, pugnatum eſt. Ceterum, quum Angli bellum ducendo ac prælia ſubterfugiendo hoſtes debilitare ſta-

Carolus II. in Regnum revocatur.

Bello Carolus II. Belgas perſequitur.

ſtatuiſſent: hi ingens auſi facinus, cum magno Anglicanæ gentis dedecore, adverſa ſubvecti Tameſi, naves ad Chattamum incendunt. Ergo pacem, Sueco conciliatore, cum Belgis fœderatis facere Rex cogitur: ſed & res Gallorum in Flandria proſpere geſtæ eam pacificationem vehementer juverunt. Verum tamen in ejus pectore inexpiabilis vindictæ cupiditas reſediſſe videtur: quam intempeſtiva plebis Batavæ inſolentia ac protervia in Regem vehementius accenderunt. Igitur navale bellum Reip. Belgicæ fecit anno cIↃIↃCLXXII. eo ipſo tempore, quo & in continenti, ducto in ejus fines exercitu, eandem Gallus adortus erat. Sed id bellum haud ex animi ſententia Regi ſucceſſit. Namque & naves onerarias Anglorum Hollandi vehementer afflixerant, nec Angli præliis navalibus ullam de hoſtibus victoriam reportare poterant: ſegniter in hoſtem pugnantibus Gallis, Belgis autem ita caute ac provide in acie verſantibus, ut tecto ſemper latere diſcederent, nec ullum unquam aditum hoſti ad exſcenſiones in Batavia aut Zeelandia faciendas præberent. Fieri quoque potuit, ut inteſtinis ſuorum machinationibus Regis conſilia vana ſint reddita. Rex quidem certe, quoniam populus Anglicanus invidioſo armorum Gallicorum ſucceſſu dolebat, pacem ſeorſim cum Belgis facere coactus eſt anno cIↃIↃCLXXIV. Exin reliquarum gentium, quæ armis inter ſe diſceptabant, controverſias tanquam arbiter honorarius componendas ſuſcepit.

§. 31. Quod ad ipſam attinet gentem, fœcunda eſt, & incredibili hominum frequentia illuſtris. Qui calculum paulo ſubtilius ponunt, parochias in Anglia ſeptingentas & viginti quinque ſupra novem millia numerant: jam ſi ſingulis parochiis octogenas attribuas familias, efficientur ſepties *Gentis Anglicæ indoles.*

 cen-

centena ſeptuaginta & octo millia: rurſus ſi ſeptena ſingulis familiis capita continere fingas, ſupra quinquies millena millia fient quadringenta & quadraginta ſex millia, quo in numero decies centena hominum, qui arma ferre poſſunt, millia exiſtere, quidam conjiciunt. Ad colonias deducendas inprimis accommodata iſta natio vel ideo videtur, quod Angli, ut primum novas domicilio ſedes ceperint, ſtatim & ad uxorem ducendam animum adjiciunt, & in iis ætatem agere ſtatuunt. Quum reliquæ gentes lucri tantum cupiditate adductæ longinquas regiones petant, quod deinde in patriam reverſi per otium conſumunt. Iidem manu promti, ſtrenui, temerarii, ac mortis contemtores: ſuperioribus enim temporibus prælio terreſtri Gallis multo ſuperiores fuere. Ad rem maritimam poſtquam animum adjecerunt, Eliſabethæ Reginæ inprimis ætate, belli navalis uſu ac pugnandi alacritate nulli omnino genti conceſſerunt; niſi quod Batavi paria cum ipſis facere, & in certamen laudis venire hac in parte videntur. Sed habet hoc ipſorum fortitudo, ut primo duntaxat impetu, dum incitatus eſt animus, rebus bene gerendis ſint idonei: ſed ad diuturnos labores, reliquasque belli ærumnas & miſerias perferendas, nec patientiæ ſatis nec roboris eſt; propterea quod domi omnium rerum copia propter terræ benignitatem affluere conſueverunt. Itaque Mauritius Princeps Auriacus, ſi quod temerarium & periculi pleniſſimum audendum facinus erat, Anglorum, qui ad eum convenerant, opera uti ſolebat: quod (uti per jocum dictitabat) bubula necdum concocta ſtomachus ferveſceret. Ad artificia quoque, & inprimis lanæ ſericique tractationem ingenio ſatis apto ſunt: quæ quidem maxima ex parte, Belgis magiſtris, didicere. Inſita autem ſuperbia

ac

ac vitæ mollitia, & quod quotidie horas aliquot deambulationibus & exſugendæ herbæ fumiferæ tradunt, fit, ut otii ratio ipſis haud ſatis conſtet, nec tantum, quantum oportebat, penſum abſolvant: ergo dum etiam temporis male collocati mercedem exigunt, majus quam reliqui mercibus ſuis pretium ſtatuunt. Eam ob cauſſam Gallicis artificibus, qui apud eos degunt, invident, quod ii nullis ſe illecebris abduci ab opere inchoato ſinunt. Ceterum, in gente ad atram bilem ſua ſponte proclivi complures reperiuntur homines acutiſſimo ingenio prædití, qui dummodo rectam ingrediantur viam, ad quamcunque diſciplinam animum appulerint, mirificos progreſſus faciunt: ſed eadem quoque cauſſa eſt, cur, ſi quando vitiata corporis temperatura eos transverſos egerit, permulti fanatici homines & veſani exiſtant, qui ineptiſſimis inducti rationibus peculiares ſibi opiniones fingunt, ac mordicus tuentur, ut ab iis abduci, nulla ratione poſſint. Itaque, nulla orbis Chriſtiani pars plures atque abſurdiores in religione hæreſes vidit, quam Anglia. Plebs furtis ac latrociniis deditiſſima carnificem in ſuſpendendis noxiis perpetuo occupatum habet. Non alia gens gulæ ac ventri magis indulget, aut majori ſtudio palatum victus illecebris demulcere geſtit. Quanquam ſunt qui exiſtimant, Anglos ebrietatem, ignotum antea vitium, bello Belgico primum exterorum contagione hauſtam in Angliam tranſtuliſſe, atque omnem deinde populum ea labe infeciſſe. Porro, ſeditioſos eos, & rerum novarum ſtudioſos eſſe, hiſtoricorum monumenta abunde ſatis evincunt. Quamobrem Regibus ipſorum ſecuris eſſe nunquam licet: nec enim quieſcere eos aut dormire indomitum gentis ingenium patitur.

Anglia ſectarum ferax.

N 4 §. 32 In

Scotorum virtutes ac vitia.

§. 32. In gente Scotorum invidia inprimis & ſuperbia vulgo notantur. Ad ſpes magnas præceps animus vana rerum, quas comminiſcitur ipſe, ſpecie delectatur. Terreſtribus præliis ſtrenui bellatores Scoti, & laboris, quam finitimi Angli, multo patientiores. Gulæ quoque minus quam illi dediti: quorum utrumque nativæ ſoli ſterilitati debent. Vindictæ ſupra fas humanitatis cupidi: ac priſcis temporibus familiæ illuſtriores inteſtinis inter ſe bellis frequenter exercebantur. Solebat quippe unaquæque gens Nobilium e ſuis aliquem ſibi Principem deligere, eumque majori ferme, quam ipſum Regem, cultu proſequi: & ſi qua accepta injuria, ad illud ſuæ quisque familiæ caput rem deferre. Eo duce, ſiquidem ultione dignam injuriam eſſe decreverit, tota ejus, qui læſus eſt, familia genus lædentis cum ferro atque igne invadebat. Eam conſuetudinem publice perniciosam Jacobus VI. tollere & abolere vehementer anniſus eſt. Seditioſi iidem, ac rerum novarum cupidi; ſuo quam alieno vivere arbitratu malunt: in defendendis, quæ ſemel animo conceperunt, pertinaces. Nimia ſobole fœcundi, quoniam multitudine laborant ſua, terra alimentis hominum haud ſufficiente, in omnes mundi plagas victus quærendi cauſſa ſe diffundunt: & in civitates ac municipia irrepentes ſedem figere apud exteras nationes ubique ſtudent. Eam exonerandæ multitudinis neceſſitatem auget uſitatum Nobilibus jus, quo fratrum natu maximus prædia paterna fundosque omnes in familia erciſcunda ante capit, quum reliquis fratribus exigua rerum vilium ac mobilium portio relinquatur. Itaque hi vitam inopem quovis modo, & maxime rei militaris, aut litterarum ſtudiis, tolerare coguntur. Maxima quippe Eccleſiæ Paſtorum Scotiæ pars natu minores

nores

nores ejuſmodi familiarum illuſtrium liberi eſſe perhibentur. In Anglia autem etiam mercaturam exercere filii minores natu, quantumvis nobili ſtirpe orti, haud erubeſcunt. Superioribus temporibus quum necdum Scotia cum Anglia ſub unius Regis imperio conjuncta eſſet, magnum erat militum Scoticorum apud omnes nomen: propterea quod & eorum opera frequenter Galli utebantur, & domi ipſi continentia fere cum Anglis bella gerebant. Poſtea vero armorum uſum vehementer dedidicerunt, & priſtina rei militaris gloria a Cronvellio, qui eos penitus peſſum dederat, inprimis obſcurata fuit. Eſt quoque Scotorum gens ingeniorum præſtantiſſimorum ferax, & maxime Latinæ Linguæ cognitione illuſtrium. Nam cum in reliquis Europæ partibus bonarum artium diſciplina barbarie oppreſſa jaceret, diu in Scotia viguit: quippe quæ reliquis gentibus complures Doctores & Magiſtros eruditione conſpicuos ſuppeditavit dicam an commodavit. Quemadmodum autem qui in agris & locis campeſtribus ad Auſtrum ſpectantibus degunt Scoti, politi admodum & humani ſunt: ita ii qui in montibus habitant, qui Scoti ſylveſtres vulgo, ſeu montani, appellantur, ac reliqui Hebridarum & Orcadum inſularum incolæ rudes adhuc & inculti exiſtunt.

§. 33. Hiberni audaces fere, temerarii, ac verſuti habentur: ſegnes item ad opus faciendum, laborum autem militarium patientiſſimi. Pertinax præterea animus, quod ſemel ſibi perſuaſit, mordicus tuetur. Perdomita ab Henrico II. Rege Hibernia, quum magna Anglorum multitudo in ea inſula conſediſſet, tanta deinceps hominum acceſſio facta eſt, ut priſcis incolis vix quarta agrorum pars vacua relinqueretur. Hiberni Pontificiis ſacris inprimis dediti, non ſolum, Eliſabetha Re- **Hibernorum indoles.**

ars, ſed ipſa efformavit natura, prætenditur. Plane ut propter ſitus opportunitatem Angli mercaturam facere per univerſum terrarum orbem poſſint: ceterum, ne principatum hac in parte ubique, obtinerent, ſola adhuc quidem obſtitit Hollandia. Nec parum eorum commodis officit, quod parvo aut parabili victu haud contenti ſunt, & quo, diſpertitis in plures miniſteriis, ſinguli minus graventur, multitudine altero tanto majore, quam Belgæ, naves onerant; lucrum denique exiguum contemnunt. Hollandi contra, parci ſunt, & ne unum quidem nummum aſpernantes, in commerciis tractabiliores ſe & æquiores Anglis præbent. Magno quoque ad divitias comparandas auxilio eſt Anglis, quod quum ſericum rude & inelaboratum importent; non niſi merces ex eo confectas exportant: idem inſtitutum in laneis mercibus ſervant. Nam ante Henrici VIII. ætatem lana maxima ex parte in Belgium fœderatum transportata, ingentem ejus civitatibus, dum telas varii generis ex ea contexerent, quæſtus faciendi materiam præbuit. Is autem, quem dixi, Rex, quum intelligeret, ſuos æque ac Belgas iſtud, ſi vellent, commodum capere poſſe, lanificia in Regno inſtituit & ſtabilivit, quæ deinde mirum in modum ſunt aucta, quum ingentem lanificum multitudinem turbarum, quibus Belgium jactabatur, procellæ in Angliam compuliſſent. Multum denique ad opes Anglicanas facere videtur lex, qua cautum eſt, ne quis quidquam auri argentive ſignati præter decem ſterlingarum libras (tantum ad itineris uſus peregrinantibus conceditur) ſecum exportaret. Scotia haudquaquam Angliæ opes ac fertilitatem æquat, nec quod exportari poſſit, præter piſces ſale conditos, ſal, plumbum, & carbones foſſiles, quidquam ſuppeditat. Æbudes au-

tem

tem & Orcades inſulæ, non niſi piſcium, fœcundæ ſunt. Hibernia re pecuaria pollet, & maxime ovibus, quarum tamen lana haud ea, qua Anglicana, teneritudine & ſubtilitate eſt: de cetero agros cultiſſimos & fertiliſſimos habet. In America quoque Bermudes inſulas, Virginiam, Novam Angliam, inſularum Caraibum nonnullas Rex Angliæ obtinet: eas coloniis olim ſuis Angli frequentarant: quæ nunc quoque in continente Gujana propagantur. Proventus earum Regionum maximam partem ſunt, herba nicotiana, ſaccharum, zingiber, indigo, (lignum id eſt, coloribus faciendis aptum) & goſſypium. Hoc tempore in Jamaica inſula quoque colonias habent: unde piratæ Hiſpanis, qui in America negotiantur, ingentes clades inferre conſueverunt. Angli quippe, etiamſi pacem cum Hiſpanis in Europa colant, eos tamen quibuſcunque poſſunt modis in America vexant. Tingitanam urbem hodiernus Rex Carolus II. ducta in matrimonium filia Regis Luſitaniæ natu maxima, (quæ Infans vulgo appellatur) dotis nomine accepit. Poſtremo, in Inſulis Bandæ & aliis circum circa Indiæ Orientalis regionibus loca quædam tenent Angli, haud ſane contemnenda.

§. 35. In Reipublicæ Anglicanæ forma illud inprimis notatu dignum eſt, quod circumſcripta legibus eſt Regis poteſtas, ut pro arbitrio cuncta agere nequeat, ac in rebus nonnullis conſenſu & auctoritate Ordinum indigeat. Eorum Angliæ Ordinum conventus Parlamentum vulgo dicitur: dividiturque in Domum Superiorem & Inferiorem. Eam Epiſcopi & Primores Regni, velut Principes, Comites, Barones: hanc civitatum & comitatuum numero LII. in quos Regnum diviſum eſt, Legati obeunt. Ejus conventus hæc memo- **Forma Anglicanæ Reipubl.**

Parlamenti origo. moratur origo. Multum priſcis temporibus virium ac potentiæ primi Reges Nobilitati conceſſerant: propterea quod ejus ope & Angliam ſibi ſubjecerant, & plebem in officio continebant. Poſtea vero quam caput extollere, & reformidandas Regi vires ſumere Nobiles & Epiſcopi cœpere, multumque Joanni & Henrico III. Regibus negotii faceſſere: ad eos coercendos comprimendosque, Eduardus I. plebem ſibi adjunxit. Quumque antea ex ſingulis Comitatibus (Anglice *Shire* vocantur) bini Nobiles totidemque plebeji evocarentur, qui de rebus publicis referrent ad Comitia: Rexque initio cum Epiſcopis & Magiſtratibus, conſilio & decreto in eorum ſententiam facto, domum illos quemque ſuam remittere conſueviſſet: Eduardus contra, plebejis tantummodo convocatis, cum iis de Republica conſultabat. Quanquam ſunt, qui rem illam paulo vetuſtiorem eſſe tradant: fieri tamen potuit ut poſterioribus demum temporibus in uſu eſſe cœperit. Plebejus quidem ordo, ſtabilita auctoritate opibusque firmatis, Procerum (*Lordi* vulgo dicuntur) potentiam vehementer afflixit & fregit: ceterum, Regiam quoque majeſtatem, tractu temporis, mirifice labefactavit: multa inde de populi poteſtate diſſeri cœpta. Curia inferior penes ſe rerum ac imperii ſummam eſſe rata, ſi quid minus ex ejus voluntate Rex egiſſet, fremere & obmurmurare cœpit. Acerrime autem auctoritatem ſuam ac poteſtatem tuentur propugnantque Ordines: quippe quæ non tam jure ſcripto quam conſuetudine antiqua continetur: itaque unum rei actum ad jus conſtituendum ſufficere contendunt. Ordinum conventum indicere Rex neceſſe habet, ſi quando aut extraordinaria & inſolita imponere tributa, (nam hodierno Regi Ordines initio ad Regnum cum digni-

gnitate gerendum reditus annuos duodecies centenorum ſterlingarum librarum millium attribuerunt, quæ deinde ſumma inſigni acceſſione aucta fuit) aut veteres abolere leges novasque condere, aut denique de re ſacra ac religione decernere quidquam voluerit. In iis namque rebus Regi nihil ſine Ordinum conſenſu & auctoritate agere licet. De aliis quoque negotiis, quæ ad Rempublicam pertinent, deliberare inter ſe Ordines ſententiamque ſuam ad Regem referre, conſueverunt: quæ, donec Regis auctoritate approbetur, invalida eſt & infirma. Regios quoque Miniſtros, auctoritate eminentes, in jus vocare & adminiſtratæ Reipublicæ ſæpiuſcule rationem exigere iidem Ordines ſoliti ſunt: ſontibus pro delicti magnitudine pœnas edicunt: repræſentare autem eas non, niſi Rege conſentiente, poſſunt. Atque illud ſibi perſuaſum habent Angli, ſi quid contra leges imperii aut bonum publicum actum ſit, in conſiliariis tantum & miniſtris ejus rei culpam reſidere: Regem autem, dummodo pravis miniſtrorum conſiliis ne auferatur, eum, quem oportet vitæ ac imperii curſum, perpetuo tenere: quæ ſane opinio non adeo abſurda eſſe videtur. Quod ſi tamen majores, quam fas eſt, ſpiritus atque auctoritatem nimiam ſumere ſibi Ordines Rex ſenſerit; comitiorum diſſolvendorum poteſtatem habet. Sed cautione heic opus eſt, ne, dimiſſis intempeſtive comitiis, populi animus offendatur.

§. 36. Rei Anglicanæ vires ac ſtatum univerſum contemplantes, validiſſimum eſſe Regnum & inter florentiſſimas Orbis Reſpublicas numerandum cognoſcimus: quod magnum in Europa momentum facere, & Principum Chriſtianorum vires æqua quaſi lance ſuſpendere, ac ſuis ſubnixum viribus, defendere ſemet ipſum ab hoſtibus *Angliæ vires.*

qui-

quibusvis poteſt. Nam mari undique circumfuſa inſula difficiles habet aditus; nec tentare eam quisquam poteſt, niſi tantas vires maritimas habeat, ut claſſem Anglorum delere penitus poſſit. Quin, claſſe etiam ſuperata, perdifficile adhuc fuerit, ejuſmodi exercitum in terram exponere, qui tantis ſtatim copiis, quantas conficere gens Anglicana poteſt, ſuperandis ſufficiat. Ab inteſtinis autem motibus cavere ſibi Angli inprimis neceſſe habent, quibus & antea ſemper obnoxii fuere, & quorum adhuc jacta paſſim ſemina vigent. Quod malum partim a ſacrorum rituum diverſitate, partim ab indomito gentis ingenio, & rerum novarum ſtudio proficiſcitur: ſed tamen occurrere ei Rex prudens ac fortis nullo negotio poteſt, ſi nihil contra populi univerſi voluntatem facere aggrediatur; cum Ordinibus autem amicitiam & concordiam colere ſtudeat: de cetero, adhibita cautione, ſuæ intentus ſaluti, turbarum concitatores, ſi quos deprehendat, condigno ſupplicio, nulla interpoſita mora, afficiat, & monſtra iſta in ipſo quaſi partu exſtinguat. Poſtremo, quum circumfuſus Angliæ & Scotiæ Oceanus unam efficiat inſulam, cujus vires potiſſimæ hoc quidem tempore claſſibus nituntur, parum ei præſidii in iis Rebuspublicis poſitum eſſe apparet, quæ vel in locis mediterraneis poſitæ ſunt, vel rei maritimæ non ſatis magnam facultatem habent. Itaque de Germania, (niſi quatenus eam reſpicere propter Galliam & Hiſpaniam neceſſe eſt) de Polonia ac de reliquis omnino ejusmodi Rebuspublicis parum laborat. Prædones autem, qui mare oræ Barbaricæ infeſtum habent, in ordinem redigere haud difficulter poteſt. Atque jam pridem iſta piratarum manus ad internecionem redigi potuiſſet, ni dedita opera conſervati forent,

ut

ut Hamburgenſibus, aliisque mercatoribus, aditus ad mare Mediterraneum intercluderetur. A Portugallia nihil eſt quod Anglia ſibi metuat: ea quippe ipſa potius Anglorum auxilium, adverſus Hiſpanorum & Batavorum opes, implorare, ſi ſalva eſſe velit, cogitur. Nec cauſſæ quidquam eſt, cur Regum Septentrionalium opibus maritimis Angli invideant, dum ipſi, inter ſeſe capitali diſſidentes odio, in diverſas partes præcipites abeunt. Haud æquo tamen animo iidem tulerint, ſi quando aut alteruter eorum imperio maris Balthici ſolus potiretur, aut Batavis ejus pro lubitu utendi fruendi jus ac poteſtas eſſet. Ab Hiſpanis quoque, poſtquam vires eorum maritimæ vehementer imminutæ ſunt & afflictæ, nihil Anglis periculi eſt; ſed tamen haud utile eſſe videtur, Anglos bellum cum ea gente gerere, propter commerciorum, quæ in terris Hiſpanicæ ditionis exercent, amplitudinem: Anglorum namque merces Hiſpani ad varios vitæ uſus aut ipſi conſumunt, aut quæſtus cauſſa in Americam mittunt. Sunt qui exiſtiment fore, ut exorto inter utramque gentem bello Angli jacturam triginta (ut vulgo vocant) millionum & amplius faciant: ac præterea Orientis aliarumque terrarum negotiationes in magnum diſcrimen adducant, mari Oſtendæ, Biſcajæ, Majorcæ & Minorcæ prædonibus infeſto. Bello utique, quod cum Hiſpanis Cronvellius geſſit, naves onerarias mille & quingentas Anglis prædones emiſſarii interceperunt. Gallorum quanquam militia terreſtris, ut nunc res ſunt, multo ſuperior Anglicana eſt, nec tertiam fere partem Galliæ Angliæ magnitudo opesque adæquant: maritimæ tamen vires cum Anglicanis conferri nullo modo poſſunt. Expedit autem vehementer Anglos Galli

Hiſpanique opes, quaſi in æquilibrio poſitas, ita temperare, ne ille Belgium ſuæ ditionis faciat: ita enim novis iisque ingentibus rei maritimæ viribus armatum facile inceſſerit libido, converſis in Angliam armis, damna, quæ Gallis olim Angli intuliſſent, pari clade rependendi. Sola Hollandia obſtare videtur, cur maris ac commerciorum principatum obtinere Angli nequeant: quanquam non niſi navales Batavorum copias reformidare neceſſe habeant: nam terreſtris militia ita eſt comparata, ut juſto bello laceſſere alios Reſp. Belgica nequeat. Verum tamen, quantacunque Angli imperii maritimi cupiditate flagrent, armis de eo cum Belgis fœderatis decertare haud conſultum eſſe videtur: experientia quippe magiſtra obſervatum eſt, iis opes maritimas, virtutem, & belli navalis uſum, poſt Anglicana bella, mirum in modum creviſſe. Itaque quum & reliquæ nationes, Hollandos ab Anglis penitus ſubigi, alterumque eorum monopolium, & commerciorum ſummam ad ſe rapere, haud æquo animo laturæ eſſe videantur: optimum factu eſt, ut Hollandis juxta ſuos ultro citroque navigandi poteſtatem concedant: tantum autem aliunde iiſdem negotii exhibeant, ut evolare altius, majoresque ſibi opes comparare nequeant: de cætero ad vires maritimas & ſolennes illas honorum, maris imperio debitorum, cærimonias, quantum fieri poteſt, amplificandas incumbant. Minime autem omnium ex uſu Anglorum foret, Reip. Belgicæ jugum ſervitutis imponi a Gallo, ut qui & maritimis Batavorum viribus auctus, & negotiationibus Indiæ Orientalis potitus, parem in toto terrarum Orbe habiturus haud eſſet.

CAPUT V.

DE GALLIA.

GAlliam & incolis frequentem, & opibus florentiſſimam ſemper fuiſſe, hiſtoricorum monumenta produnt. Priſcis enim temporibus magnam Italiæ partem armis occupatam, Gallorum gens frequentavit, & Græciam aliasque terras pervagata, poſtremo in ea Aſiæ minoris parte conſedit, quæ ipſius nomine Gallia ſeu Gallo-Græcia appellata deinceps fuit. Verum tamen populus validiſſimus, virium ſuarum ignarus, periculum earum facere adverſus exteras nationes haud ſatis potuit: nec enim ſub unius imperio fuit; ſed in plures easque parvas diviſus Reſpublicas, inteſtinis inſuper bellis plerumque exercebatur. Itaque Romanis, quamvis illi non alium hoſtem magis quam Gallos reformidarent, facile fuit eos ſub ſuam ditionem redigere. Quanquam invicta & incomparabilis Julii Cæſaris virtus in iis ſubigendis potiſſimum enituit; ſatis tamen negotii decem illis legionibus, quas in eos Cæſar duxerat, exhibuerunt, nec niſi decimo demum anno perdomari potuerunt. Romani, terra nobiliſſima penitus in poteſtatem ſuam redacta, gentem per ſe bellicoſiſſimam a rei militaris ſtudio ad ſummam ignaviam traducere omni ope nitebantur: quod quidem conſilium eis, non minus heic quam alibi, feliciter ceſſit. Dum enim populos a ſe pacatos humanitatem & politiorem vivendi rationem docent, eoſdem ſimul paulo ef-

Galliæ antiquiſſimus ſtatus.

effœminatiores & ad bella gerenda minus idoneos reddebant. Quingenteſimo circiter, poſtquam ſubacta a Romanis fuerat, anno, Gallia ſub Honorio Imperatore in Barbarorum poteſtatem venit; quum Gothi Italia pervaſtata in Gallia Narbonenſi conſediſſent, & Burgundiones haud exiguam Galliæ partem ſuæ ditionis feciſſent. Franci inprimis, irruptione facta, quum ad extremum univerſam Galliam imperio ſuo ſubjeciſſent, ſuum ei nomen impoſuerunt, Franciamque apellarunt. Ii Germanica haud dubie gens fuere: quanquam inter hodiernos Gallos ſunt, qui veterem Gallorum coloniam fuiſſe, & propter abundantem domi multitudinem in Germaniam olim trans Rhenum profectam, quum per aliquot ibi ſecula habitaſſet, poſtremo patrias iterum ſedes quaſi poſtliminio repetiiſſe, affirment. Sed tamen propius vero eſſe videtur, Francorum gente contineri populos, qui inter Mœnum, Rhenum, Viſurgim & Oceanum habitarunt, ac Taciti ætate, Salii, Bructeri, Friſii, Angrivarii, Chamari, Sigambri & Chatti appellabantur. Hi, conſpiratione facta, Francorum (quæ vox *homines liberos* ſignificat) nomen in Romanorum contemptum adſciverunt: quod ſuam ab iis libertatem ſtrenue ſe defenſuros eſſe confidebant. Illud utique conſtat, Germanicam linguam ab iis in Galliam translatam eſſe, quæ diu poſt inter Primores ejus gentis uſitata fuit; donec Latinæ linguæ, a Romanis olim introductæ, paulatim aſſuefacti, ad extremum, Latino idiomate contagione Germanici ſermonis corrupto, novam atque adeo hodiernam Gallorum linguam pepererunt. Nec enim illud in dubium vocari poteſt, veterum Gallorum nomen haud penitus deletum fuiſſe, ſed, tractu temporis, in unam cum Francis gentem coaluiſſe, ita tamen, ut qui

Francia unde dicta.

Linguæ Gallicæ origo.

origine

origine Franci eſſent, tanquam victores, potiſſimam gentis partem conſtituerint.

§. 2. Ut ut ſit, id certe convenit inter Scriptores, Pharamundum anno a Chriſto nato circiter ccccxxiv. a Francorum gente Regem creatum leges tuliſſe, remque Francicam, inſtitutis præclariſſimis introductis, conſtituiſſe. Quanquam non eum in Galliam primum, ſed ejus filium Clodionem cognomento Comatum irrupiſſe memorant: is ab Aetio Romanorum Duce non ſemel repulſus eſſe dicitur. Ad extremum tamen Arteſiam, Cameracum, Tornacum, aliaque loca uſque ad Suminam fluvium, ſuæ ditionis feciſſe perhibetur, imperii ſede Ambiani conſtituta. Moritur anno ſalutis humanæ ccccxlvii. Succeſſor ejus idemque propinquus Merovæus, junctis cum Aetio Romano & Theodorico Viſigothorum Rege viribus, quum Attilam Hunnorum Regem e Gallia expuliſſet, ab una parte Moguntiacum uſque imperii fines propagavit; ab altera Picardiam, Normanniam, & Pariſios pene omnes, (quorum terra hodie Inſula Franciæ vulgo appellatur) in ditionem ſuam redegit. Ad eas res gerendas, magno ei adminiculo juxta & irritamento fuere afflictæ Romanorum, prælio cum Attila commiſſo, vires; & quod Aetius, ob levem ſuſpicionem, a Valentiniano tertio Imperatore occiſus eſt. Aetium ultimum Romanorum ducem haud immerito dixeris. Nec poſt eum quiſquam fere fuit, qui frangere impetum Merovæi poſſet. Ab eo prima Regum Francicorum ſtirps originem ducit: ea Merovingica appellatur. Obiit anno a Chriſto nato cccclviii. Childericus ejus filius ob libidinem Regno pellitur, Ægidio, qui a priſcis Gallis genus ducebat, in ejus locum ſuffecto. Sed Childericus, ſpatio octo annorum in-

Pharamundus Francorum Rex.

Clodio.

Merovæus.

Childericus.

terpoſito, ab amico fideliſſimo Guinomando ex Thuringia, quo profugerat, revocatus, in Regnum reſtituitur. Ibi tum Britannos & Saxones, qui Galliam eo tempore longe lateque vaſtabant, repreſſit fugavitque. Eam quoque regionem, quæ nunc Lotharingia dicitur, Bellovacum, Lutetiam Pariſiorum, ac permulta alia ad Oiſam & Sequanam fluvios loca, occupavit. Diem obiit anno a

Clodovæus. Chriſto nato CCCCLXXXI. Clodovæus, ſeu Ludovicus, Syagrio, Ægidii filio, interfecto, Francicum imperium, finibus vehementer dilatatis, primus ſtabilivit. Is amore Clotildis, quæ Regia Burgundionum ſtirpe orta erat, captus, cum nuptias ejus ambiiſſet, hac impetravit lege, ut ejurata Gentilium ſuperſtitione ad Chriſti cultum accederet. Id tamen, qua erat animi feritate, facere diu recuſabat, donec Alemanni, novas itidem ſedes in Gallia quæſituri, irruptionem facerent. Iis quum Clodovæus ad Tolbiacum occurriſſet cum exercitu, prælio commiſſo, quum inclinata acie ſui jam fugam circumſpectarent, ſe, ſi victoriam reportaſſet, Chriſto nomen daturum, vovit. Voti

Prælium ad Tolbiacum. damnatus, a Sancto Remigio ſacro abluitur fonte Rhemis anno a Chriſto nato CCCCXCVI. Ejus exemplum omnis Francorum gens ſecuta Chriſtianæ religioni ſe aggregavit. Inde Gothorum Regno, quod in Gallia Narbonenſi condiderant, everſo, eas circum circa regiones Clodovæus ſubegit: complures item Regulos ac regionum tenuiorum Dominos e medio ſuſtulit, & aliquam Germaniæ ſuperioris partem in poteſtatem ſuam redegit. Vita fungitur anno a Chriſto nato CCCCCXI.

Diviſio noxia Franciæ. §. 3. Clodovæo mortuo, res Francica, in filios ſuperſtites quatuor diviſa, vehementer affligitur. Ii etſi Burgundiæ Regnum primi adjecerunt, tamen partiendo in minutas partes imperium, ſuas

ſuas quiſque vires labefactarunt, jactis motuum inteſtinorum ſeminariis. Quin longius etiam inſana dividendi Regni libido progreſſa, dum ſuam quisque partem filiis quoque in minores & perexiguas portiones diviſit, Galliam miſerandum in modum laceravit: ut ſcelerum quaſi certamen quoddam inter tot Regulos interceſſiſſe videatur. In iis Regiæ quoque uxores Brunechildis & Fredegundis horrendis ſeſe & immaniſſimis facinoribus nobilitarunt. Ad ultimum, Clotarius ſecundus, multis jactatus turbis, affectum Regnum & crebra partitione mutilatum inſtaurat, & in priorem ſtatum reſtituit anno a partu Virginis IϽCXIV. Deceſſit anno IϽCXXIIX. Ejus filius Dagobertus in priſtinam prolapſus ſtultitiam, quum magnam Regni partem Alberto fratri conceſſiſſet, ſuam ipſe portionem inter duos filios diſpertitur; homo alioquin imperio gerendo haud ſatis idoneus. Exin Francorum Reges a majorum virtute penitus degenerarunt, inertiæ ac voluptatibus dediti. Itaque Præfecti prætorio (ii Majores Domus vulgo vocabantur) cum imperii adminiſtrandi cura omne ſimul robur ac poteſtatem ad ſe rapuerunt. Inter eos eminuit inprimis Pipinus, nobiliſſima Auſtraſiæ ſtirpe prognatus: is annos circiter duodetriginta diverſis imperavit Regibus, uſque ad annum IϽCCXIV. Carolus Martellus filius in paternam item dignitatem ſucceſſit, eamque non conſervavit ſolum, ſed majoribus etiam viribus auxit & ſtabilivit, rebus militiæ præclare geſtis, & Saracenis maxime, qui ſub id tempus, Hiſpania ſubacta, in Franciam irruperant, expulſis, magna eorum cædes in Aquitania facta anno a Chriſto nato IϽCCXXXII. Is Principis deinde ſeu Ducis Franciæ titulum adſcivit, Regibus legitimis vano tantummodo nomine & ludibrio imaginariæ di-

Clotarius II. Dagobertus. Majores Domus. Pipinus. Carolus Martellus.

gnitatis relicto. Ruri quippe tanquam in ergaſtulo quodam continere ſe coacti, ſemel quotannis in urbem curru ſublimes vehebantur, & ceu monſtrum quoddam aut bellua inuſitata populo oſtentabantur. Ad extremum, Pipinus junior Caroli Martelli (qui anno IↃCCLI. obiit) filius, conciliatis ſibi Primoribus Regni, Childericum tertium Regem, detonſis in coronam capillis, cœnobio incluſum, quum Regno exuiſſet: ipſe Regem ſe Franciæ conſalutari juſſit. Quod facinus Zacharias Pontifex eo facilius approbavit, quod Longobardorum in Italia vires extimeſcens, quum auxilia adverſus eas parare ſtatuiſſet, Francorum Reges devincire ſibi omnibus modis ſtudebat. Ita Francorum Regno Merovingica ſtirps excidit anno a Chriſto nato IↃCCLI.

Childericus III. & cum eo ſtirps Merovingica Regno excidit.

Pipinus.

§. 4. Pipinus, ut ſe Regia majeſtate dignum præberet, atque, oblitterata erepti Childerico Regni memoria, aliud ſermonum argumentum hominibus daret, ſuſcepta in Saxones expeditione, acerrimo eos prælio vicit cæciditque. Superioribus quoque Regibus, ducto aliquoties in Germaniam exercitu, res præclare geſſerat, populis, qui ad Rhenum incolebant, perdomitis. Inde gloriæ apud Italos comparandæ facultas data. Aiſtulphus, Longobardorum Rex, Italiam jam omnem ſpe devoraverat: Exarchis (Imperatorum Græcorum Præſides erant) Ravenna, aliisque locis, quæ ad Exarchatum pertinebant, pulſis, jam in eo erat, ut urbem Romam oppugnaret. Stephanus III. Pontifex, ejus metu exterritus, quum alia auxilia non ſuppeterent; implorata Pipini ope, perpulit tandem, ut ſubſidio adverſus Longobardos cum exercitu veniret. Eo bello Pipinus adimit Aiſtulpho quidquid antea terrarum Græcis Imperatoribus eripuerat in Italia; atque, ut fertur, locorum eorum

rum uſumfructum tantummodo Rom. Pontifici donat; dominio ſupremo ſibi, quod vero ſimile eſt, reſervato. Ea re & magnam ſtudii religionis ac pietatis gloriam conſecutus eſt, qui in Antiſtites ſacrorum de alieno tam liberalis eſſet; & ſuas in Italia opes firmavit, viamque munivit, ut eam flectere & dirigere ad voluntatem ſuam poſſet. Taſſilonem quoque Bavariæ Ducem in verba ſua jurare coegit, Ducemque Aquitaniæ in ordinem redegit. Diem obiit anno IↃCCLXIIX. filiis duobus, Carolo & Carolomanno, heredibus relictis; qui Regnum inter ſe partiri juſſi ſunt. Sed Carolomanno paulo poſt vita functo, integrum Regnum Carolus frater ſolus obtinuit. Is cognomento Magnus jure merito dicebatur: ut qui imperium Francicum ad id faſtigium perduxerit, quod aſſequi nemo ſucceſſorum potuit: quamvis inter eos eſſent, qui manibus eo pedibusque contenderent. Deſiderio, ultimo Longobardorum Rege, (quum recuperare, quæ ademta Aiſtulpho fuerant, niteretur) victo, Longobardorum Regno in Italia potitur, anno IↃCCLXXIV. Taſſilone, qui ſe Regem Bavariæ appellari juſſiſſet, everſo, Saxonibusque, poſt geſtum annos duos & triginta bellum, domitis, & tandem ad Chriſtianorum ſacra ritusque adactis, Germaniam univerſam ſubegit. Epiſcopatus in ea & monaſteria permulta inſtituit, ut efferatos populi indomiti mores leniſſima Sacerdotum diſciplina mitigaret. Slavos quoque, Danos, Hunnosque compeſcuit retuditque; Saracenis magnam Hiſpaniæ partem ad Iberum fluvium uſque eripuit: in reditu tamen nonnihil cladis ad Roncevallem accepit, Rolando, heroe longe celeberrimo, cæſo. Carolus, quum Romæ eſſet anno IↃCCC. ipſo Chriſti natali, ad Divi Petri Romanorum Imperator a populo, conſentiente

Carolus M.

Pontifice, ſalutatur; nihil eo titulo conſecutus, præter ſummum imperium, aut potius tutelam Eccleſiæ Romanæ, ejusque Patrimonii, (niſi hoc jam antea obtinuerit?) nam reliquas, quæ ipſius imperio tum temporis ſubjectæ fuerant, partes, alio jure tenebat. Exceſſit rebus humanis anno IƆCCCXIV.

Ludovicus Pius. §. 5. Poſt Carolum Magnum convelli res Francica & imminui cœpit; quod filius ejus idemque ſucceſſor, Ludovicus Pius, ad Sacerdotis munia quam militis obeunda natura aptior erat: quum tamen Regem bellicoſum & rei militaris uſu peritum Regni, cujus provinciæ nondum pacatæ omnes erant, vaſtitas poſtularet. Quanquam populos nonnullos rebellantes proſpere ſatis coercuit; duplicem tamen errorem publice pernicioſum poſtea commiſit: quod & filios vivus Regio cohoneſtavit nomine, & inter eos Regnum partitus eſt. Alterum patri, Regno alterum, multum detrimenti attulit. Filii quippe, ingrato in patrem animo, quum ejus mortem opperiri longum nimis videretur, nefaria & impia adverſus eum arma capiunt, & deſtitutum a ſuis in vincula conjiciunt. Inde ab Epiſcopis quoque, quos ille ſevera antea diſciplina coercuerat, condemnatus, Regnum ejurare cogitur, anno a Chriſto nato IƆCCCXXXIII. Exin, cum facti pœnitentia Primores ſubiiſſet, in Regnum eum reſtituunt: ipſe filiis delicti gratiam clementiſſime facit, Regno inter eos denuo diviſo, exceſſit e vita anno ſalutis humanæ IƆCCCXL. Poſt ejus mortem, brevi ejus diviſionis mala apparuerunt. Lotharius, fratrum natu maximus, idemque titulo Imperatorio conſpicuus, quum reliquis fratribus ſuas cuique partes adimere conaretur: Ludovicus & Carolus fratres, ſocietate inita, & ad Fontenacum haud procul

Lotharius.

cul Auxerra prælio commiſſo, cruentam (militum enim ad centum millia & flos Franciciæ juventutis in acie ceciderant) victoriam quum ſibi peperiſſent; fratrem Regnum diſpertiri ſecum coegerunt. Ea diviſione Ludovico, ſecundo a Lothario, Germania obtigit; quæ a Franciæ Regno avulſa perpetuoque ſeparata manſit, & peculiare ſibi imperium, nec ullius niſi Germanorum poteſtati ſubjectum, conſtituit. Carolo autem Calvo, fratrum natu minimo, ſorte obtigit quidquid inter mare Occidentale & Moſam poſitum eſt terrarum: quo ſpatio maxima Franciæ pars continetur. Nam Lothario fratrum natu maximo Italia, Gallia Narbonenſis, & quidquid Scaldi, Moſa, Rheno & Arare terrarum continetur, ceſſit. Carolo Calvo regnante, Normanni (ita Danos Norwegoſque vocabant) effuſe irrumpentes ingentem Franciæ vaſtitatem fecerunt. Nec in Regno, crebris partitionibus præliiſque cruentiſſimis debilitato (nam & Lotharii filii paternam inter ſe portionem iterum diviſerant) tantum virium fuerat, ut expelli prædones immanes poſſent. Itaque poſtremo Carolo Simplice Rege Neuſtriam ipſis concedere Francia coacta eſt anno ꟾↃCCCCXII. Eam provinciam de ſuo deinceps nomine Normanniam dixerunt. Filiis Lotharii ſine prole defunctis, ejus Regni portionem Carolus Calvus & Ludovici Germaniæ Regis filii inter ſe partiti ſunt: Carolo Gallia Narbonenſis obvenit. Poſtremo Carolus adſcito Imperatoris nomine moritur anno ꟾↃCCCLXXVII. Ei ſucceſſit Ludovicus Balbus, qui præmatura morte exſtinctus, Regnum filiis adhuc impuberibus, Ludovico tertio & Carolomanno reliquit: iis Ludovicus Germanorum Rex Lotharingiam eripuit. Ludovico anno ꟾↃCCCLXXXII. Carolomanno anno ꟾↃCCCLXXXIV. mortuis ſuperſtes fuit

Carolus Calvus.

Ludovicus Balbus.

Ludovicus III.

& Carolomannus. - Carolus Simplex. fuit frater conſobrinus, Ludovici Balbi filius, quinque annorum puer, quem deinceps Carolum cognomento Simplicem appellarunt. Tantus enim eo tempore Regii nominis contemptus fuit, ut Regibus a corporis animique vitiis cognomina, quaſi recepto apud eos more, imponerent. Ejus Tutor aliquamdiu fuit Carolus Craſſus, cognatus, Imperatorio item titulo inſignis: is, imperio poſtmodum propter animi corporisque vitia abrogato, moritur anno IↃCCCLXXXVIII. In tantis diſcordiis ac Regiæ auctoritatis contemptu Primores Regni, firmatis opibus & mirifice amplificatis, provincias, quas Regis modo auſpiciis tanquam Præfecti adminiſtraverant, occupato Principatu, velut ſuas vindicare cœperunt, Regibus, non niſi quantum ipſorum ferebat voluntas, dicto audientes. Sunt, qui Reges præter Epiſcopatus Laudunenſem & Remenſem, nihil retinuiſſe tradunt. Id malum Reges inſequentes non niſi ſeculorum aliquot ſpatio eradicare funditus potuerunt. Poſt Carolum Craſſum, Eudo Pariſiorum Comes, cum ſe Regem Franciæ declarandum curaſſet, bellum Carolo Simplici infert. Deceſſit anno IↃCCCLXXXXIIX. Carolus Simplex alium deinceps Regni competitorem, Rudolphum Burgundiæ Regem, habuit, qui anno IↃCCCCXXIII. Rex Franciæ creatus, Carolum Simplicem in carcerem conjecit. Moritur captivus anno IↃCCCCXXIX. Rudolphum anno IↃCCCCXXXVI. defunctum excipit Ludovicus quartus cognomento Transmarinus, ita dictus, quod, quum Carolus Simplex pater exagitaretur, in Angliam ſe recepiſſet. Is Regnum inteſtinis infeſtum motibus tenuit ad annum IↃCCCCLIV. Eo anno moriens Regnum Lothario filio per manus tradit, quod ille multis item turbis agitatum geſſit, ad annum IↃCCCCLXXV. Ludovico filio hærede relicto.

(Margin: Eudo. — Rudolphus. — Ludovicus Transmarinus. — Lotharius. — Ludovicus)

ſto. Is cognomento Ignavus appellatus eſt. Neque enim de eo Francici Scriptores quidquam, niſi quod memorabile nihil geſſerit, memoriæ prodiderunt. Ejus tutelam, & adminiſtrationem Regni ſuſcepit Hugo Capetus, Pariſiorum Comes. Ludovico fatis functo anno ɪↃccccʟxxxvɪɪ. Ejus patruus, Ludovici Transmarini filius, cum Regnum velut pro jure ſuo poſtulaſſet, opibus Hugonis Capeti repellitur. Cumque vi armisque Regnum ſibi vindicare niteretur, capitur, captusque in carcere moritur. Cum eo ſtirps Carolingica exſtincta, aut Franciæ ſaltem Regno orbata eſt, ducentis triginta ſex, poſtquam ei præeſſe cœperat, annis. Notatu dignum eſt, ſtirpem hanc eodem, quo ſuperior, peccato Regnum amiſiſſe. Quum magnam initio gloriam, provinciis compluribus ſubactis, Franciæ comparaſſet, eam paulo poſt, diviſo in minutas partes Regno, obſcuravit, magna inſuper provinciarum parte a Regno avulſa, & cum Germania conjuncta. Acceſſit partim Regum ignavia & imbellia, partim nimia Primorum Regni potentia; quæ rem Francicam vehementer afflixerunt. Ignavus. Stirps Carolingica exſtinguitur.

§. 6. Hugo Capetus, a quo ea, quæ hodie rerum potitur in Gallia, ſtirps initium cepit, quemadmodum non tam jure ſanguinis, quam Procerum ſtudiis, excluſo legitimo herede, Regnum adeptus erat: ita multa Magnatibus concedere, & quem ſibi ſumſerant provinciarum ſibi commiſſarum dominatum confirmare coactus eſſe vulgo perhibetur. Et quamvis Ducum Comitumque titulo inſignes eſſent, ac Regis ſe beneficiarios faterentur, ejus tamen imperio, tanquam ſupremi Domini, parere recuſarunt. Itaque infirma eo tempore res Francica, & corpus male cohærens fuit. Regno, quod tum temporis anguſtis Hugo Capetus.

guſtis circumſcriptum finibus nullas fere provincias ſibi proprias continebat, Comitatum Pariſienſem, Ducatum Franciæ, quidquid terrarum inter Sequanam & Ligerim amnes interjacet, & denique Comitatum Aurelianenſem Hugo adjunxit. Ceterum, in tanta Regulorum multitudine principem locum obtinebant Duces Normanniæ, quibus ea tempeſtate Britannia minor quoque parebat, Duces Burgundiæ, Aquitaniæ, & Vaſconiæ, Comites item Flandriæ, Campaniæ, & Tholoſæ, qui Duces quoque Galliæ Narbonenſis fuere, Comitatus autem Viennenſis, Provinciæ, Sabaudiæ ad Regnum Arelatenſe, quod Imperii Germanici pars fuit, referebantur. Sed ea fortunæ benignitate uſi ſunt inſequentes Reges, ut exſtincta tot Regulorum, quorum ita temperata poteſtas fuit, ut a ſuperioris domini arbitrio penderent, multitudine, eorum provinciæ ad Regnum Franciæ transferrentur. Hugone rebus humanis ſublato anno ıↄccccxcvi. ejus filius Robertus. Robertus, virtutis laude inſignis, in pace Regnum geſſit, & patruo mortuo Ducatu Burgundiæ jure hereditario potitus eſt. Sed digna memoratu eſt ea, qua in hunc Regem Pontifex uſus eſt, ſævitia. Is, quum Bertham e familia Burgundica ortam uxorem ducere ſtatuiſſet, (quod quidem matrimonium ſuis rationibus in primis utile eſſe videbatur) ipſe autem quarto cognationis gradu eam attingeret, ac ſuperiori ejus marito adhuc vivo ipſius infantem e ſacro fonte ſuſcepiſſet, Epiſcoporum approbationem (erant enim ejuſmodi matrimonia Jure Canonico vetita) expetiit juxta & obtinuit. Sed Pontifex eam ob cauſſam Regem cum univerſo Regno proſcribit: cujus quidem fulminis ea vis fuit, ut a ſuis omnibus, præter tres aut ad ſummum quatuor e famu-

mulitio Regio, Rex deſereretur, cibum, quem Rex contrectaſſet, deguſtare omnes religioni ducerent: quidquid denique e Regia menſa tollebatur, canibus devorandum projiceretur. Exceſſit e vita anno CIƆXXXIII. Henrici filii Regnum nulla re paulo clariore, niſi quod levia quædam bella cum beneficiariis geſſerit, inſigne fuit. Ducatum Burgundiæ Roberto fratri donavit: ab eo primum Burgundica ſtirps, Regio condecorata ſanguine, initium cepit. Moritur anno CIƆLX. Ejus filius Philippus nulla rerum geſtarum laude conſpicuus fuit. Ei ob nuptias itidem proſcripto Pontifex tandem legis gratiam fecit. Philippo regnante, Angliam Guilielmus, Normanniæ Dux, in poteſtatem ſuam redegit: ex ea re, immane quantum calamitatis poſtea in Franciam redundavit: continua quippe inter ſe bella Franci Anglique geſſerunt; nec, niſi ejectis demum & expulſis e Francia Anglis, bellandi finis eſt factus: ſub idem tempus expeditiones in Terram Sanctam ſuſcipi cœptæ: quæ ſane rabies, poſtquam ſemel animos hominum occupaverat, non niſi ducentorum annorum ſpatio reſedit. Maximam commodi partem Pontifices perceperunt: qui & expeditiones ejuſmodi imperandi facultatem, & eorum, qui ſe Cruce inſigniri paterentur, tutelam ſibi unice ſumſerant. Ad hæc vulgato expiationum publicarum (Indulgentias vulgo vocant) uſu, Eleemoſynas quoque & Legata, quæ ad bellum ſacrum conferebantur, diſtribuenda per Legatos curabant. Emolumento quoque eæ expeditiones cum aliis Regibus, tum Francico fuerunt; quum & turbulentiſſimus quisque eo proficiſceretur, & Proceres, pecuniæ conficiendæ cauſſa, bona ſua vel venderent, vel oppignerarent: quorum facultates, ſi quando ipſi, nullo relicto herede, interierint in iti-

Henricus

Philippus

Expeditiones in Terram S. ſuſceptæ.

itinere, ad Regem redibant. Denique incredibilis illa hominum multitudo, Franciam tum temporis prægravans, hoc pacto exonerabatur, ut ſuos jam cives Reges in officio continere commodius poſſent. Non minus tamen incommodi poſtmodum eæ expeditiones Regibus attulerunt, poſtquam vel Pontificum cohortationibus, vel ſua ipſorum ſponte adducti, ipſi, omiſſa Regni cura, terras longinquas adire in animum induxerunt: nec enim aliud quidquam profecerunt, quam ut ingentem hominum multitudinem, immanitati Barbarorum objectam, ſtragibus cædibusque conficerent. Tueri enim iſtas provincias nullo modo potuerunt, niſi Ægyptum prius in ditionem ſuam redegiſſent. Peculiare autem Regnum & ſuis ſubnixum viribus conſtitui potuiſſet, ſi & ſedes imperii, & rerum ad bellum neceſſariarum quaſi promptuarium collocatum in ea terra fuiſſet. Rex moritur anno CIƆCVIII. Ejus filius Ludovicus, cognomento Craſſus, bella cum Henrico I. Angliæ Rege & cum Franciæ item Regulis geſſit; qui crebras ex arcibus ſuis excurſiones faciebant, Regnumque miſere vexabant: iis perdomitis & in ordinem redactis deceſſit anno CIƆCXXXVII. Ejus filius Ludovicus VII. ſive Junior hortatu S. Bernhardi expeditionem in Terram Sanctam ſuſcipit, ſed irrito conatu. Ingentes quippe copiæ, & clade in Pamphylia accepta, & infelici Damaſci urbis obſidione, & itineris longinqui moleſtiis, quas perferre inter homines Barbaros perfidosque neceſſe habebant attritæ confectæque, reliqua pars cladibus vehementer attenuata, nullo operæ pretio facto, domum eſt reducta. In eo quoque graviter offendit, quod cum Eleonora conjuge & Aquitaniæ agrique Pictavienſis unica herede, ſeu zelotypia extimulatus, ſeu religione (erat enim cum

Ludovicus Craſſus.

Ludovicus VII.

cum ea tertio aut quarto propinquitatis gradu conjunctus) tactus, divortium fecit. Ea, quum Henrico deinde Normanniæ Duci (qui Angliæ deinceps Rex factus, ejus nominis ſecundus) nupſiſſet, provincias nobiliſſimas cum Anglia copulavit. Multum præterea negotii ei beneficiarii ſui, & maxime Henricus II. Angliæ Rex, exhibuerunt. Fatis conceſſit anno cɪↄclxxx.

§. 7. Ejus filius Philippus II. cognomento Auguſtus, bellum initio cum Henrico II. Angliæ Rege habuit. Ei loca complura quum ademiſſet, Richardo filio poſtea reſtituit: & facta ſocietate, ad Hieroſolymam a Saracenis recipiendam, una cum eo, validiſſimum in Barbaros exercitum ducit. Sed quo minus exoptatus expeditioni eventus reſponderet, obſtitit diſſenſio ac ſimultas inter utrumque Regem exorta. Richardus quippe, inſidias ſibi, dum iter una faceret, a Philippo comparatas in Sicilia, & quod is ſororem ſibi jam ante deſponſatam in matrimonium dare, contra fidem datam, nollet, coarguit. Philippus autem, Ptolemaide conjunctis viribus expugnata, per cauſſam valetudinis in Franciam revertitur, Hugone III. Burgundiæ Duce apud Richardum cum copiis relicto: qui invidia adductus impediit, quo minus Hieroſolyma urbe Richardus potiretur: tantum abfuit, ut ei adjumento eſſet. Expeditione in Terram Sanctam infeliciter peracta, Philippo bellum Richardus infert: quod ductu Johannis fratris ejus deinceps continuabatur. Eo bello ſuperior res Francica fuit, Normannia & Comitatus Andegavenſis, Cenomanenſis, Turonenſis, Bituricenſis & Pictavienſis Anglis adempti. Operam quoque dedit, ut Comes Tholoſanus a Pontifice, quod Albigenſes in fidem ac clientelam ſuam recepiſſet, diris devotus penitus labefactaretur.

Philippus Auguſtus.

retur. Inſignem præterea victoriam de Ottone IV. Imperatore ad Bovinium oppidum inter Inſulas & Tornacum poſitum reportavit. Eum quippe Imperator, Flandriæ Comite in ſocietatem adſcito, cum centum & quinquaginta militum millibus adortus fuerat, dum ex altera parte Angliæ Rex Aquitaniam invaderet. Quin immo Rex adverſus Anglos rem adeo proſpere geſſit, ut parum abeſſet, quin ejus filius Ludovicus Angliæ Regno potiretur. Is quanquam ex Anglia pulſus erat, tamen poſt parentis obitum (qui incidit in annum CIƆCCXXIII) Regno admotus, Anglos bello perſequi in Francia non deſtitit, Rupellis aliiſque locis receptis. Ludovici VIII. Regnum haud diuturnum fuit. Moritur anno CIƆCCXXVI. Ludovico IX. cognomento Sancto herede relicto. Is, quod ætate ad regendum immatura eſſet, Blanca interim Caſtilienſis, ejus mater, dum filius adoleſceret, rei Gallicanæ præfuit: multas adverſus eam turbas quum Primores Regni excitaſſent, prudentia duce, comite fortuna, omnes ſopivit. Anno inde CIƆCCXLIV. quum Choraſmii, gens Perſica, Hieroſolymam diripuiſſent: Ludovicus gravi ſuo id tempus morbo implicatus, expeditionem ſe adverſus infideles ſuſcepturum, ſi convaluiſſet, vovit. Itaque voti reus religione ſe liberat. Pronunciari autem, priuſquam iter ingrederetur, ubique per præcones juſſit, ut ſi cui a ſuis vel damnum illatum, vel injuria facta foret, is nomen ederet, & ſibi ſatis fieri pateretur. Nec fefellit: omnibus qui aderant cumulate ſatis factum. In ea expeditione Damiatam quidem, urbem opere & natura munitiſſimam, expugnavit. Sed quo minus Cayrum urbem vaſtiſſimam caperet, obſtitit Nili in vicinos agros effuſi eluvio. Is poſtquam ad juſti curſum amnis rediit,

Ludovicus VIII.

Ludovicus IX. Sanctus.

tediit, agroſque aqua deſtituit, Rex ulterius progreſſus, quum bis ſigna cum hoſte contuliſſet, utroque prælio ſuperior diſceſſit; ſed paulo poſt hoſtes, novis firmati ſubſidiis, Francos commeatu intercludunt: quos eo tempore Stomacace quoque, vulgatus per omnem exercitum morbus, vehementer affligebat. Quumque Rex ab urbe Damiata recipere ſe conaretur; opprimitur in itinere, exercitus occidione occiditur, ipſe captivus abducitur; ſed reſtituta poſtmodum Damiata, & quadringentis librarum millibus depenſis, ſalvus & incolumis dimittitur. Cum reliquiis exercitus, qui ex triginta millibus ad ſex millia redactus erat, Ptolemaidem profectus, Chriſtianos, quibuscunque rebus poterat, juvit: anno demum CIↃCCLIV. domum revertitur ad ſuos. Sub hoc Rege, Francia occaſionem primum nacta eſt rebus ſe Italicis immiſcendi, tametſi multum ex ea re utilitatis nunquam ceperit. Manfredus, Friderici II. Imperatoris nothus, Conrado Rege, eodemque fratre ſuo occiſo, Neapolis ac Siciliæ Regna occupaverat. Sed Pontifex, in cujus fide ac clientela id Regnum fuit, quum alieno a Manfredo animo eſſet, detulit id Carolo Comiti Andegavenſi, Ludovici IV. Regis fratri. Is, Regno ſine mora ſuſcepto, Regiis decoratur inſignibus Romæ anno CIↃCCLXI. his quidem conditionibus: ut Pontifici octo unciarum auri millia penſitaret: aſturconem quotannis album eidem pro vectigali penderet, nec ſe Cæſarem in poſterum creari pateretur, neque cum Imperio Germanico Regnum unquam conjungeret: ſuperiorem enim in Italia ferre Pontifex nolebat. Manfredo acie victo, & una cum liberis omnibus occiſo, Carolus Regno potitus eſt. Conradinum inde Sueviæ Ducem, Regnum avitum recipere conantem, prælio ad la-

Primum Franciæ in Neapolitanum Regnum jus.

cum Celanum anno CIↃCCLXVIII. vicit cepitque, & inſequenti anno capitis ſupplicio, Pontificis inſtinctu, affecit Neapoli. Pontifex jam antea, quid de captivo faciendum cenſeret, interrogatus, reſponderat: *Vita Conradini mors Caroli, Mors Conradini vita Caroli.* Cum eo nobiliſſima ſtirps Ducum Sueviæ interiit. Carolo autem Rege, primum in Regnum Neapolitanum jus Francis natum eſt. Porro, Ludovicus Rex infelicem in Barbaros expeditionem ſuſcepiſſe non contentus, ad Tunetum quoque belli molem admovet, ſeu quod ea urbs Carolo fratri Siciliæ Regi peropportuna eſſe videbatur, ſeu quod, ea capta, viam ſibi muniturum ſe ſperabat ad Ægyptum ſubigendam, ut quæ, dum in ditione Barbarorum eſſet, omnes in Terram Sanctam expeditiones inutiles redderet. Sed magnam exercitus partem, atque ipſum adeo Regem, lues, in ea obſidione, abſumſit, anno CIↃCCLXX. A Ludovici IV. filio natu minimo, Roberto, Comite Clarimontii, Borbonia ſtirps originem ſuam trahit; quæ hoc tempore rerum in Francia potitur.

Stirpis Borboniæ origo.

Philippus Audax.

§. 8. Succeſſit ejus filius Philippus Audax: ſub eo Rege Comitatus Tholoſanus civium amplitudine inſignis ad Franciæ Regnum adjectus eſt, poſteaquam Alfonſus, Ludovici IX. filius, qui unicam ejus Comitatus heredem in matrimonium duxerat, in expeditione Africana ſine prole deceſſit. Philippo regnante Veſperæ Siculæ, Hiſtoricorum monumentis celebratiſſimæ, evenerunt; iis ad unum omnes Franci ex Sicilia ejecti ſunt & profligati. Res ita ſe habet. Johannis a Prochyta, Salerno oriundi, uxorem Franci per vim conſtupraverant. Itaque maritus vindictæ cupiditate flagrans Petri Arragoniæ Regis opem ac fidem implorat, ut una cum eo Carolum expellat e Sicilia.

Veſperæ Siculæ.

cilia. Nec ab ea re reliquorum Siculorum voluntas abhorrebat, in quos Franci nullum crudelitatis aut vexationis genus prætermiſerant. Adjuvabant quoque conſilium iſtud Nicolaus V. Pontifex, metu opum Caroli conterritus, & Michael Palæologus, Imperator Conſtantinopolitanus, quod ejus quoque Imperium Carolus ad ſe trahebat. Johannes Monachi habitu tectus, alio atque alio ſe contulit, auxilii petendi cauſſa; nec, niſi re perfecta, conquievit. Prodigii ſimile fuit, rem toto triennio tam diverſis in locis agitatam, haud emanaſſe. Anno demum MCCLXXXII. conſilii perficiendi ea inita ratio eſt. Secunda Paſchatis feria convenit inter conjuratos, ut dato officii veſpertini ſigno omnes ſimul coorti genus omne Francorum contrucidarent. Cædes horrenda duarum horarum ſpatio patrata, nulla vel ſexus vel ætatis ratione habita: ibi tum Siciliæ Regnum Petrus Arragoniæ Rex occupat. Et quanquam Pontifex eum Eccleſiæ hoſtem judicavit, circummiſſis, qui ad nomina bello ſacro danda homines in concionibus paſſim hortarentur, & Carolum præterea, ſecundum Philippi filium, Arragoniæ Regem declaravit, ac Philippus ipſe, ut filio Regnum traderet, eo ingenti cum exercitu profectus eſt, nihil tamen profecit. Philippus ceſſit e vita anno CIↃCCLXXXV. Ejus filius & ſucceſſor Philippus Pulcher, bello Anglis temere illato anno CIↃCCLXXXXII. Burdigalam eis & maximam Aquitaniæ partem eripit: ſed pace inter eos compoſita, mox reddere ea loca neceſſe habuit. Inde Flandriæ Comitem bello perſecutus, qui, quum Anglorum inſtinctu conjurationem adverſus eum cum multis e Primoribus Regni feciſſet, oppida ejus urbesque pene omnes expugnavit. Sed quum Flandri vexationibus Francorum incitati rebellaſſent,

Philippus Pulcher.

ſent, ac præſidium Francicum interfeciſſent: Rex, ad eos compeſcendos, exercitum Roberti Atrebatenſium Comitis ductu mittit: ſed ad Cortracum prælio funditur fugaturque, viginti Francorum millibus deſideratis. Ejus cladis cauſſa potiſſima fuit, quod equites effuſo curſu provecti in foſſam improvide præcipitavere. Flandri octo calcarium inauratorum millia, tanquam opima ſpolia, detraxiſſe cæſis memorantur. Quanquam autem Flandrorum viciſſim millia viginti quinque in acie ceciderint, anno CIↃCCCIV. Regem tamen, exercitu mox ſexaginta millium hominum coacto, pacem ſibi ac priſtinum ſtatum reddere coegerunt.

Templariorum ordo deletur. Templariorum quoque ordinem Equeſtrem, opibus florentiſſimum, Philippus, conſentiente Pontifice, delevit. Obiit anno CIↃCCCXIV. Ejus filii tres quum Regnum ordine, alius poſt alium, tenuiſſent, ſine prole maſcula moriuntur, nullis

Ludovicus X. alioquin rebus præclare geſtis inſignes. Ludovicus X. cognomento Huttinus, fratrum natu maximus, migravit e vita anno CIↃCCCXVI. Ejus fratri Philippus Longus. Philippo Longo controverſiam de Regno movit Johanna, fratris defuncti filia, cujus cauſſam inprimis egit avunculus Burgundiæ Dux, ſed vicit lex Salica. Hoc Rege, in exſilium Judæi ejiciebantur e Francia, quod hominum leproſorum opera fontes paſſim veneno infeciſſe arguebantur. Moritur anno MCCCXXII. Eum frater III. Carolus

Carolus IV. IV. cognomento Pulcher excepit: eo Rege, Lombardi & Itali, fœnoris iniquitate infames, e Francia expulſi ſunt. Bellum quoque cum Anglis in Aquitania geri cœptum erat; ſed Iſabella Regina, Caroli ſorore, conciliatrice, pax brevi compoſita eſt. Exceſſit e vita anno CIↃCCCXXVIII.

§. 9. Ejus obitum tempora multorum annorum calamitate funeſta ac miſera conſecuta ſunt; qui-

quibus res Francica in præcipitem data caſum, propemodum concidiſſet. De Regno inter ſe contendebant Philippus Valeſius, Philippi Pulchri fratris filius, & Eduardus III. Rex Angliæ, Philippi Pulchri itidem ex filia nepos. Ille lege Salica nitebatur, qua filiæ omnes a Regno prohibentur. Hic nihil primo legi derogabat; pertinere autem eam ad mares, ex Regiis Francici generis filiis natos, negabat: jam vero propiori omnino neceſſitudinis gradu quam Philippum conjunctum ſe eſſe cum defuncto Rege. Nec ullum afferri exemplum poſſe, quo ſororis filius a fratris filio excluſus a Regno fuiſſe comprobetur. Sed Franciæ Proceres ſecundum Philippum pronunciarunt, partim Roberti Comitis Arteſiæ hortatu, partim quod Franciæ Regnum, ceu adventitium, pendere ab Angliæ Regno nolebant. Eduardus quanquam repulſæ injuriam, & ex ea iram initio diſſimulans, accerſitu Philippi, ſacramentum etiam nomine provinciarum, quas in Francia beneficiarias tenebat, dicere non dubitavit; res tamen poſtmodum ad bellum apertum erupit. Eduardum quippe indignatio ſtimulabat, quod quum jusjurandum daturus eſſet, coronam, ſceptrum, & calcaria deponere juſſus erat. Accedebant Ordinum, ne jus ſuum firmiſſimis ſubnixum rationibus temere remitteret, dehortantium voces. Nec minori ſtudio bellum ſuadebat Robertus Arteſiæ Comes, Philippi Regis affinis, qui, quod ei de vindicanda Arteſia aſſenſum non erat, graviſſimas cum Rege inimicitias gerebat. Interim dum Philippus Flandros in Comitem ſuum rebelles magno prælio ad Caletum victos occidione occidit, ex ſedecim hominum millibus ne nuncio quidem tantæ cladis relicto, anno CIↃCCCXXVIII. Angli initium belli faciunt anno CIↃCCCXXXVI. Id

quum annos aliquot, cladibus illatis acceptisque geſtum, induciis identidem dirimeretur: Eduardus cum exercitu in Normanniam appulſus belli molem Lutetiam Pariſiorum transfert, & Francis non toleranda ſuperbia inſultat. Ceterum, Eduardum, in Flandros per Picardiam contendentem, Philippus inſequutus eſt, & collatis ſignis cum hoſte conflixit ad Abbatis Villam. Eo prælio victoria penes Anglos fuit, fortunæ potius beneficio, quam virtute, propterea quod Francicus miles eo die magnis itineribus defatigatus ad prælium ineundum non ſatis alacritatis habebat. Genuenſis item miles, quum nullus ſagittarum uſus, arcubus pluvia corruptis, eſſet, pedem referebat. Eum Alenconius Dux, proditionis cauſſa fugere ratus, cum equitatu citato curſu inſequitur, & in medium invectus agmen, pedibus conculcat. Ita ordines primum perturbati ſunt. Tormentorum præterea æneorum (habebant enim ejus generis tria quatuorve Angli ante aciem collocata) fragore ingens Francis terror injectus eſt: neque enim ante id prælium hoc armorum genus in Francia viſum aut auditum fuerat. Acceſſit, quod ex Franciæ Primoribus multi alieno a Rege animo eſſent, atque adeo eum clade affici haud ægre patiebantur. Ea victoria eo glorioſior Anglis fuit, quod ipſi (quemadmodum Gallicarum rerum Scriptores teſtantur) numerum militum viginti quinque millium tantum, Galli centum millium expleverant. Ex iis peditum millia triginta, equites mille & ducenti ceciderunt. In iis Johannes Bohemiæ Rex fuit: qui, etſi luminibus orbatus erat, tamen ab amicis duobus, qui ejus equum, in medium receptum, ex utroque latere, ſuo quiſque equo, alligaverant, in hoſtium aciem, qua confertiſſima erat, deductus, ſtrenue pugnaverat.

Prælium ad Abbatis Villam.

verat. Ii cum prælio occubuiſſent, poſtea, ita uti erant illigati, deprehenſi ſunt. Inſequenti die horrenda facta eſt cædes eorum, qui omnium rerum ignari, in caſtra ſubſidio venerant. Caletum inde Angli expugnant: eam obſidionem Philippus, ductis eo centum & quinquaginta militum millibus, ſolvere nequidquam conatus eſt. Eam jacturam nonnihil poſtea ſolata eſt Humberti Ducis Delphinatus poſtremi munificentia. Is quippe Regi cætera infortunatiſſimo eam terram donavit, ea conditione, ut filius Regis natu maximus in perpetuum Delphinus diceretur. Nam a Sabaudiæ Duce, qui ea tempeſtate vixit, capitali odio diſſidebat Humbertus; itaque ſeſe jam ante in fidem & clientelam Regis Francici commiſerat. Poſteaquam vero filium unicum caſu occiderat, mœrore confectus, cœnobio ſe incluſit, terris ditionis ſuæ Philippo Regi conceſſis anno CIↃCCCXLIX. Ruſſilionem quoque & Montem Peſſulanum, pactis interpoſitis, redemit: Philippus inviſiſſimum Francis vectigal ſalis, ubi tam care ſal & aqua marina venit, primus introduxit. Ex eo auctor legis Salicæ per jocum ab Eduardo dictus. Diem obiit anno CIↃCCCL.

Delphinatus pervenit ad Galliam.

§. 10. Ejus filius & ſucceſſor Johannes in bello cum Anglis fortunam magis etiam, quam ipſe pater, adverſam habuit. Induciis enim exeuntibus, quum denuo ad arma itum eſſet, Johannes cognito, Eduardum, ex Aquitania cum duodecim militum millibus egreſſum, agros longe lateque depopulatum eſſe, eum cum omnibus copiis opprimere in itinere inſtituit. Et aſſequitur ad Mauperthuſium oppidum duobus milliaribus Pictavio diſtans. Quanquam autem Eduardus & damna reſarcire, & de injuriis ei ſatisfacere conditionibus æquiſſimis paratus erat, Rex tamen,

Joannes.

Pugna ad Pictavium.

iis ſpretis, Eduardum loco iniquiſſimo, caſtris inter dumeta & vineas poſitis, impugnare aggreditur. Ibi tum Angli, ſagittis immiſſis, primum agmen & inde ipſam aciem (ea ad quinquaginta hominum millia continebat) perturbant & Francorum millia ſex (quem numerum ipſi Scriptores Francici edunt) interficiunt. In iis mille & ducenti e Nobilitate, e Primoribus quinquaginta numerabantur: Rex ipſe una cum filio natu minimo capitur. Nam tres reliqui, natu majores, ut primum acies inclinari cœpit, Ephoro ipſorum auctore juxta ac duce, fuga ſalutem quæſiverunt anno CIƆCCCLVI. Dum pater in cuſtodia aſſervatur, etſi Carolus Delphinus, filius, Regni adminiſtrationem interim ſuſcepit, ingentes tamen turbæ exſtiterunt. Populus quippe magnis calamitatibus oppreſſus obſequium detrectabat. Magna agreſtium manus adverſus Nobilitatem coiverat, & Pariſienſes inprimis fremere & omnia turbare cœperunt. Milites denique, quibus ſtipendium ſolutum haud erat, omnia pro lubitu agere, rapere, ac cœlum terræ miſcere, plane ut miſerrimo in ſtatu res Francica eſſet. Eas turbas mirifice aluit fovitque Carolus, Rex Navarræ, qui, dum rebus turbidis ſuæ conſulere utilitati ſtudet, de Regno etiam Franciæ litem ac controverſiam movere inſtituit: ſed ea ad ultimum compoſita eſt. Poſtremo, quum Franciæ Proceres oblatas ab Anglo conditiones accipere recuſarent, hic cum validiſſimo exercitu in Franciam transgreſſus agros longe lateque populatur: urbes tamen munitas expugnare haud potuit. Pax inde Bretignii, quod eſt oppidum uno milliari ab Autrico Carnutum diſtans, in has leges compoſita eſt, ut Anglis præter ea loca, quæ jam ante obtinebant, Pictavium, Santonium, Rupellam, terram Olnenſem, Engoliſ-

goulifmenſem, Petricoriorum, Lemovicum, Codurcum, Agennenſem, Bigorrionium, cum ſupremo imperio, necnon Caletum, Comitatusque Oyenſem, Guinenſem & Ponthivienſem Franci concederent: Regem præterea tricies centenis aureorum millibus redimerent. Ea pax, quæ incidit in annum CIↃCCCLX. quum dura nimis & iniqua Franciæ eſſet, ſtabilis haud fuit. Aliud præterea dedecus admittere Johannes Rex inopia pecuniæ coactus eſt; filia, Galeacio vice-Comiti Mediolani in matrimonium non data, ſed (turpe dictu) ſexcentis aureorum millibus vendita. Burgundiæ Ducatum, quem ſtirpis priorum Ducum interitus vacuum effecerat, Philippo filio natu minimo Johannes Rex donavit. Ab eo Philippo celeberrimi illi Burgundiæ Duces ſunt orti; quorum deinceps provinciæ ad domum Auſtriacam devolutæ ſunt. Rex in Anglia deceſſit, quo profectus eſſe dicitur, ſive ut fidem liberaret, quod filius obſes relictus aufugerat, ſive quod fœminam, quam deperibat, viſere conſtituerat anno CIↃCCCLXIV.

§. 11. Johanni ſucceſſit filius Carolus V. cognomento Sapiens. Is paternum avitumque erratum & temeritatem prudentia emendavit. Cum Anglis de rei ſumma non ſtatim acie decernit: ſed impetum eorum cunctando, & conſilio magis quam armis fregit. Milites recens dimiſſi, quum ſe congregaſſent, itinera paſſim infeſta habebant. Nec coerceri aut reprimi eorum prædationes potuerunt; donec tandem in Hiſpaniam mitterentur, ubi tum temporis Petrus Crudelis & Henricus II. de Regno Caſtiliæ contendebant. Tantus autem ab ea multitudine metus fuit, ut Pontifex Romanus ei, ne per terram Avenionenſem iter facerent, ducenta librarum millia, & in- Carolus Sapiens.

ingentem Indulgentiarum (ut vocant) apparatum, obviam mitteret. Ei bello Eduardus, Princeps Walliæ, ſe immiſcuit, ſed ex eo, pro præda, valetudinem afflictam, & marſupium pecunia vacuum, domum reportavit. Quumque, ut ſtipendium militibus exſolveret, tributum beneficiariis Aquitaniæ imponere conaretur, ab iis apud Franciæ Regem accuſatur. Is, rebus omnibus præparatis, quum intelligeret Principem morbo conflictari lethali, ei diem dicit, ad quem ſe Lutetiæ Pariſiorum ſiſteret, calumniatus pacificationem Bretignienſem irritam eſſe & invalidam: propterea quod Angli conditiones haud impleviſſent, & ex eo tempore multa hoſtiliter egiſſent: itaque ad ſe quaſi ex intervallo Aquitaniæ dominatum rediiſſe contendit. Adhæc cum Eduardus Princeps contumelioſe reſpondiſſet, bellum ei Rex Carolus denunciavit. Inde jejuniis & ſupplicationibus publicis exorare pacem divini Numinis inſtituit: Sacerdotes cauſſæ ſuæ æquitatem, Anglorum autem injuriam populo in concionibus inculcare juſſit. Quo facto & Francorum, qui in ditione Anglorum erant, animos ſibi conciliavit, & ſuos ad pecuniam largiter conferendam excitavit. Archiepiſcopus certe Tholoſanus civitates & caſtella amplius quinquaginta, ut in Regis eſſent poteſtate ac fide, ſolertia ſua & eloquentia permovit. Magnas quoque clades Bertrandus Gueſcelinus, magiſter utriusque militiæ, Anglis exigua militum manu intulit, copiasque eorum paſſim proturbavit, & ex Lemovicibus etiam & Pictonibus exegit. In Aquitania autem maxime res Anglorum peſſum ibant; poſteaquam claſſem eorum ea, quam Henricus Caſtiliæ Rex Francis auxilio miſerat, claſſis ad Rupellas ſuperavit delevitque. Inde Pictavium captum, Rupella, magna a Gallo

lo privilegia & jura ſtipulata, deditionem fecit. Sequuntur Santones, Angulеſmi, aliaque loca, quod Eduardus propter ventum adverſum auxilia transmittere haud poterat. Etſi Angli poſtea, cum triginta militum millibus Caleto progreſſi, & transverſam Franciam ad Aquitaniam uſque pervagati, omnia diriperent: prælio tamen rei ſummam committere Carolus Rex noluit. Sed tamen levioribus eos certaminibus carpendo, clades ingentes intulit. Interim dum pacem conciliare inter utrumque Regem Pontifex omni ope ſtudet, Eduardus Rex Angliæ moritur. Itaque Carolus Rex occaſionem belliſſimam haud dimittendam ratus, Anglos, exercitu quintuplici inſtructo, adoritur, ceſſitque tam feliciter id bellum, ut præter Caletum, Burdegalam, Bajonnam, Aquitaniæ, & Cherburium, Normanniæ, oppida, nihil Anglis relinqueretur. Neque enim Angli propter infirmam Regis ætatem, peſtilentiæ graſſantis ſævitiam, & Scotorum incurſiones, viribus exhauſtis, reſiſtere hoſtibus poterant. Sed tamen Britanniam minorem Rex Franciæ fruſtra tentavit. Anno CIↃCCCLXXIX. Carolus IV. Imperator eum Lutetiæ Pariſiorum inviſit, & Delphinum perpetuum in Delphinatu Vicarium Imperii conſtituit. Ex eo tempore nihil ſibi juris Germanorum Imperatores in Delphinatum & Regnum Arelatenſe vindicaſſe, Franci contendunt. Mortem obiit anno CIↃCCCLXXX.

§. 13. Poſt eum Carolus VI. Regnum iniit varietate temporum & calamitatibus inſigne. Eo Rege rem Francicam vehementer afflixit, quod Joanna Regina Neapolis, metu Caroli Durazii, Ludovicum, Ducem Andegavenſium, filium juxta & heredem adoptavit. Is ea re lætus, quum ſuppetias ferre Reginæ ſtatuiſſet, equitum millia Carolus VI.

tri-

triginta coegit. Ad eos conducendos, præter alios ſumptus, theſaurum quoque a Carolo V. relictum, & a ſe clam interceptum, impendit, & Provinciam quidem, quæ ſub ditione Joannæ erat, occupavit. Quanquam autem Joannam Carolus Durazius interim interfecerat, Regnumque invaſerat; Andegavenſis tamen eum bello perſequi non deſtitit. Sed Caroli fraude quum bellum traheretur, ipſius vires diuturna mora conſumtæ ſunt: ipſe in magna deceſſit miſeria: nec ex tanto exercitu quisquam in Franciam rediit vivus anno CIƆCCCXCIV. Populus quoque initio Regni, indignatione commotus, vehementer fremebat. Ejus enim ſtudia ut ſibi conciliarent Regis tutores, polliciti fuerant, ſeſe eum tributorum graviſſimorum onere ſublevaturos eſſe. Sed quum ea paulo poſt denuo exigerentur, ac majoribus etiam oneribus aggravarentur, eamque pecuniam Regis aſſeclæ, nullo prohibente, impune ad ſe raperent, magna cum Lutetiæ Pariſiorum, tum alibi ſeditio coorta eſt. Interim dum hæc geruntur, Comitem ſuum Flandri indignis modis tractarant. Ab eo Franci in auxilium evocati, collatis ſignis, rebellium ad quadringenta millia una cum Artevillo duce cædunt anno CIƆCCCLXXXII. Illud quoque populi iram vehementer accendit, quod in expeditionem contra Anglos ſuſceptam multum pecuniæ inſumtum, nec operæ pretium ullum factum erat: ſanguine tot hominum, argentoque, fruſtra profuſis. Ludovicus, Caroli frater, idemque Dux Aurelianenſis, Valentinam, Johannis Galeacii, vice-Comitis Mediolanenſis, filiam in matrimonium duxit, his legibus, ut in præſentia Comitatum Aſtenſem, cum ingenti auri, argenti & cimeliorum vi, dotalem acciperet: & ſi quando pater ſine liberis decederet, ad Valen-

lentinam ejuſque liberos omnes ejus provinciæ hereditariæ pervenirent. Inde Franciæ jus in Ducatum Mediolanenſem natum; quod malorum deinceps magnorum cauſſa exſtitit. Exin aliud Franciæ infortunium evenit. Rex, cujus cerebrum luxus adoleſcentiæ pridem corruperat, iter in Britanniam minorem faciens ſubito de mentis ſtatu dejicitur. Cujus rei, præter æſtus menſis Auguſti, ea quoque cauſſa memoratur. Vir quidam, vaſto atque atro corpore, ei in nemore obviam factus, injecta freno manu, *Quo pergis*, inquit, *o Rex*; *quin ſubſiſtis: nam te proditum eſſe ſcito.* Dixit, & evanuit: nec poſtea unquam apparuit. Paulo poſt puer nobilis, quum in equo obdormiiſſet, lanceam, quam manu tenebat, elabi ſibi per ſomnum ſinit. Ea incidit in ejus, qui Regem proxime antecedebat, galeam. Itaque Rex id conſpicatus, quum ſeſe lancea peti opinaretur, animo vehementer conſternatur. Ea dementia etſi poſtmodo nonnihil identidem remittebat, Rex tamen affecta ſemper & infirma mente fuit, malo levibus ſubinde momentis recrudeſcente. Is caſus materiam & occaſionem inauſpicatiſſimo de Regni adminiſtratione certamini dedit. De ea quippe, quum Rex ipſe ad regendum idoneus haud eſſet, inter ſe contendebant Ludovicus Dux Aurelianenſis, frater Regis, & Philippus Dux Burgundiæ, patruus. Ille gradu neceſſitudinis propiori, hic ætate ac rerum uſu nitebatur. Ordines a Philippo ſteterunt, eumque pro-Regem declarant. Etſi principem deinde locum malis artibus occupare Aurelianenſis haud deſtitit. Ita aula peſſimo publico in diverſas factiones ſciſſa eſt. Inter hæc moritur Burgundus anno cIↃcccIV. Parentis jus filius Johannes perſequitur, odiumque in dies magis magiſque creſcebat, donec, nulla ſimula-

Origo prætenſionis Gallicæ in Ducatum Mediolanenſem.

Odii inter domum Burgundicam nec non Aurelianenſem origo.

tæ

tæ ante reconciliationis ratione habita, Aurelianenſem Burgundus, immiſſis noctu percuſſoribus, in vico Lutetiæ Pariſiorum interficiendum curavit anno cIɔcccc vII. Adverſario hunc in modum ſublato, & venia criminis per vim extorta, etſi ſolus in aula regnabat Burgundus, odium tamen in Burgundi juxta & ſuperſtitum Aurelianenſis filiorum animis hereditarium inhæſit. Ergo Francia in duas factiones præceps abiit: altera Aurelianenſi, Burgundo altera favebat. Cædes inde, direptiones, aliaque civile bellum comitantia mala exſtiterunt. Ad extremum, Burgundi factio quum a Rege & parte adverſa vehementer premeretur, parum abfuit, quin ſuccumberet. Interea Angli, quum convulſam inteſtinis motibus rem Francicam cognoviſſent, occaſionem eſſe rati, ingentem in Normanniam exercitum ducunt, Harflæum oppidum capiunt anno cIɔccccxv. Interim dum Angli obſidione & morbis debilitati Caletum ſe recipiunt, Galli exercitum raptim & tumultuarie collegerant, Anglicano quadruplo majorem. Cum eo Angli quamvis impares numero, tamen deſperata propemodum ſalute, extrema experientes acie decernere coguntur ad Agincurtium, Comitatus S. Pauli vicum; eo prælio Francorum millia ſex deſiderata, magna hominum multitudo capta; inter quos multi Principes viri fuere. Quanquam Scriptores Angli eam cladem multo majorem faciunt: raro enim de ejuſmodi rebus inter hiſtoricos diverſarum partium, dum ſuis quiſque ſtudet, convenit. Angli pugna defatigati victoriam perſequi haud potuerunt. Inteſtinos autem motus hoſtis externus & ingens clades non ſolum non ſedavit, verum etiam magis accendit. Burgundus cum ſuam factionem premi in Francia & laborare videret,

Pugna ad Agincurtium.

in

in Anglorum partes ſtudium inclinavit: qui inſequenti anno, impetu in Normanniam denuo facto, ingens operæ pretium tulerunt. Ad extremum Regina, quæ aliquas adhuc in Regni adminiſtratione partes tenebat, novo malum malo cumulavit. Armeniacus, Magiſter equitum, quum Regni gubernacula ſolus ſuſcepiſſet, niſi quod Regina leviter ea in ſpeciem moderabatur; Rex, zelotypia exſtimulatus, Reginam propter nimiam vitæ morumque licentiam ab aula removet, Carolo Delphino conſentiente. Eam rem Regina uſque adeo inique tulit, ut inexpiabile in filium odium conciperet, & ad Burgundi partes verſa eas nova virium acceſſione firmaret. Inde belli civilis incendium exarſit: tantiſque ab utraque factione odiis concertatum eſt, ut Angli, externi hoſtis, terrore neutra moveretur: qui, dum Franci in ſemet ipſos verſi mutuis ſe cladibus conficiunt, Normanniam & Rothomagum in ditionem ſuam redegerat anno MCCCCXIX. Delphinus radices mali funditus exſtirpaturus, Burgundum ad ſe fraudulenter allicit, & diſſimulato ad tempus odio, in gratiam cum eo redit; ſed quum iterum in congreſſum & colloquium ejus veniſſet, eum confodiendum curavit. Verum ea cædes alium, atque Delphinus opinatus eſt, exitum habuit. Etenim, non univerſus tantum populus ea vehementer commovebatur, ſed Regina etiam eam filii perdendi & a Regno excludendi occaſionem arripuit. Itaque, Philippo Burgundi cæſi filio ſibi adjuncto, pacem cum Henrico V. Angliæ Rege compoſuit in has leges; ut Catharinam Caroli VI. filiam uxorem duceret, Rege vivo rem Francicam adminiſtraret, atque Regens Franciæ tantiſper diceretur: eo mortuo Regnum ipſe obtineret: Franciæ atque Angliæ Regna in poſte- *Henricus V. Angliæ Rex heres & ſucceſſor Regni Franciæ declaratus.*

rum ſub unius imperio conjuncta eſſent: ſuæ autem cuique leges & inſtituta ſalva eſſent, nec de iis quidquam mutaretur. Acceſſit in cumulum mali ſententia de cæde Burgundi in Delphinum abſentem lata Lutetiæ Pariſiorum: qua is exſors Regni pronunciabatur, & æterno mulctabatur exſilio. Ab ea ſententia quum ad Deum & gladium ſuum provocaſſet, peculiare Pictavii Regnum conſtituit; ut duplex eo tempore Regnum, duplices item miniſtri Regii eſſent in Francia. Delphinus propter adverſariorum opes in magna miſeria & ærumna verſabatur: pauciſſimæ cum eo eæque tenuiſſimæ opibus exhauſtis provinciæ ſtabant; Andegavenſis videlicet, Pictavienſis, Turonenſis, Avernenſis, Bituricenſis & Narbonenſis. Sed percommode evenit, ut Rex fortiſſimus Henricus V. in ætatis ac felicitatis flore decederet. Paulo poſt obiit etiam Carolus VI. anno CIↃCCCCXXII. Cujus vita, quum propter inſaniam ipſe ad Regnum gerendum idoneus haud eſſet, felicitatem Franciæ vehementer remorata eſt.

Carolus VII. §. 13. Carolus VII. quem Delphinum hactenus appellavimus, etſi parente mortuo Regem ſe extemplo declarandum curaverat, ac fortiſſimus quiſque Franciæ ei ſeſe aggregaverat, Regnum tamen magnis obſeptum difficultatibus exorſus eſt. Dux Bedfortius, Regens Franciæ declaratus, quum Henricum VI. Henrici V. filium Regem Franciæ appellandum curaſſet Lutetiæ Pariſiorum, auxilio Ducum Burgundiæ & Britanniæ minoris fretus, eum Regno exuere omni ope ſtudebat. Copiæ quoque ejus ab Anglis ſæpius victæ & magnis affectæ cladibus erant: civitates ab eo deficiebant: ipſe per ludibrium Rex Biturigum appellabatur, quod in ea urbe potiſſimum commoraretur. Tanta quoque pecuniæ & rerum

rerum, ad vitam neceſſariarum difficultate premebatur, ut raro publice cibum caperet; & in ejus menſa aliquando, præter aſſum vervecinum & par gallinarum, nihil appoſitum eſſe deprehenderetur. Acceſſit quod Proceres plerique, ambitione Richemontii Magiſtri equitum offenſi, relicta aula, motus inteſtinos concitabant. Rurſus diſſenſio inter Anglos Burgundosque orta, percommoda Carolo accidit: qui ſi conjunctis viribus, uno omnes impetu, Carolum adorti eſſent, exitium ei brevi, ut tum res erant, allaturi videbantur. Jacobina quippe Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ & Friſiæ Comes, facto cum marito ſuo, Johanne, Brabantiæ Duce, eodemque Burgundi propinquo, divortio, Gloceſtriæ Duci, Henrici V. fratri, nupſerat. Propinqui cauſſam quum Burgundus tutandam ſuſcepiſſet, acerbiſſimum inter eum & Gloceſtrium odium enatum eſt. Et quanquam animos exulceratos mitigare Bedfortius conabatur; Anglos tamen Burgundus occulto proſequi odio & penitus averſari cœpit. Illud magis etiam intendebatur, quod Aureliam cuſtodiæ Burgundi committi Angli nolebant. Ea urbs ab Anglis obſeſſa in maximas adducebatur anguſtias, Francis, qui milites Anglis ſubſidio venientes adoriri parabant, profligatis. Id prælium vulgo *la journée des harancs*, id eſt, *pugna halecum*, appellabatur. Jamque Carolus, deſperata ſalute, in Delphinatum ſe recipere inſtituerat, quum ei ex improviſo ſalutare quoddam ſidus apparuit. Johanna erat homine agreſti nata, in Lotharingia. Ea ſe divinitus miſſam venire, ut & Aureliam obſidione liberet, & Rex ipſe ejus opera Durocotturi Rhemorum coronetur, præ ſe ferebat. Nec fefellit: rem utramque perfecit. Itaque ingens Anglis terror injectus: Francis contra animus inde

Puella Aurelianenſis.

additus & confirmatus; lætiorque rerum omnium facies eſſe cœpit. Sed puella, diutius, quam mandatum ei fuerat, in bello commorata, ad Compendium, eruptione facta, capitur: capta Anglis traditur, ab iis poſtea artis magicæ condemnata ſumma cum infamia crematur Rothomagi anno CIƆCCCCXXXI. Angli, quanquam rebus ſuis, quæ retro ſublapſæ ferebantur, conſulere, & novas vires addere nitebantur, Henrico Rege Lutetiam Pariſiorum evocato atque inauguratione ſolenni Regno Franciæ initiato, Comitatibus etiam Briecenſi & Campaniæ Burgundo, ut in fide maneret, donatis, nullum tamen ad rei ſummam momentum facere potuerunt. Quum bellum igitur, per annos aliquot, levibus tantummodo certaminibus (erat enim utraque pars belli cladibus debilitata) duceretur, tandem impulſore Pontifice de pace agi cœptum eſt Atrebati. Ibi quum Angli in poſtulatis ſuis longe iniquiſſimis obſtinato animo perſiſterent; Burgundus ſeorſim cum Carolo pacem componit, conditionibus ſane longe utiliſſimis, anno CIƆCCCCXXXV. Paulo poſt Anglos nova clade auxit Bedfortii Ducis, qui res eorum in Francia prudentiſſime adhuc moderatus fuerat, obitus. Civitates inde confertim ſeſe Carolo dedidere, & in iis Lutetia Pariſiorum in poteſtatem legitimi domini quaſi poſtliminio rediit anno CIƆCCCCXXXVI. Fames inde horrenda, atque ei par peſtilentia conſecuta eſt: tantaque rerum fuit inopia, ut lupi etiam Lutetiæ Pariſiorum, in medium S. Anthonii vicum e latebris procurrentes, infantes devorarent. Ejus mali cauſſa potiſſimum fuit, quod non ſolum Angli vaſtitatem Franciæ magna ex parte fecerant, ſed ipſi etiam Francorum milites, quia ſtipendium non perſolvebatur, ſpreta diſciplina, palantes agros populabantur. Quum diu

diu bellum nulla re memorabili geſtum eſſet, induciæ in annos aliquot fiunt. Itaque Rex magnam militum indomitorum multitudinem in Alſatiam miſit; verbo, ut Concilium Baſileenſe disturbaret: re autem vera, ut inutili ſe turba exoneraret. Ii, quanquam Helvetiorum millia quatuor cæciderint, tamen clade altera tanto majore affecti mox domum revertuntur. Interim dum hæc geruntur, Anglorum virtus remiſerat: ipſe militum numerus imminutus; quod quum ſtipendium non numeraretur, latrociniis Franciam infeſtabant: loca negligentius cuſtodita: Duces eorum & Præfectos nulla rei militaris peritia commendabat: Gallos Anglicæ dominationis tædebat: ipſa Anglia inteſtinis convulſa motibus, in factiones diviſa, & duobus in præliis duplici accepta clade vehementer afflicta a Scotis fuerat. Itaque Carolus tempus rei bene gerendæ, Anglosque ad unum omnes e Francia exigendi non dimittendum eſſe exiſtimavit. Inducias, Britannia minori & Scotia juxta oppugnatis, ruptas eſſe cauſſatus, quum eos diverſis in locis ſumma vi adortus eſſet, trimeſtri ſpatio ex Normannia profligavit anno CIƆCCCCXLIX. Inſequenti anno Aquitania recepta: Bajonna omnium poſtrema deditionem fecit anno CIƆCCCCLI. Nec Anglis in continente præter Caletum & Comitatum Guinenſem quidquam reliquum erat. Burdegala etſi Anglorum implorata fide paulo poſt rebellavit, Talboto tamen, viro maxime ſtrenuo, in acie cæſo, recipitur anno CIƆCCCCLIII. & cum Francico Regno in perpetuum conjungitur; quum eam Angli annos trecentos obtinuiſſent. Ita laceratum diutinis bellis Regnum Rex in unum quaſi corpus collegit, Anglicano jugo a cervicibus Francorum propulſato. Sed eam fortunæ ſerenitatem obnubi-

Angli e Francia pulſi.

 lavit

lavit diuturna, quæ ipſi cum Ludovico filio interceſſit, ſimultas: qui profugus annos omnino tredecim ab aula abfuerat. Ad ultimum, quum ſuo capiti inſidias ſtrui comperiſſet, veritus ne veneno tolleretur, fame ſemet ipſe enecavit anno CIↃCCCCLXI.

Ludovicus XI. §. 14. Regnum inde ejus filius Ludovicus XI. iniit, Princeps ingenio ſubdolo, aſtuto, pertinaci, improbo & vindictæ cupido. Is primus Franciæ Regibus ad abſolutum nulliſque legibus circumſcriptum imperium viam munivit; & invicta quaſi potentia eos armavit: quum antea Regiam poteſtatem Procerum auctoritas, quaſi frenis injectis, coerceret. Initium fecit a miniſtris, quos ille pro lubitu legit removitque, aliis atque aliis in eorum locum ſurrogatis. Proceres, quo ea res ſpectaret, odorati, conſpirationem inter ſe (quam illi vulgo *la Ligue du bien public* appellabant) ad communem ſalutem ab effrenata Regis potentia defendendam faciunt: ei nomina quoque ſua dederunt Burgundiæ & Britanniæ minoris Duces, qui quidem in ordinem redigere Regem omni ſtudio conabantur anno CIↃCCCCLXV. Inde Carolus Burgundiæ Dux, Franciam infeſto exercitu ingreſſus, collatis ſignis, acie decernit cum Rege ad Montemlechericum; etſi neutri ſatis liquida victoria conſtitit, eam tamen, quoniam Rex noctis ſilentio ſe receperat, ſibi Burgundus attribuit. Ea perſuaſione elatus, quum res magnas animo agitaret, interitum ſibi poſtmodum arceſſivit. Id periculum Rex conſilio & aſtutia diſcuſſit. Tributa, quibus concitata ad ſeditionem multitudo erat, abolevit, blanditiis magniſque pollicitationibus omnes delinivit, & exſpectatione ſuſpenſos tenuit: nec eorum, ubi periculo defunctus erat, quidquam ſervavit. Porro, ut factionem diſſolveret, inter Principes

cipes ſemina diſcordiæ ſparſit: pactiones cum ſingulis ſeorſim faciendo fortiſſimum quemque ad ſuas partes adjunxit: reliquos inſidiis circumventos evertit: quod ut facilius conficeret, miniſtros eorum & familiares argento corrupit. Pecuniam, quum deficeret, mutuam a miniſtris ſumſit: recuſantes loco movit. Ea origo venalium in Francia honorum fuiſſe perhibetur. Plurimum ei inter cæteros negotii exhibuit Carolus Burgundiæ Dux; ab eo, quum circumſeptus anguſtiis teneretur Peronnæ anno CIↃCCCCLXIIX. ſeſe non niſi cum magno ſpectatæ alioquin calliditatis diſpendio expedivit. Multis machinationibus adhibitis, ad ultimum Rex hoſte moleſtiſſimo liberatur. In prælio quippe ad Nancejum cum Helvetiis commiſſo Burgundus cecidit, anno CIↃCCCCLXXVII. Exin Ludovicus per occaſionem turbarum, quæ Duce mortuo in ejus provinciis exſtiterant, Burgundiam, fiduciariam ejus poſſeſſionem, & Burgundicæ ſtirpi in vicem peculii olim ad alimenta conceſſam eſſe, dictitans, & quæcunque Carolus oppida ad Somonam poſita obtinuerat, ſuæ poteſtati ſubjecit. Sunt qui exiſtiment, nuptiarum pactione, Ludovicum, omnes provincias a Burgundo relictas acquirere & adjicere Franciæ Regno potuiſſe; niſi inexpiabili incitatus odio exitium & ruinam ei ſtirpi machinari inſtituiſſet. Biennio ante Burgundi mortem, Eduardum ingenti cum exercitu in Franciam irrumpentem, Rex largitionibus precibusque, ut finibus ſuis excederet, adduxit. Galliam Narbonenſem quoque, Andes & Cenomanos ſibi a Carolo Andegavenſi, Comite Meduanio, ultimo ſtirpis Andegavenſis herede virili, teſtamento relictos, Franciæ opibus adjecit, Renato Lotharingiæ Duce, Yolandæ Andegavenſis filio, quum materno niteretur jure, controverſiam de iis ne-

Carolus Burgundiæ Dux cæſus.

quidquam movente. Reliqua vitæ parte miſerrime, & ob nimium mortis metum, ridicule etiam tranſacta, Rex moritur anno CIↃCCCCLXXXIII.

Carolus VIII. §. 15. Succeſſorem habuit Carolum VIII. Is initio Regni magnis cum Britanniæ minoris Duce contentionibus jactabatur, jamque in itinere erat ad eam provinciam armis ſubigendam. Poſtea vero quam Maximiliano Auſtriaco Anna unica Ducatus ejus heres deſponſata fuerat, Francus, inutile ſuis rationibus eſſe ratus terram opibus florentiſſimam in manus Auſtriaci venire, ſponſam partim precibus delinitam pellexit, partim armis conterritam ſubegit, ut, abdicato Maximiliano, ſibi nuberet anno CIↃCCCCXCI. Ita ad opes Franciæ ea provincia acceſſit. Tantum rei Franciæ incrementum quum ægre ferret Henricus VII. Angliæ Rex, infeſtis ſignis in Franciam profectus exercitum ad Boloniam admovit: ſed certa pecuniæ ſumma delinitus paulo poſt diſceſſit. Neque enim Maximilianus (qui duplici a Carolo injuria affectus erat, & ſponſa erepta, & Margareta filia, Carolo deſponſata, domum remiſſa) ſuas cum eo, uti convenerat, copias conjunxerat. Is Atrebatum quidem & Fanum Odomari occupaverat: verum tamen, quum proficere amplius nihil poſſet, Philippum filium, cui Belgium parebat, inducias cum Carolo paciſci ſinit. Carolus viciſſim Ruſcinonem & Cerdegnam, Comitatus, Ferdinando Catholico gratis conceſſit, eo, ut nonnulli tradunt, conſilio, ut eum ſibi conciliaret, atque, omni ab eo metu diſcuſſo, nullo prohibente, impune ſuſcipere, quam animo agitabat, expeditionem Neapolitanam poſſet. Sunt qui Monachum, qui Carolo a confeſſionibus ſacris erat, auro corruptum a Ferdinando eſſe dicant, ut Regi ditionis ejus legitimo domino re-

ſtituendæ

ſtituendæ auctor & impulſor eſſet. Britanniæ Ducatu ad eum modum adjecto, quum jam nihil ad internam rei Francicæ perfectionem deeſſet, Italiæ dominatum affectare cœpit. Ei conſilio Carolus jus familiæ Andegavenſis in Regnum Neapolitanum prætendit, quod quidem poſtremo Andium Duce, & Provinciæ Comite mortuo, ad Ludovicum XI. & inde ad Carolum pervenerat. Inprimis autem Regem juvenem & bellandi cupidum accendit Ludovicus Morus, Dux Mediolani. Is Principatum eum, Johanni Galeacio, fratris filio, homini ignavo & imbelli, debitum, tutelæ ſpecie quum occupaſſet; vehementer metuebat, ne injuſto dominatu a Ferdinando Rege Neapolitano exueretur, cujus ex Alfonſo filio neptis, Iſabella, Johanni Galeacio nupſerat. Itaque Ferdinando tantum faceſſere negotii laborabat aliunde, ut externo diſtrictus hoſte & tempore excluſus, ne cogitare quidem de ipſo poſſet. Et erat alioquin is una cum filio ſævitiæ & impietatis nomine inviſus. Anno cɪↄccccxcɪv. expeditio Neapolitana ſuſcipitur, quæ Italiam annos quadraginta exercuit, & immenſis calamitatibus affecit; Francis, Germanis, & Hiſpanis in ea, tanquam belli theatro, decertantibus, libertatem ſuam Reſpublicæ Italicæ pene omnem amiſerunt. Potuiſſent equidem Itali, qua ſunt prudentia, dummodo voluiſſent, expeditionem iſtam, in qua moliunda integrum biennium conſumebatur, a finibus ſuis avertere, niſi aut Numen iratum habuiſſent, aut mens læva fuiſſet. Initio quidem Carolo ex ſententia omnia ſucceſſerunt; maxime quod res militaris ad id tempus non exculta ſatis in Italia erat. Itaque, nemine reſiſtere auſo, Hetruſcus & Alexander VI. Pontifex tempori, id eſt, neceſſitati, parent: hic Carolum Regem Neapoli-

Expeditio in Regnum Neapolitanum.

tanum declarat: Alfonſus Rex metu conterritus & conſcientiæ ſtimulis exagitatus Regno ſe abdicat, idque ad Ferdinandum filium transfert. Ejus copiis nullo negotio deletis, Carolus Neapolim, magna cum pompa, cunctis feliciter acclamantibus, ingreditur. Inde univerſum Regnum deditionem fecit, Ænaria inſula, & Brunduſio & Gallipoli, oppidis, exceptis. Regno nobiliſſimo intra quinque menſes ſubacto, tantus ubique terror extitit, ut ad ipſum etiam Turcarum Imperatorem Conſtantinopolim metus perferretur. Jamque ipſa Græcia in Turcas rebellare, jugumque, ut primum Franci victricia arma ad ſe tranſtuliſſent, excutere parabat. Sed ejus felicitatis uſura haud diuturna fuit. Neapolitanorum enim animos Franci propter morum licentiam a ſe brevi abalienarunt. Ipſe Rex rebus ludicris & voluptatibus ſe totum dedebat: ad ejus exemplum ſuos mores reliqui formabant: nec quod ad Regnum recens acquiſitum ſtabiliendum pertineret, quidquam comparabatur. Et quoniam Francorum in eo Regno opibus firmatis multa in ſe mala redundatura reliqui Principes proſpiciebant, ad eos ex Italia exigendos Cæſar, Pontifex, Ferdinandus Arragoniæ Rex, Reſpublica Veneta, & Mediolanenſis fœdus inter ſe percutiunt. Igitur Carolus, ne itinere intercluderetur, veritus, in Franciam, quanta poteſt celeritate, itinere terreſtri, contendit, rebus in Regno Neapolitano negligenter conſtitutis. In itinere, infeſtis ſignis cum fœderatis concurrit ad Tarum fluvium. In eo prælio Franci, quanquam maximam hoſtium partem conciderant, tamen, quum celeriter nimis iter pertenderent, pro victis, fugæ ſpeciem præbebant. Carolo in Franciam reverſo, Neapolitanum Regnum Ferdinandus nullo negotio recuperat, cum ingenti Fran-

Francorum dedecore, qui tueri iſtud ne unius quidem anni ſpatio potuerant. Ex iis Francis, qui relicti erant, pauci ad ſuos redibant. Haud ita multo poſt Carolus ſine prole moritur anno cIↃcccxcvIII.

§. 16. Poſt eum Rex ſalutatur Ludovicus XII. Dux Aurelianenſis. Is, ut ſtabilem Britanniæ minoris poſſeſſionem firmaret, Annam, ſuperioris Regis viduam, ſibi matrimonio junxit. Bellum inde Mediolanenſibus facit; quem ille Ducatum jure aviæ maternæ, Valentinæ, ad ſe trahebat. Eo viginti dierum ſpatio ſine cæde ſubacto anno cIↃcccxcIx. Ludovicus Morus, una cum liberis atque gaza omni, confugere in Germaniam cogitur. Sed Mediolanenſes dominationis Franciçæ mox pertæſi, inprimis illam in fœminas procacem licentiam ferre non poterant. Itaque Ducem profugum & cum magna Helvetiorum manu adventantem læti recipiunt. Ita univerſa ejus terræ ditio ad eum rediit, arce Mediolanenſi, & Novara oppido exceptis. Copias quum eo Ludovicus ſubſidio miſiſſet, pugnare adverſus Francos Helvetii, qui ſub Duce merebant, recuſabant. Dux ipſe militis gregarii habitu fuga ſalutem quærens capitur, & ad arcem Lochenſem in cuſtodiam mittitur. Ibi annis decem circumactis moritur. Ita Ducatu Mediolanenſi & Genua urbe potiti ſunt Franci. Rebus tam proſpere geſtis Ludovicum cupido etiam Regni Neapolitani in poteſtatem ſuam redigendi inceſſit. Igitur fœdus cum Ferdinando Catholico facit, ea lege, ut imperium inter ſe dividerent: Regnum Neapolitanum, Campaniam felicem, & Aprutium Francus: Apuliam & Calabriam Hiſpanus teneret. Sua quiſque parte nullo negotio potitur. Ludovico Regi Fridericus Rex Neapolitanus ſeſe dedit anno

Ludovicus XII.

Neapolis a Francis rurſus capta & amiſſa.

cIↃIↃI.

CIϽIϽI. quum ei pro ſtipendio annuo triginta ſcutatorum millia attributa eſſent. Sed mox certamen inter utramque gentem ambitione inflatam ortum de finibus regundis. Francus quippe Capitanatum (quam terram vectigalia, quæ ex ovibus percipiuntur, nobilitant) ad Aprutium, Hiſpanus autem ad Apuliam trahebat. Ita a verbis mox ad facta verſi ſunt. Initio ſuperior aliquanto res Francica fuit. Poſteaquam vero præcipitem illum Francorum ardorem animi atque impetum invicta Gonſalvi Cordubenſis, Hiſpani callidiſſimi, conſtantia fregit, nec ſuis Ludovicus præſidia ſatis firma miſit, Franci haud minori quam antea dedecore pelluntur e Regno anno CIϽIϽIII. Inſequenti anno in ultionem ejus cladis Ludovicus quatuor exercitus in Hiſpanos duxit, ſed irrito conatu. Pacem tamen & fœdus cum Ferdinando facit, Iſabella ejus conjuge mortua, eo ipſo tempore, quo ei Philippus gener Caſtiliam ademerat, Maximiliani parentis, & Henrici Angliæ Regis, cujus filio uxoris ejus ſoror nupta erat, ope ſubnixus, anno CIϽIϽVII. Genuam, quum rebellionem feciſſet, ad officium redire coegit. Cum Venetis inde bellum in Italia exortum, quos lucri nimia cupiditas & avaritia inviſos finitimis reddiderat. Neque enim eorum quiſquam erat, cui non aliquid de ſua terra decerpſerint; & Ludovicus eorum potiſſimum culpa Regnum Neapolitanum ſe amiſiſſe contendebat. Igitur ut ejus Reipublicæ inſolentia frangeretur, fœdus inter ſe Cæſar, Pontifex, Francus & Hiſpanus percuſſerunt Cameraci anno CIϽIϽVIII. Quanquam Ludovicus prava cupiditate potius abreptus, quam ſua ipſius utilitate ductus, ſocietatem cum hoſte capitali feciſſe videatur, contra eos, quorum in amicitia firmiſſimum ei præſidium poſitum erat. Primum in Vene-

Bellum contra Venetos.

Venetos impetum dedit Ludovicus & acerrimo prælio ad vicum, nomine Giera d'Addua, commiſſo anno cIↃIↃIX. vincit eos fugatque. Ea victoria tantum hoſtibus terrorem incuſſit, ut intra viceſimum diem ex continenti pellerentur: actumque de iis videbatur, ſi animo conſternatos & ad deſperationem propemodum adactos Ludovicus primo ſtatim impetu adortus eſſet. Sed cum Ludovicus debellatum eſſe ratus victoriam haud perſequeretur, ſeque Mediolanum verſus reciperet, hoſtes vires reſumſerunt, præſertim quum nec in tempore Maximilianus Cæſar præſto eſſet, & Julius II. Pontifex, Venetos ſibi reconciliaret. Quin immo Pontifex, Ferdinandus, Henricus IIX. & Helvetii, ſocietate facta, bellum Ludovico indixerunt anno cIↃIↃX. Suæ cuique bellandi cauſſæ fuere. Pontifex tantas Francorum in Italia opes ægre ferebat: Ferdinandus Regno Neapolitano metuebat: Henricus rerum geſtarum magnitudine Regni primordia illuſtrare cupiebat: Helvetii a Francis erant alieni, quod iis & ſuperioris temporis ſtipendia perſolvere, & annuam penſionem adaugere in poſterum Ludovicus recuſaverat: non tam ſummæ, quam poſtulabant, magnitudine, quam iſtorum hominum inſolentia deterritus. Eo bello Gaſtonis Foxii Ducis militaris virtus inprimis enituit. Bononiam obſidione liberavit: Venetorum copias fudit: eorumque ad millia octo, commiſſo ad Brixiam prælio, concidit: inſignem denique fœderatis victoriam deportavit ad Ravennam anno cIↃIↃXII. eo prælio Dux ipſe, egregiæ fortitudinis heros, hoſtes fugientes acrius inſecutus, occubuit. Eo mortuo, res Francica inclinari & in pejus ruere cœpit: ipſa Francorum gens excedere Italia coacta eſt. Maximilianum, Ludovici Mori filium, Helvetii in

in paternum Principatum reſtituunt; Genua a Francis deficit, Jano Fregoſo Duce creato. Joanni Regi Ferdinandus Catholicus Navarram adimit: id Regnum deinceps Franci eripere Hiſpanis fruſtra conati ſunt. Ludovicus cupiditate Ducatus Mediolanenſis recipiendi flagrans, fœdere cum Venetis icto, pleraque ejus ditionis oppida, ipſamque urbem Genuam, brevi temporis ſpatio, cepit. Maximilianum Ducem in arce Novarena incluſum circumſidet. Helvetii ei ſubſidio venerant: qui incredibili animi ardore atque impetu caſtra Francorum adorti, eos ad unum omnes e Ducatu exigunt. Ita bis intra menſtruum ſpatium ſubacta eſt & liberata terra Mediolanenſis anno CIↃIↃXIII. Ludovicum inde Cæſar, Anglus, & Helvetii, eodem ſimul tempore, bello petunt: magnumque in diſcrimen res Francica adducta videbatur, ſi quidem ſua Angli Helvetiique vires conjunxiſſent. Sed Henricus, quum in mediam penetrare Franciam debuiſſet, in obſidione Tarvannæ hæſit. Haud procul ab eo oppido Francos, ſuppetias defenſoribus ferre conantes, ad Guinegaſtum, acie victos profligavit. Id prælium, quod calcaribus magis quam gladiis res a Francis gerebatur, vernacula lingua *la journée des éperons* appellatum eſt. Tornaco inde capto, paulo poſt in Angliam ſe recepit. Helvetii, qui Tremollium Ducem in caſtro Divionenſi obſidione cinctum tenebant, ab eo placati ſunt, conditionibus ampliſſimis, Regis injuſſu, ultro latis: fidem quippe dederat, ſexcenta imperialium millia ſe perſoluturum: Concilium Piſanum dimiſſurum: Ducatu denique Mediolanenſi ceſſurum. Turpiſſimam pacificationem Rex ratam non habuit; & in obſidum, quos Helvetiis Tremollius dederat, capita converſa ira fuiſſet, ni mercedem, quam

Regnum Navarræ ab Hiſpanis occupatum.

Pugna ad Guinegaſtum.

quam vitæ redimendæ cauſſa obſides offerebant, cruore potiorem Helvetii habuiſſent. Inſequenti anno, pace cum Anglo compoſita, Ludovicus ejus ſororem in matrimonium duxit; quæ integra ætate & forma fœmina, dum recenti amori ſenex licentioſius indulget, ei præmaturam mortem peperit. Obiit ineunte anno CIↃIↃXV. Rex populo uſque adeo charus fuit, ut Pater Patriæ vulgo appellaretur.

§. 17. Poſt ejus obitum ad Franciſcum I. proximum agnatum Regnum defertur. Is icto cum Anglorum Rege, Carolo Archiduce, & Republica Veneta fœdere, ex improviſo in Italiam infeſto agmine profectus, Genuam, aliaque permulta loca nullo pene negotio capit. Ad Marinianum, quod oppidum a Mediolano uno milliari abeſt, quum caſtra poſuiſſet, impetu ab Helvetiis nec opinato facto, prælium fit atrox & cruentum. Helvetii ad ultimum, magna clade accepta, fuſi fugatique, documento fuerunt ſe vinci poſſe. Helvetiorum millia decem, Francorum quatuor e robore militis Francici in acie ceciderunt. Exin Maximilianus Dux ſe, omneſque ſuæ ditionis terras Regi dedidit, annuum ab eo ſtipendium aureorum triginta millium ſtipulatus. Paulo poſt cum Helvetiis quoque de pacis conditionibus actum, quos Rex pecunia delinitos ſibi ac rei Francicæ adjunxit. Sanctionem quoque Pragmaticam cum Leone X. Pontifice fecit: ut Epiſcopos Abbateſque Rex deſignaret: caduca ſacerdotiorum opimorum vectigalia Pontifex retineret. Tornacum certa pecuniæ ſumma redemit ab Anglis anno CIↃIↃXVIII. Inſequenti anno, Maximiliano Cæſare mortuo, Franciſcus impenſe dignitatem Imperatoriam affectabat. Sed Principes Germanorum, ne ſuam amplitudinem opeſque Francus ad Impe-

Franciſcus I.

Imperium evectus labefactaret, veriti, aliiſque inducti cauſſis; eo poſthabito, Carolum V. Auguſtum ſalutarunt. Ea res æmulationem Franciſci accendit, qui, quantum ea dignitas Carolo commodi attuliſſet, probe intelligebat. Itaque ad certamen ſe Rex parat, obnitendum æmuli conatibus ratus, ut ne rerum potitus in ſe ac reliquos Europæ Principes dominatum ſibi ſumeret. Ea æmulatio mox ad bellum apertum erupit. Navarram ex Hiſpanis recipere Franciſcus conabatur: occaſionemque ei rei belliſſimam inteſtini, qui ea tempeſtate Hiſpaniam agitabant, motus præbebant. Eo Regno paucorum dierum ſpatio potiuntur quidem Franci: ſed quia ad parta tuenda conſervandaque animum haud adjecerant, eadem, qua venerunt, celeritate expulſi ſunt anno CIↃIↃXXI. Bellum inde in Belgio exarſit: cui anſam dedit Robertus Marcanus, Sedani dominus, quem Franciſcus adverſus Cæſarem tutandum ſuſceperat. Itaque Robertus tantos ſibi ſpiritus ſumſit, ut Cæſarem libello ad certamen provocare auſus, in Ducatum Luceburgenſem irruptionem faceret. Sed Carolus, hoſte imbecillo brevi fracto & everſo, Franciſcum ei bello caput fuiſſe, ſuſpicatus, Fanum S. Amandi & Tornacum in poteſtatem ſuam redigit. Initio quidem res componi facile potuiſſet, ni Fontarabiam, a ſuis interim occupatam, Franciſcus obſtinato animo retinere ſtatuiſſet. Majoribus iris animiſque bellum in Italia geſtum. Cæſar quippe & Pontifex id agebant, ut, Franciſco ex Ducatu Mediolanenſi exacto, Franciſcum Sfortiam reducerent. Nec conſilio fortuna defuit. Franci, quum nec rei pecuniariæ inopia exercitus in tempore ſublevaretur, & prælio ad Bicocam victi cladem ingentem accepiſſent, e Mediolano & Genua urbe expelluntur

tur anno cıɔıɔxxı. Præterea Fontarabia etiam eis eſt adempta. Illud quoque perincommode Franciſco accidit, quod Carolus Borbonius, Magiſter equitum, ad Cæſarem defecit. Cauſſa defectionis hæc fuit. Eum Regis mater, Cancellarius Dupratus, & Bonivetus Architalaſſus variis aliquamdiu injuriis exagitarant; ad ultimum, controverſiam ei Regis mater de Ducatu Borbonio movit; victoriam autem in tanta adverſariorum potentia, quum & ipſe Rex occultas haud dubie machinas adhiberet, deſperabat. Ceterum, in odium primum & offenſionem Regiæ matris incurriſſe Borbonius memoratur, quod amorem ejus & nuptias aſpernatus fuerat. Fœdus cum Imperatore & Angliæ Rege Borbonius ferit in hanc legem, ut Francia potiti Regnum inter ſe partiantur: Borbonio Regnum Arelatenſe & ſimul nuptiæ ſororis Cæſareæ promittuntur. Sed conſilio patefacto in Italiam Borbonius confugere cogitur. Anno cıɔıɔxxıv. quanquam Picardiam Angli infeſto agmine invaſerant, exercitum Franciſcus denuo in Ducatum Mediolanenſem miſit, Boniveto, Architalaſſo, duce. Sed ingenti affectus clade repellitur a Borbonio. Exin Bonivetus, ut in Italiam Rex ipſe contenderet, perſuaſit; eo conſilio, ut ſi res ex animi ſententia cecidiſſet, penes ipſum dati primum conſilii gloria eſſet; ſin minus, ut dedecus, quod admiſiſſet ipſe, Rege præſente tegeretur. Franciſcus in Italiam eo majori animi alacritate proficiſcitur, quod Borbonius, qui, impreſſione interim in Provinciam facta, Maſſiliam obſidebat, ut primum Regis adventum inaudivit, ſoluta obſidione diſceſſit. Exercitum ad Ticinum admotum bimeſtri obſidione vehementer attrivit. Cæſareani in unum coacti locum ejus caſtra, in vivario poſita, aggrediuntur;

ea mente, ut aut prælio rem committerent, aut Ticinum obſidione liberarent. Prælium Franciſcus quum haud detrectaſſet, copiis fugatis, ipſe capitur anno cIↄIↄxxv. Secundum hæc ex Italiæ finibus Franci expelluntur. Franciſcus captivus in Hiſpaniam abductus, quum duriuſcule haberetur, tædio & carceris impatientia in morbum graviſſimum incidit. Ea res multum ad libertatem recuperandam momenti habuit, dum plerique omnes verebantur, ne Rex mœrore confectus exſtingueretur. Itaque ſocietatem ad creſcentes Caroli opes comprimendas Anglus & Principes Italiæ inierunt. Quibus conditionibus dimiſſus e carcere ſit, alio loco commemoratum eſt. Præterea fidem quoque Franciſcus dederat, ſeſe, niſi impleretur conditionum fides, in vincula rediturum eſſe. Sed fidem haud ſervaturum Franciſcum, animo prudentiores providebant; & Gattinara Cancellarius nomen pactis ſubſcribere recuſabat: quod Carolum ex iis, præter immortalem Francorum iram & ludibrium omnium, dum avaritia ejus eluderetur, nihil conſecuturum cernebat. Quin Franciſcus ipſe, poſt menſes tredecim e carcere dimiſſus, præ ſe ferebat, ſe in eo invitum ac metu coactum conditiones accepiſſe; neque id, ſi maxime voluiſſet, ſibi per jusjurandum, quod Rhemis dediſſet, licuiſſe: non Regnum, ſed uſumfructum, ſuum eſſe. Eadem ab Ordinibus jactabantur; & Burgundi inprimis ſeſe, ut a Francia avellerentur, haud paſſuros eſſe clamabant. Burgundiam, ſi ea res tantopere cordi Carolo fuiſſet, conceſſam prius & traditam, quam carcere Franciſcus eximeretur, oportuiſſe, dictitantes. Franciſcus, ſui juris factus, nihil prius habuit, quam ut arctiſſimam cum Anglo & Principibus Italiæ ſocietatem faceret. De pacis conditionibus denuo,

Prælium ad Ticinum.

denuo, prioribus abolitis, ferendis quum fruſtra actum eſſet, Cæſari bellum Rex uterque denuntiat. Franciſcus quum fidem violaſſe a Carolo coargueretur, eum ſolennibus verbis mendacii incuſat, & miſſo libello ad certamen ſingulare provocat: quæ res tantorum majeſtate Principum non ſatis digna eſſe vulgo credebatur. In Italiam inde exercitum mittit, ductu Odeti Foxii Lautrecii. Is in Mediolanenſi Ducatu re proſpere geſta, quum in Regnum Neapolitanum moviſſet, oppidis compluribus captis, ipſam metropolim obſidione cingit. Ibi res Francicas primum afflixit Andreæ Doriæ Architalaſſi ad Carolum defectio. Eum quippe male habebat repulſa, quum a Rege, ut ſibi Reip. Genuenſi, patriæ ſuæ, præeſſe liceret, & Savona eidem redderetur, expetiiſſet. Andreæ Doriæ magnæ inprimis gloriæ fuit, quod, quum dominatum patriæ in manu habuiſſet, privatæ ambitioni publicam libertatem antepoſuerit: qua quidem ea Reſp. etiamnum gaudet. Doriæ defectio, quo minus commeatu maritimo intercludi Neapolis poſſet, prohibebat. Peſtilentia quoque, quæ in tam diuturna obſidione per exercitum repſerat, maximam partem copiarum una cum ipſo duce abſumpſit. In reliquos vehementer ſævitum, Præfecti capti, gregarii milites armis exuti. Inde Mediolano quoque & Genua Franci ejecti. Ad ultimum, quum & Cæſar, rebus ex ſententia geſtis, eum, quem ſibi propoſuerat, ſcopum attigiſſet, & Franciſcus liberorum captivorum deſiderium ferre non poſſet; pax coiit Cameraci CIƆIƆXXIX. in has leges, ut Franciſcus pro filiis redimendis vicies centena aureorum millia perſolveret; & Carolo jus, quo Flandriam ipſe & Arteſiam ſupremo cum imperio tenebat, item quo Mediolanum ac Regnum Neapolitanum *Pax Cameracenſis.*

ſuum eſſe aſſerebat, remitteret. Atque id commodi bella Italica Franciſco ejusque deceſſoribus attulere. Bello tamen anno cIↃIↃxxxv. recrudeſcente, Franciſcus aliam Ducatus Mediolanenſis ſubigendi viam iniit, Sabaudia primum in poteſtatem redacta. Carolo itaque, Sabaudiæ Duci, de hereditate materna (erat enim Franciſci mater ex domo Sabauda orta) controverſiam movit: quanquam & aliæ contentionis cauſſæ antea interceſſerant. Igitur impetu in eum facto, pleraque oppida capit. Interim, dum hæc geruntur, fatis conceſſerat Franciſcus Sfortia, Dux Mediolanenſis, cujus terras ſibi vindicare Imperator omni modo conſtituerat: nec quem ex earum amiſſione ceperat Franciſcus dolorem concoquere, tam recenti memoria, poterat. Exin Carolus cum peditum millibus quadraginta, equitum ſedecim Provinciam ingreſſus, Aquas Sextias diripit, Maſſiliam obſidet, ſed fruſtra: tertiam quippe exercitus partem menſe nondum circumacto lues abſumpſerat. Eodem tempore ex alia parte exercitus ad triginta hominum millia in Picardiam e Belgio ductus: Guiſa expugnata, ad Peronnam funditur: poſtea Fano Pauli atque Monſtrolio oppidis potitur. Franciſcus contra Cæſari diem dicit, tanquam beneficiario ſuo, nomine Flandriæ & Arteſiæ; ſibi ſummo earum terrarum imperio cedere, idque in alium transferre integrum haud eſſe, dictitans. Fœdus quoque cum Turca ferit. Quorum alterum ridiculum multis, alterum Chriſtiano Principe indignum, videbatur. Quanquam Franci Cæſarem ipſum Barbari ſocietatem omni ſtudio expetiiſſe contendunt. Induciæ tamen Nicæ, quod Provinciæ oppidum eſt, ſuperiori anno factæ, opera Pontificis, in annos novem prorogantur: Principesque æmuli, quum ad Foſſam

Maria-

Marianam oppidum ſibi invicem occurriſſent, perbenigne & humaniter collocuti ſunt. Inſequenti anno, quum Gandavenſes rebellaſſent, Carolus, per Franciam iter faciens, Franciſci poteſtati ſe permittere non dubitavit: tantum in eo fiduciæ fuit. Spem tamen interea Franciſco Carolus fecerat potiundi Ducatus Mediolanenſis: quorum ſe nihil meminiſſe Cæſar deinceps ſimulabat: neque enim Rex ſibi chirographo caveri a Carolo, dum in Francia eſſet, auctore Momorantio, paſſus erat. Quæ inter alias cauſſa fuiſſe credita eſt, cur Regis gratia poſtmodum Momorantius exciderit. Anno cIↃIↃXLII. inducias bellum interrupit: cui ea præferebatur cauſſa, quod Franciſci legatos, Cæſarem Fregoſum, & Antonium Rinconem, Pado flumine Venetias proficiſcentes (unde Conſtantinopolim alter eorum conceſſurus erat) Præfectus Mediolanenſis interficiendos curaverat. Magnam rei bene gerendæ opportunitatem Franciſco præbere videbantur clades multiplices, Carolo ad Algerium illatæ. Itaque hoſtem quinquepartito agmine, eodem tempore, aggreditur. Exercitus is, in quo plurimum roboris erat, quum Perpinianum obſideret; operæ pretium nullum fecit: a reliquis copiis complura in Ducatu Lucemburgenſi oppida capta. Solimannus quoque, ut Cæſarem alio bello diſtineret, incurſione in Hungariam facta, Strigonium & Albam Regalem expugnavit. Barbaroſſa denique prædo, ſuppetias Franco laturus, in Provinciam appulit, damno Regis majori, quam commodo. Carolus contra cum Henrico IIX. fœdus icit. Hic alienior a Franciſco fuit, quod Scotos tutandos ſuſceperat, & ipſe in fide Pontificis permanſerat, nec, ut obſequium detrectaret, adduci ulla ratione poterat. Clivienſium Duce, qui cum Francis ſtabat, in

 ordi-

ordinem redacto, ingentem exercitum ad Landreſium urbem admovet, ſed irrito conatu. De Cæſareanis clariſſimam interim victoriam ad Ceriſollas, Pedemontii oppidum, Franci retulerunt. Sed eam perſequi victores haud potuere. Suas enim copias revocare coactus eſt Franciſcus, poſtquam compertum erat, conveniſſe inter Cæſarem & Henricum Angliæ Regem, ut cum peditum millibus octoginta, equitum duobus & viginti, ille per Campaniam, hic per Picardiam, impreſſionem in Francorum fines facerent, & conjunctis ad Lutetiam Pariſiorum copiis, urbem diriperent, agros ad Ligerim uſque populatione peragrarent. Ac Luceburgum quidem Cæſar ex itinere recepit: in oppugnando Diſierio oppido ſex hebdomadas conſumpſit: in urbe Epernago & Caſtro Fierrio multum commeatus adeptus eſt. Ingens inde pavor Pariſios invaſerat; & in magnum res diſcrimen adducta videbatur, ſi, uti convenerat, cum ſuis copiis Henricus Rex præſto fuiſſet. Eum Bononia & Montrolium urbes morabantur. Itaque pacem cum Franciſco Carolus Creſpiaci compoſuit anno CIↃIↃXLIV in has leges, ut loca utrinque, ſuperiori bello capta, redderentur; Cæſar ſuam aut fratris filiam Duci Aurelianenſi, ſecundo Regis filio, elocaret: doti Mediolanenſem Ducatum, aut Belgium diceret. Sed nuptiarum ac dotis ampliſſimæ ſpem, Ducis mors, inſequenti anno, intercepit anno CIↃIↃXLVI. Cum Anglo quoque pacem Franciſcus ea conditione fecit, ut certa pecuniæ ſumma redimere Bononiam ſibi liceret. Ceſſit e vita anno CIↃIↃXLVI.

Pax Creſpiacenſis.

Henricus II Marchionatus Sa-

§. 18. In ejus locum ſuffectus eſt Henricus II. filius anno CIↃIↃXLIIX Ad eum Marchionatus Saluzzenſis, qui ad Delphinatum jure prædii

dii beneficiarii, pertinebat, Gabriele, ultimo Marchione, ſine prole mortuo, pervenit. Burdegala, quum propter tributorum magnitudinem rebellaſſet, gravi ſupplicio coercetur anno CIƆIƆXLIX. Inſequenti anno, Bononia redempta ab Anglis, Franciæ Regno rurſus adjicitur anno CIƆIƆLI. Quum Cæſar bello Turcico diſtineretur, & Principes Imperii invidioſam ejus potentiam iniquo animo ferrent, Henricus, commodiſſimam ſibi occaſionem rei bene gerendæ datam ratus, bello Cæſari illato, in Belgium primum, & Pedemontium duxit. Inde ſocietate cum Mauritio, Electore Saxoniæ, facta, infeſto agmine verſus Rhenum profectus, anno CIƆIƆLII. Metim, Tullum, & Virodunum urbes, ex itinere de improviſo oppreſſas, capit: eandemque fortunam Argentoratum ſubiiſſet, ni diligentius ſibi a repentinis belli caſibus præcaviſſet. Sed quum Saxo, Rege imprudente & excluſo, ſeorſim depactus cum Imperatore eſſet: Rex a Principibus nonnullis, ne longius progrederetur, exoratus, in redeundo aliquot ditionis Lucemburgenſis loca expugnavit. Exin centum armatorum millia in Mediomatrices Cæſar duxit, Metimque ipſam circumſidet. Verum in ea urbe defendenda tam ſtrenue ſe geſſit Guiſius, ut Cæſar, magna accepta calamitate, ſolvere obſidionem cogeretur. Hoc dedecus ut ultione deleret quodammodo Cæſar, converſis in Arteſiam ſignis, Tarvannam capit, & propugnaculum Belgis longe moleſtiſſimum ſolo æquat. Idem de Hedino factum: præſidium utrobique interfectum. Franci contra in Italia Senas, & in Corſica inſula complura loca in ditionem ſuam redegerunt: ſed accepta ad Marcianum clade, Senis rurſus exiguntur anno CIƆIƆLV. Induciæ inde factæ ad Vaucellas, quod oppidum haud procul

Iuzzenſis accedit Franciæ.

a Cameraco abeſt, anno CIↃIↃLVI. Cæſar enim filio, in quem tranſtulerat imperium, prima Regni auſpicia quieta & pacata relinquere omni ope ſtudebat. Sed vix dum jurejurando ſancita induciarum religio fuerat, quum eas Francus violat, inſtigatus a Paulo IV. Pontifice: qui quum, confictis cauſis, graviſſimam cum Hiſpanis contentionem ſuſcepiſſet, Henricum in ſuas partes pellexit. Itaque miſſus in Italiam exercitus ſub auſpiciis Guiſii Ducis: ſed ab eo memorabile nihil geſtum. Philippus interim, ut ineunti Regno dignitatem aliquam & auctoritatem conciliaret, quinquaginta armatorum millia conſcripſerat; & Anglo in belli ſocietatem aſſumpto, Quintini Fanum, in quam urbem ſe Caſparus Colinius, rei maritimæ Præfectus, cum præſidio conjecerat, obſidere inſtituit. Momorantius, Magiſter equitum, obſeſſis ſuppetias ferre conatus, quum ſe, multo jam die, in conſpectu hoſtium reciperet, converſis in eum ſignis, victus ab Hiſpanis & profligatus eſt anno CIↃIↃLVII. Ea clade accepta, in magnum adducta diſcrimen Francia videbatur, ſi victor exercitus recta Lutetiam Pariſiorum contendiſſet, & conſilium tentandi Lugduni fortuna comprobaſſet. Sed Philippus, veritus, ne Dux Sabaudiæ, penes quem rei militaris ſumma erat, per eam occaſionem cum hoſte bonis conditionibus depactus, ad Francum deficeret, eum longius progredi in hoſticum noluit. Ipſe Fano S. Quintini vi capto, reliquum tempus in expugnandis Hano, Caſtello, & Novioduno oppidis contrivit. Ea re ſpatio ad vires colligendas dato, Franci Guiſium Ducem ex Italia domum revocant. Is Caletum, & pauca illa, quæ circumcirca ab Anglis tenebantur, loca, ac Theonvillam ex hoſtibus cepit anno CIↃIↃLIX. Eodem anno Mariam Scoto-

Prælium ad Fanum Quintini.

Scotorum Reginam Franciſcus Delphinus ſibi matrimonio junxit, in ſpem ejus Regni in perpetuum cum Francico imperio conjungendi. Sed eam ſpem matrimonii inauſpicati ſterilitas fruſtrata eſt. Thermus quoque Mareſchallus, quum Flandriam infeſto exercitu invaſiſſet, ad Gravelingam profligatus eſt. Poſtremo pax ad Caſtrum Cambreſiæ coivit, magno quidem rei Francicæ malo. Centum quippe nonaginta & octo oppida Hiſpanis pro tribus, Hano, Caſtello, & Quintini Fano, reddita: Dux Sabaudiæ in Principatum reſtitutus: quin inteſtinis etiam motibus, qui Franciam deinde miſerandum in modum afflixerunt & lacerarunt, anſam ea pacificatio præbuit. Decretum eſt a Francis, ut & a rebus Italicis in perpetuum abſtineatur, & fœdera, cum Turcis ſancita, aboleantur. Paulo poſt pacem compoſitam, Henricus Rex per ludicrum certamen equitum periit. Nam, quum Mongomerium, ut infeſta haſta in ſe incurreret, nominatim provocaſſet, per apertum galeæ oculum, ramento confractæ lanceæ in oculum impacto, grave in capite vulnus accepit, confeſtimque mens pariter & lingua Regem defecerunt: undecimo die poſt vitam cum morte commutavit. Hoc caſu nuptiarum, quas Margaretæ ſorori, & Philiberto Emanueli, Sabaudiæ Duci, apparaverat, celebritas in luctum mœroremque publicum deſivit.

§. 19. Ei filius Franciſcus II. in Regno ſucceſſit. Sub eo Franci, gens turbulenta, bellis inteſtinis concitatis, in ſua ipſorum viſcera ſævire cœperunt: quæ quidem turbæ, quadraginta demum annis interpoſitis, conticuerunt; quum ſuperioribus temporibus nimius gentis pugnandi æſtus, qua bellis Anglicanis, qua expeditionibus in Italiam fruſtra ſuſceptis, deferbuiſſe videretur. Cauſſæ *Franciſcus II.* *Cauſſæ*

bellorum civilium in Francia. ſæ iſtorum motuum paulo altius repetendæ ſunt. Poſteaquam rerum in Francia gens Valeſia potita eſt, Borbonii, ad quos, ea exſtincta, Regnum rediret, proximi erant. Ea domus opibus, gratia, dignitate, & fortium virorum proventu uſque adeo creverat, ut ſuperiores etiam Reges ejus felicitati haud parum inviderent. Franciſcus primus, etſi initio Regni Carolum Borbonium Magiſtrum utriuſque militiæ & principem Regni miniſtrum declaraverat; tamen quum poſtea, quibus ex cauſis eam gentem majores ſui evolare altius haud paſſi ſint, animadvertiſſet; Carolum labefactare & ex eo dignitatis gradu præcipitem dare omni ſtudio laborabat. Carolus igitur conjurationem in Franciſcum machinatus, ea patefacta, ad Carolum V. defecit. In prælio ad Ticinum commiſſo, quo Franciſcus Rex capiebatur, ipſe copiis Cæſareanis præfuit. Inde anno CIↃIↃXXVII. in oppugnatione urbis Romæ cecidit. Ejus interitu Borbonia domus vehementer convulſa & afflicta eſt: reliqui ejus gentis, etſi ſuſpicionis atque odii exſtinguendi cauſſa, quieſcebant, nec quidquam movebant, inviſi tamen Regi fuerunt. Familia Borbonia hoc pacto labefactata, Momorantios & Guiſios Franciſcus I. ad ſummum faſtigium extulit, qui inter vetuſtiſſimas Franciæ familias numerabantur: hi ex ſtirpe Lotharingica, ceu rami, germinabant. Illius caput erat Annas Momorantius, utriusque militiæ Magiſter: hujus Claudius, Dux Guiſius. Uterque gratia & auctoritate plurimum apud Franciſcum I. poterat. Extrema tamen Franciſci ætate, quum uterque gratia Regis excidiſſet, ab aula diſcedere coacti ſunt: atque inter alia ultimæ voluntatis præcepta Henrico filio Franciſcus ſuaſiſſe memoratur, ut neutrum eorum conſiliis & rebus agendis adhiberet, nimias

nimias Miniſtrorum opes pari cum prudentia conjunctas, periculoſas Reipublicæ eſſe, dictitans. Henricus II. tamen paternum conſilium aſpernatus, gratia ac favore incredibili Annam Momorantium, & Franciſcum Guiſium, Claudii filium, complexus eſt. Sed æmulatio inter eos & contentio orta eſt; quum ille prudentia, civili auctoritate, ac morum gravitate; hic laude bellica & gratia populari inſolenter ſe efferret. Ad Guiſii auctoritatem dignitatemque magnum inprimis cumulum ſubmotus ab obſidione Metenſi Carolus V. & Caletum expugnatum adjecerunt: Momorantii contra gloriam clades ad Fanum Quintini accepta & pacis ſubſequutæ incommodum ac turpitudo vehementer imminuit. Poſtea vero quam Mariam Scotorum Reginam Franciſcus II. in matrimonium duxerat, majori etiam dignitate & commodis uberioribus Guiſiorum domus effloruit. Mariæ quippe mater ſoror Guiſiorum erat. Itaque F anciſco II. regnante, Dux Guiſius & ejus frater Cardinalis primas apud Regem obtinuerunt. Eam rem permoleſte tulerunt non Momorantius ſolum, verum etiam duo Borbonii fratres, Antonius Rex Navarræ, & Condæus Princeps, nullam ſui rationem haberi indignantes. Antonius ingenio erat modeſto; idque agebat unice, ut Navarræ Regnum ex Hiſpanis reciperet; & ſumptus ad vitam ex dignitate ſuſtentandam neceſſarios Bearnia, quam tenebat, facile ſuppeditabat. Condæus contra indole erat arroganti & turbulenta, ab opibus autem parum inſtructus; ut in munerum ampliſſimorum adminiſtratione omne ejus præſidium, ad parem generi ſuo cultum ſuſtentandum, poſitum eſſe videretur. Acceſſit perpetua Caſparis Colinii, rei maritimæ Præfecti, inſtigatio, hominis ambitioſi quidem, ſed circum-

ſpecti

ſpecti juxta & aſtuti: qui una cum Andelotto fratre, homine fero, & turbulento, turbare omnia, ut per eam occaſionem ſuis commodis inſerviret, arguebatur ab inimicis. Hi tres omnes rerum novandarum occaſiones ſtudioſe circumſpectabant. Dum ita animo affecti ſunt Proceres Franciæ, Regnum init Franciſcus II. annos ſedecim natus, animi & corporis valetudine juxta infirma, & indole ad Regnum adminiſtrandum inhabili. Itaque Reipublicæ clavum diverſi ad ſe trahebant; Borbonii conſanguinitate, Guiſii affinitate ſubnixi, & denique mater Catharina Medicæa, ambitionis & calliditatis muliebris abſolutiſſimum exemplar. Ea in ſpem venerat fore, ut in tanta Principum diſcordia, quam ad vires partium ex æquo cohibendas & moderandas alebat, ad extremum ipſa Regno ſola potiretur. Catharina adjunctis ſibi initio Guiſiis imperium ita diſpenſavit, ut penes ipſam ſumma rerum eſſet, Guiſius Dux rem militarem curaret, Cardinalis frater ejus ærario & commerciis præeſſet. Ii Præfectum utriuſque militiæ ſub ſpecie vacationis ætatis ab aula removerunt. Condæum per cauſſam legationis honorificæ in Hiſpaniam amandarunt. Principes ab Regni adminiſtratione hoc modo excluſi, ut ſe ab ea ſervitute & inimicorum injuriis liberarent, habito conventu, decernunt, ut Rex Navarræ cum Rege de honoribus cum iis communicandis verbis quam fieri poſſet blandiſſimis ageret. Sed is verbis vaniſque pollicitationibus oneratus, quum nihil proficeret, tandem finem orandi fecit & conquievit. Condæus autem, quum precibus nihil profici intelligeret, vi tentandam fortunam eſſe exiſtimabat; ſed quum per ſe infirmus, ac vana ſine viribus ira eſſet, auctor ei Colinius fuit, ut Hugenotis (ita enim addicti Reformatæ

matæ religioni appellabantur in Francia) ſe adjungeret. Ii quum miſere exagitarentur, caput quoddam & anteſignanum circumſpectabant, cujus ductu ſacrorum rite obeundorum libertatem armis ſibi pararent. Adhæc incredibili Guiſianorum odio flagrabant, quum cauſſas vexationum ſuarum in eos conferrent. Conſilii hæc primum inita ratio eſt. Hugenotæ, ubi ſe clam congregaſſent, aliqui eorum in aulam miſſi libello ſupplice Regem, ut religionis poteſtatem faceret, orarent: re non impetrata, reliqui ſubito provolarent, Guiſios interficerent, Regem ad gubernacula Regni Condæo permittenda adigerent. Eam rem perficiendam ſuſcipit Nobilis quidam Renaudius; ſed quum primum in caſtro Bleſenſi, & deinde aula eo translata, Amboſiæ exſequi eam conaretur, conſilio patefacto & diſcuſſo, mille & ducenti conjuratorum comprehenſi capite pœnas luerunt. Condæus ipſe in vincula conjectus, jamque capitis damnatus erat, quum ecce Franciſcum II. poſt brevem Regni uſuram, ex ulcere capitis graviter laborantem repentina mors intercepit anno CIↃIↃLX. Ejus obitu alia longe rerum facies eſſe cœpit.

§. 20. In ejus locum Carolus IX. frater undecim annorum puer ſuffectus eſt. Ejus tutelam extemplo ſuſcepit Catharina mater, ſperans fore, ut, contendentibus inter ſe Borboniis & Guiſiis, eam interim placide & quiete obtineret. Atque eo conſilio diffidia æmulorum aluit fovitque. Igitur & ut Condæum ejusque factionem viribus majoribus firmaret, neve robore Guiſii prævalerent, ſeſe a Reformatorum doctrina haud alienam eſſe ſimulavit: quæ quidem ſub ea ſpecie in Curia vehementer effloruit. Ad eam opprimendam Momorantius, Guiſius. & Mareſchallus San-Andreanus

Carolus IX.

nus ſocietatem (ea Triumviratus dicta) inter ſe faciunt, Navarræ Rege etiam in ſuas partes illecto. Inde Pontificiorum & Evangelicorum Theologorum colloquio Poſſiaci indicto, ad Reformatorum tutandam religionem edictum promulgatum eſt anno CIↃIↃLXII. Id a menſe Edictum Januarii appellatum. Ejus edicti capita periniquo animo tulerunt Triumviri; resque inſequenti anno ad bellum apertum erupit. Occaſionem belli præbuerunt Guiſii, qui Reformatorum in exiguo oppidulo, nomine Vacceo, rem ſacram facientium, concionem conturbaverant, & orta rixa, a verbis ad facta verſi, homines ſexaginta interfecerant. Atque hæc prima ſanguinis civilis quaſi rudimenta & incunabula fuere. Ex eo tempore divina humanaque omnia in Francia miſcebantur. Inſtituti noſtri ratio haud patitur, ut omnes oppidorum expugnationes, infinita prælia & certamina leviora, crudelitates & immanitates ultro citroque patratas, & multitudinis denique furores ordine recenſeamus. Itaque ſumma tantum rerum capita paucis perſtringemus. Primo hoc bello Navarræ Rex, vulnere, quod in obſidione Rothomagenſi acceperat, confectus interiit. Prælio atrociſſimo ad urbem Druydum commiſſo, initio quidem ſuperior res Condæi fuit; ſed dum milites ejus, omiſſo hoſte, prædæ cupidius inhiant, victi pedem retulerunt; ipſe captus; Mareſchallus San-Andreanus pila plumbea trajectus occubuit. Armatorum millia octo in acie ceciderunt: & pari utrinque clade diſceſſum eſt; Guiſianus tamen exercitus, hoſte pulſo, locum ſuum tenuit. Guiſius exin in obſidione Aurelianenſi a percuſſore quodam, nomine Poltroto, quem Colinius immiſiſſe credebatur, ictu tormenti manuarii per inſidias interemptus eſt. Haud ita multo poſt pax

Primum bellum contra Hugenotas.

con-

confecta eſt anno cIↄIↄLXIII. atque Hugenotarum quinquaginta millia eo bello occiſa eſſe memorantur. Ii ex ornamentis argenteis, quibus paſſim templa ſpoliaverant, tantam monetæ vim cudendam curarunt, ut non alias argenti uſus vulgatior per Franciam fuiſſe videretur. Catharina quoque eo rem deductam eſſe exiſtimabat, ut jam partium ſtudia flectere & dirigere ad nutum & voluntatem ſuam poſſe videretur. Pace compoſita ex portu Gratiæ Angli, qui hoc navatæ operæ præmium ab Hugenotis acceperant, extemplo exiguntur. Paci haud diuturnæ finem attulit annus cIↄIↄLXVII. Hugenotæ quippe, Catharinæ cum Albano Duce de hæreticis funditus delendis in colloquio Bajonenſi conveniſſe, ſibi perſuaſerant. Enimvero premi ab adverſariis & exagitari denuo cœpti ſunt. Jamque rumor ſpargebatur fore, ut Condæus & Colinius in cuſtodiam ducerentur. Itaque ſecundum Hugenotarum bellum exarſit. Eo bello Annas Momorantius in prælio ad Fanum Dionyſii commiſſo lethale vulnus accepit. Is Monacho cuidam aures moribundi intempeſtiva vociferatione obtundenti, *Quin*, inquit, *me miſſum fac, importune; ſatis enim ſuperque annorum octoginta decurſu vel per unius quadrantem horæ mori didici.* Eo prælio ingentem ſibi gloriam Hugenotæ compararunt, propterea quod ſumma eorum, ſi cum hoſte conferantur, paucitas erat. Sub idem tempus Rupella Hugenotarum partibus ſeſe aggregavit, iisque per annos ſexaginta tutiſſimum perfugium præbuit. Anno cIↄIↄLXVIII. pax iterum componitur, non eo quidem conſilio, ut ſtabilis eſſet & perpetua, ſed quod factiones, ſpatio ſui recolligendi dato, commodius opum firmandarum tempus opperiebantur. Neque enim conditionibus ejus pacificationis tum temporis ſatisfa-

Bellum ſecundum.

ctum

Bellum tertium. ctum erat. Itaque eodem anno tertii belli initium factum eſt. Condæus in prælio ad Jarnacum facto plumbea glande transverberatus occubuit. Condæo mortuo Henricus Rex Navarræ, Antonii filius, qui Franciæ Regno deinceps potitus eſt; dux & anteſignanus Hugenotarum factionis creatur: quanquam re vera imperii ſumma penes Colinium erat. Is Pictavium quidem irrito conatu circumſedit, quum in ea urbe propugnanda quaſi tirocinium virtutis poſuiſſet Guiſius filius: ad Moncontorium quoque oppidum, novem peditum millibus deſideratis, cladem ingentem accepit. Sed tamen ea calamitas ejus exiſtimationi nihil detraxit, recreatis brevi temporis ſpatio viribus & ingenti exercitu coacto: quum & aurum Eliſabetha Angliæ Regina, & militem Comites Palatini ſuppeditaſſent. Jamque Lutetiam Pariſiorum verſus arma converterat; quum anno CIↃ IↃLXX pax cum magna Hugenotarum utilitate conjuncta conditionibus commodiſſimis facta eſt: ipſisque Hugenotis, ut quaſi pignore de pace ſervanda caveretur, urbes munitiſſimæ quatuor, Rupella, Mont-Albanum, Cognacum & Charitas, datæ. Eam pacificationem Rex ſuſceperat eo conſilio, ut Hugenotæ, quando vi coerceri non poſſent, fraudi circumventi opprimerentur. Itaque eos dictis phaleratis demulcendo & ſpe vana lactando conſopire Rex nitebatur. Colinii quoque rei maritimæ Præfecti auctoritas permagni in ſpeciem fiebat in Curia: crebroque cum eo de expeditione in Belgium Hiſpanicum ſuſcipienda actum. Conjugium quoque inter Henricum Navarræum & Margaretam, Regis ſororem, convenit: ad eas nuptias Principes Hugenotarum Lutetiam evocati ſunt; ut per eam occaſionem ſimul ac ſemel omnes jugularentur. Ac primum Co-

Nuptiæ Pariſienſes.

Colinius, maris Præfectus, quum ex Curia domum ſe reciperet, duabus glandibus ictus, graviſſimum in brachio vulnus accepit: inſidiarum machinatore Guiſio. Inde res ita inſtructa eſt, ut dato officii matutini ſigno die XXIV. Aug. anno CIƆIƆLXXII. impetus in Hugenotas fieret; iique, Navarræ Rege & Condæo filio exceptis, ad unum omnes contrucidarentur. Eam provinciam ſibi Guiſius ſolus depopoſcit. Initium cædis a Colinio factum, qui ex vulnere adhuc graviter laborabat. Inde in reliquos verſa ira: & in miſeros homines a furibunda plebe per ſeptem omnino dies incredibili immanitate ſævitum. Pariſiorum exemplum reliquæ Franciæ civitates ſequutæ: ut per eos dies ad triginta hominum millia miſerandum in modum cæſa memorentur. Navarræ Rex & Condæus Reformatam religionem ejurare coacti ſunt. Atque hæ ſunt *Pariſienſes* illæ *Nuptiæ*, Hiſtoricorum monumentis celebratiſſimæ; quas quum Gabriel Naudæus pro conſilio arguto, a virtute nonnihil devio illo quidem, propter Regis tamen Regnique bonum, excuſationem habente, venditare vult; næ is mihi craſſa nimis Minerva philoſophari videtur. Hugenotæ tamen, quum brevi a primo pavore reſpiraſſent, incredibili vindictæ cupiditate accenſi arma reſumunt. Bellum quartum. Eo bello Regiæ copiæ ductu & auſpicio Andium Ducis Rupellam obſidione octimeſtri fruſtra cinxerunt, duodecim militum millibus in ea obſidione deſideratis. Nuncio per id tempus allato, Andium Ducem Regem a Polonis creatum eſſe, belliſſima ea obſidionis citra dedecus ſolvendæ, & pacis Hugenotis quartum reddendæ occaſio viſa anno CIƆIƆLXXIII. Rupella eis, Mont-Albanum & Nemauſus urbes, quaſi pignora ſervandæ pacis, datæ. Bellum quintum. Inſequenti autem anno bellum V. recruduit. Sub

idem tempus tertia factio in Francia prodiit in lucem, Politicorum nomine inſignis. Ea, nullo religionis reſpectu, ſibi bonum publicum curæ eſſe, præ ſe ferebat. Atque eo conſilio Catharinam Reginam a gubernaculis imperii removere, Italosque & Guiſios e Francia exigere ſe conſtituiſſe. Ejus factionis principes erant Momorantii, qui ſuas partes in iis turbis ſtrenue & aſtute agebant. Quanquam ut Henricus IV. Regno potiretur, haud parum poſtmodum inter ceteros allaborarunt. Inter eos motus Carolus IX. Rex moritur, prole virilis ſexus nulla ex legitimo matrimonio ſuſcepta.

Henricus III. §. 21. Ejus obitu, Regnum ad Henricum III. qui eo tempore Rex Poloniæ creatus aberat, pervenit. Eo abſente Regnum ingenti turbarum procella jactatum Catharina mater geſſit. Henricus clam ex Polonia profugit, & itinere Venetiis ac Vienna facto, in Franciam contendit. Is, ubi Regnum iniit, exſpectationi, quam omnibus moverat, haud ſatis fecit. Aſſeclis ſuis & adulatoribus obnoxius otio ac voluptatibus diffluebat, imperio matri maximam partem permiſſo. Hugenotarum quoque opes firmiores reddebat & Alenſonii Ducis, Regii fratris, ad eos defectio, & copiarum, quas una cum Johanne Caſimiro, Comite Palatino, auxilio e Germania Condæus duxerat, acceſſio, & Navarrus denique e cuſtodia ſub id tempus elapſus. Itaque pax cum Hugenotis quinta confecta eſt, iniquiſſimis ab iis conditionibus latis. Nova ſubinde factio exorta, quæ ex multis factionibus novis coaluerat. Ea vulgo Liga Sancta. Liga Sancta appellata, parum abfuit quin rem Francicam in præcipitem caſum dederit. Potiſſimus ejus concitator fuit Henricus, Dux Guiſius: qui quum ſe, propter opes & auctoritatem, qua apud

apud populum valebat plurimum, Regi inviſum eſſe intelligeret, omnem in factionum præſidio ſpem collocabat. Ad eam rem inprimis ſacerdotes ei & plebs Pariſienſis, apud quos in magno honore ac pretio Guiſiorum nomen erat, adjumento fuerunt. Atque eo confidentius id conſilium ſuſceperat, quod & in contemptum Rex venerat, & in Curia fœminæ potiſſimum malis artibus & occultis dominabantur conſiliis. Acceſſit, quod ſe ſtirpe Caroli M. ortum ferebat; eamque contra jus faſque ab Hugone Capeto Regno dejectam eſſe contendebat. Ei rei Catholica religio prætendebatur, formula fœderis compoſita, quæ tria potiſſimum capita continebat: ut Pontificia religio defenderetur, ut Henrici III. Regnum firmaretur: ut Regni & comitiorum libertas ſalva eſſet. Illi fœderi qui nomina ſua dabant, obſequium præterea Duci, quemcunque fœderati ad fœdus defendendum elegiſſent, promittebant: omnia hæc ſanctiſſimo jurejurando ultro citroque confirmata ſunt. Ad incunabula naſcentis factionis Rex connivebat, ſperans fore, ut prudenti diſſimulatione Hugenotas facilius perdomaret. Quin ipſe etiam ei fœderi in comitiis Bleſenſibus ſubſcripſit, ducem ſe ejus & anteſignanum ferens anno CIƆIƆLXXVII. Sextum inde bellum Hugenotis illatum: eodem tamen, quo cœperat, anno pacem eis Rex conceſſit: tametſi res Hugenotarum peſſimo tum temporis loco collocatæ eſſent. Eo bello memorabile nihil actum. Pace compoſita Rex ad ingenium rediit, id eſt, priſtinæ ſe pigritiæ ac fœdis voluptatibus totum tradidit: magnaque pecuniæ vi per luxuriam dilapidata, nova ſubjectis tributa impoſuit, nimiaque indulgentia aſſeclas inſolentes & intolerabiles effecit. Itaque tanto magis Regis odium, quanto Guiſii aucto- Bellum ſextum.

ritas & amor magis magisque indies creſcere. Acceſſit, quod Belgii imperium Alenſonius Dux, idemque frater Regis, ſuſceperat. Igitur Hiſpanorum Rex Philippus, ut Francos ulciſceretur, factionem, ut vocabatur, ſanctam, tutandam ſuſcepit. Anno CIↃIↃLXXIX. ſeptimum cum Hugenotis bellum conflatum eſt; in quo etſi Hugenotæ infeliciter rem geſſerant, pax tamen cum iis anno inſequenti facta. Neque enim eos ad internecionem redigi Rex volebat; veritus, ne ejus interitus reformidandas vires Ligæ, ut vulgo appellant, ſanctæ adderet. Adhæc magnus a Germanorum equitibus metus erat: pacemque Alenſonius Dux, ut copiæ eo citius duci in Belgium poſſent, vehementer urgebat. Ea pax annos circiter quinque tenuit. Interea Regis odium, exactionum acerbitate, & effuſis nimis in aſſeclas largitionibus, magis indies magisque intendebatur: nec minorem ei contemptum hypocriſis omnem excedens modum, & quaſi Monaſticam præ ſe ferens ſanctitatem, pariebat. Magna præterea eo tempore Francico nomini adſperſa labes, re ab Alenſonio Duce male geſta in Belgio, & Francica claſſe, quæ Antonio notho auxilio miſſa fuerat, ad Terceram deleta. Ad conjuratorum autem vires pondus ingens acceſſit, nimirum Alenſonii Ducis, Regii fratris natu minoris, mors, & quod omnis jam ſpes Regiæ prolis ſuſcipiendæ præciſa eſſe videbatur. Ibi tum magnam Regni potiundi ſpem Guiſius concepit, ita tamen, ut Navarri excludendi cauſſa Borbonium Cardinalem ad Regnum capeſſendum in ſpeciem produceret. Suſpicio erat Regem a Navarro haud alienum eſſe. Itaque in concionibus ſacerdotes furere & debacchari cœperunt, actum eſſe de religione Catholica clamitantes; Guiſius fœdus cum Philippo percuſſit; qui in-

Bellum ſeptimum.

ingentem pecuniæ vim ſe repræſentaturum promiſerat, verbo, ut Catholicam religionem tutaretur, & Cardinalem Borbonium ad Regnum eveheret: re autem vera, ut, alendo ſuſtentandoque factiones in Francia, omniaque miſcendo, eam gentem ab auxiliis Belgis ferendis averteret. Inde ad arma Liga ſancta provolavit anno CIƆIƆLXXXV. urbibusque compluribus expugnatis effecit, ut Rex nihil poſtulatorum recuſare auſus, ſacris Reformatos in Francia interdiceret. Tum vero octavum adverſus Hugenotas bellum repetitum præſentiſſimo eorum, ſi Regi res cordi fuiſſet, exitio. Navarrus etſi Ducem Joyſium ad Curtraſium prælio vicerit anno CIƆIƆLXXXVII. eam tamen victoriam haud perſequutus eſt. Interim dum hæc geruntur, Germanorum & Helvetiorum copias Guiſius diſſipavit, quæ quum, Fabiano Dona ductore, auxilio Hugenotis veniſſent, ob Ducis imperitiam male mulctati; & quibus belli clades pepercerat, magno cum dedecore domum reverſi ſunt. Quo facto, & Guiſii gratia popularis, & publicus Regis contemptus vehementer augebatur. Nec jam ſacerdotes Pariſienſes e ſuggeſtu Regem convitiis conſectari & publice Tyrannum appellare verebantur. Factionis capita quum præcidere Rex & Principes ejus condigno afficere ſupplicio conaretur; res ad apertam ſeditionem erupit; Guiſio, cujus præſidio conjurati unice nitebantur, Lutetiam Pariſiorum evocato. Itaque Rex noctis ſilentio ex urbe profugit anno CIƆIƆLXXXVIII. Ceterum, compluribus in dies civitatibus ad conjuratos deficientibus, Rex, quum jam nullam ſibi ſpem in vi armisque reliquam eſſe videret, alia ſibi via, quod animo intenderat, perficiendum ratus, pactionem cum Guiſio de componenda controverſia facit, magno

Bellum octavum.

ejus atque adeo totius factionis bono; veterum injuriarum memoriam ſe depoſuiſſe ſimulans, eo conſilio, ut eum rerum omnium ſecurum redderet, & quaſi veterno quodam conſopiret. Iis artibus eum ad comitia Blæſiis indicta pellexit. Inter hæc Sabaudiæ Dux Marchionatum Saluzzenſem, qui in Italia ſolus in ditione & fide Francorum manſerat, occupat. Quum ordines, qui plerique Guiſio ita ſtudebant, ut ejus mancipio & nexu eſſe viderentur, vehementer inſtarent, ut Rex indignus Regno, Guiſius autem Magiſter militum pronunciaretur; Guiſium & ejus fratrem Cardinalem, Rex de improviſo interficiendos per inſidias curat. Ibi tum conjurati furere, & ſacrificulorum Pariſienſium inſtinctu Regem Regno indignum factum palam clamitare. Pariſiorum auctoritatem tota fere Francia ſequuta; Meduanius Dux, Guiſii frater, Prorex Franciæ & conjuratorum Dux conſtitutus eſt. Is Regem Turonii opprimere nequidquam conatus eſt. Hæc tanta conjuratorum potentia, & dirum, quo Henricum Pontifex percuſſerat, anathematis fulmen, Regem reconciliare ſibi Navarrum, & ejus Hugenotarumque, quos is ſecum habebat, opera uti coegerunt. Exercitu numeroſiſſimo collecto, caſtra ante mœnia Lutetiæ Pariſiorum poſuit: quum urbem obſidione cingere & vi ferroque in ordinem redigere conſtituiſſet. Sed pridie ejus diei, qui urbi ex omnibus partibus oppugnandæ conſtitutus erat, venit cœnobita Dominicanus, nomine Jacobus Clemens litteras ad Regem ex urbe perferens; quas dum tradit, & Regi mandata ſe in aurem ſecreto dicturum ſimulat, cultrum in ventre defixit: quo vulnere confectus poſtridie, qui erat ſecundus Auguſti anno CIↃIↃLXXXVIII. Rex & cum eo ſtirps Valeſia exſtinguitur.

Henricus Guiſius trucidatur.

§. 22. Hen-

§. 22. Henricus IV. quem Regem Navarræ hactenus appellavimus, quique Regnum Franciæ primus in ſtirpem Borboniam tranſtulit, auſpiciis Regni ſui in difficultates haud leviores iis, quas antea expertus fuerat, incurrit. Ei quanquam jure Regnum debebatur, Hugenotarum tamen, quæ colebat, ſacra vehementer obſtabant. Quæ dum retineret, acerrimi ei adverſarii, factio videlicet ſacra, Pontifex & Hiſpanus, conſtituti erant. Quod ſi vero religionem extemplo ejuraret, futurum erat, ut qui in fide adhuc manſerant, Hugenotæ deſciſcerent; & ipſe hoc orbatus præſidio, dum foris aliud, quo niteretur, adminiculum non haberet, anceps adire diſcrimen, & duabus, ut ajunt, ſellis ſedere videretur. Adde, quod minus decorum videbatur, ſi divinum cultum ad commodum humanum & rationes privatas tam aperte convertiſſet accommodaſſetque. Proceres tamen, qui in caſtris erant, poſt Henrici III. obitum extemplo convenerunt: & poſt longam altercationem Regi ſe dicto audientes fore ea lege promittunt, ut ſpatio ſemeſtri Pontificiorum doctrina ſeſe inſtitui pateretur. Sed cum Henricus certo temporis ſpatio ſe circumſcribi nollet, atque in univerſum ſpem tantummodo aliquam Proceribus feciſſet, placuit, ut libertas religionis Hugenotis quidem ſalva eſſet, Pontificiorum autem ſacra ritusque in omnes civitates quaſi poſtliminio introducerentur, bona Eccleſiaſticis reſtituerentur. Ad factionem quod attinet, Dux Meduanius Regium ſibi nomen aſſumere non auſus, Cardinalem Borbonium, Henrici patruum, exacta ætate virum, & tum temporis in cuſtodia detentum, Regem conſalutat, ipſe ſe Proregem dicit. Atque eorum quidem, qui cum factione ſtabant longe major erat numerus. Cum ea Henricus IV.

quippe faciebant plebs, urbes majores pene omnes, Parlamenta, ut vulgo vocant, omnia, Renneníi & Burdegalenſi exceptis; ex ordine Eccleſiaſtico plerique omnes, Hiſpanus, Pontifex, & Principes Pontificii ac Reſpublicæ, præter Venetos & Florentinos, omnes; ſed capita inter ſe diffidebant. Nec ad ea in concordia retinenda auctoritatis ſatis Meduanius Dux habebat. Rurſus cauſſam Regiam tutabatur omnis pene Nobilitas, omnes ſuperiores Regis miniſtri, omnes Principes & Reſpublicæ Proteſtantes, veteres denique Hugenotarum copiæ, quæ fidelem Henrico & ſtrenuam operam navarant, majorem etiam navaturæ, niſi diffidere Regi propter religionis ejurationem cœpiſſent. Utraque factio capitali & internecino a ſe invicem odio diſſidebat, in omnes exitium moliundi occaſiones intenta. Meduanius Regem opprimere ad Dieppam conatus, quum fortiter repelleretur, exiguam prudentioribus ſpem rei a factione bene gerendæ præbebat. Rex contra, in obſidione Lutetiæ Pariſiorum, etſi ſuburbia ceperat, nullum tamen operæ pretium facere potuit. Sed Henricum & conjuratorum vexationes, & pecuniæ inopia milites humanitate & blanditiis retinere cogebat. Jamque eis ſe turbis immiſcere Hiſpani cœperant, ſperantes fore, ut per eam occaſionem vel Franciam ſuæ poteſtatis facerent, aut eam in partes ſecarent, aut, ſi ne id quidem poſſent, frangerent ſaltem & debilitarent. Eorum conſiliis Mainii Ducis clandeſtinæ machinationes obſtabant. Neque enim, ſi ipſe Rex fieri haud poſſet, Franciam in Hiſpanorum manus venire volebat. Inſignem inde victoriam de Mainio Duce retulit ad Juriacum, adæquantibus ne dimidiam quidem hoſtilis exercitus partem copiis. Lutetiam

quo-

quoque Pariſiorum obſidione clauſit: incredibiliſque obſeſſos fames urgebat. Jamque ad extrema ventum erat, quum Dux Parmenſis, Belgii Gubernator, ſuo adventu obſidionem ſolveret. Nova ſubinde, atque adeo tertia factio propullulavit: turbas ciente Cardinali Borbonio juniore, ſi qua ratione Regno potiri poſſit. Ejus conatibus Rex obviam eundum ratus, conſilia feliciter eluſit. Pontifex quoque, Gregorius XIV. Henricum anathemate notatum Regni jure privat, populo, ut ab eo ſeceſſionem faceret, monito; magnique laboris res fuit, cives & populares in officio ac fide continere. Hiſpanus item, quid animo agitaret, apertius oſtendit, Iſabellam Claram Eugeniam filiam Philippus, ut Regina Franciæ eſſet, obtulit. Ea occaſio cupiditatem inprimis Guiſii Ducis accendit, qui ſub id tempus elapſus e cuſtodia fuerat, Rege, ut aliqui volunt, non invito; quod & iſtam conjuratorum compagem non parum labefacturus, & patrui ſui, Ducis Meduanii, conſiliis vehementer adverſaturus eſſe videbatur. Obſidionem Rothomagenſem poſtquam ſolvere Henricum Dux Parmenſis coegit; acrius in dies Hiſpani inſtabant, ut de novo Rege creando Franci, tandem aliquando, quid fieri vellent, decernerent. Itaque anno cIↃIↃXCIII ad conventum Ordinum, qui ob eam cauſſam Lutetiam Pariſiorum indictus erat, retulerunt, ut Iſabella Philippi filia, ut quæ matre Francica nata eſſet, Regina Franciæ legeretur, eaque deinde Erneſto, Archiduci Auſtriæ, nuberet. Francis peregrini Regis dominationem omnino recuſantibus, Carolum Guiſium, cui Iſabella nuberet, proponunt. Eam rem quum moleſte ferret Meduanius, ita ſeſe meritum eſſe ratus, ut ſibi præferri nemo videretur oportere; ſi ipſe potiri

Regno haud poſſet, nec ad alium deferri id volebat. Itaque nihil ad ſummam curam reliqui fecit, nullasque prætermiſit artes, quo impediret, ne quod eo conventu decretum in eam rem, de qua relatum eſſet, fieret. Ad ultimum, etiam Rex eo jam ventum eſſe intellexit, ut niſi religionem ejuraret, actum de rebus ſuis videretur. Id enim ni faceret, Catholici, ejus partes adhuc ſecuti, defectionem minabantur. Itaque Epiſcopis primariis convocatis, erudiendum ſe Pontificiis ſacris præbuit. Exin venia peccatorum impetrata, ut rei divinæ, more Pontificiorum, peragendæ intereſſet, Fanum Dionyſii ſe contulit anno CIↃIↃXCIII. Inde, ut deguſtata pacis ſuavitate populus majori ejus cupiditate accenderetur, inducias in tres menſes facit. Nec ſaluberrimum conſilium fortuna deſtituit; præſertim opinione hæreſeos Henrici, qua, ceu fundamento, conjuratorum factio nitebatur, ſublata. Anno exeunte, Vitreacum & Jatinum, vulgo Meaux, civitates omnium primæ deditionem ad Regem fecerunt, conditionibus utrique æquiſſimis utiliſſimisque conceſſis. Mox Aquæ Sextiæ, Lugdunum, Aurelianum, Avaricum Biturigum, earum ſe exemplo dediderunt. Eum rerum ſecundarum ſucceſſum ut adjuvaret Rex, ſe (quod Durcottorum Rhemorum in conjuratorum manibus erat) Autrici Carnutum inungendum & Regiis condecorandum inſignibus, ſolenni ritu, curavit. Paulo poſt Lutetia Pariſiorum, Briſſaco, qui præſidio ejus præerat, dedente, in Regis poteſtatem pervenit. Regem urbem ingreſſum incredibilis populi applauſus & acclamatio excepit, perinde ac ſi nulla unquam cum eo ſimultas interceſſiſſet. Hiſpanorum præſidium vocibus irridentis multitudinis exſibilatum eſt & ejectum. Exin reliquæ civitates

Henricus IV. religionem Pontificiam amplectitur.

Liga Sancta in Francia exſtinguitur.

tates & Præfecti certatim ad Regem deficiunt, magna ſibi commoda in conditionibus ſtipulantes. Neque enim Rex, dummodo tranquillum Regnum & pacatum obtinere ſibi liceret, & Hiſpanos a Franciæ finibus penitus ſubmoveret, ullam conditionem abnuebat. Ipſe Guiſius junior fidem Regis ſequitur: & Præſes Provinciæ conſtituitur. Secundum hæc bellum Hiſpanis Henricus indicit, ut non modo tot tantasque injurias & vexationes, quas perpeſſus fuerat, vindicaret; verum etiam Hugenotarum in ſe benevolentiam tueretur, & inſidens animo multitudinis ſtudium erga eam gentem penitus evelleret. Atque eum fructum tot aureorum myriadum, quas in factionem ſuſtentandam impenderat, Philippus tulit. Jamque initium belli factum erat, quum anno ᴄɪↄɪↄxciv homo perditus, nomine Joannes Caſtellus, Regi, immiſſo in os adverſum cultro, dentem excuſſit. Percommode enim accidit, ut corporis inclinatione Rex ictum in gulam directum evitaret. Et quoniam homo ſceleratiſſimus Jeſuitarum conſuetudine frequenter uſus fuiſſe deprehendebatur, ſecta iſta, in cujus officina dogmata perniciosiſſima traderentur, relegatur quidem e Francia, ſed aliquot annis interjectis recipitur. Exin Pontifex, abolita anathematis nota, Regem in integrum reſtituit; quum antea adverſus preces Nivernenſis Ducis, qui veniæ impetrandæ cauſſa Romam miſſus erat, obſtinate animum obfirmaſſet. Videtur autem apud Henricum gratiam datæ veniæ inire voluiſſe, quum, etiam ſe invito, Regnum ei ſalvum fore intelligeret. Inde Dux Mainiæ, Eſpernonius, & Maſſilienſis Regem ſibi reconciliant. Sed bellum Hiſpanienſe minus proſperum erat: etſi in Burgundiæ Comitatu armis Francicis nonnihil profectum eſt: Hiſpanicum-

Jeſuitæ e Francia relegati rurſus recepti.

ſpanicumque præſidium ex Hana, Picardiæ oppido, ejectum. Hiſpani contra Dorlanium & Cameracum capiunt. Hanc urbem ad eam diem Balagnius, ſub tutela Francorum, tenebat. Inſequenti anno CIƆIƆXCVI. Caletum Ardeamque expugnant. Eam cladem recepta ex Hiſpanis Feria nonnihil mitigavit. Acceſſit inde in cumulum calamitatis, quod Ambianum Hiſpani de improviſo aggreſſi ceperunt: nec niſi magno deinde labore recipi urbs potuit. Anno CIƆIƆXCIIX in gratiam cum Rege rediit Mercurianus Dux, qui adhuc Britanniam minorem tenens, obſtinato animo in armis permanſerat, ſperans fore, ut ejus ſibi Ducatus poſſeſſionem in perpetuum firmaret. Rex, ut Hugenotas etiam placaret, iis edicto Nannetenſi promulgato, cavit; quo quidem edicto ipſis ſacrorum publice obeundorum facultas incolumis ad hunc uſque diem ſtetit. Ad ultimum, pax cum Hiſpanis Vervinii ea lege confecta eſt, ut quidquid locorum inde ab anno CIƆIƆLIX, belli jure occupatum eſſet, ultro citroque reſtitueretur. Pace facta, ad Sabaudiæ Ducem in ordinem redigendum animum adjecit Henricus. Ille ſuperioris Regis ætate Saluzzianum Principatum occupaverat; & dum bellum noviſſimum gerebatur, magnas in Delphinatu & Provincia turbas conciverat: Regnoque, ut ſperabat, in partes diſtracto, aliquam ejus partem intercipere per eam occaſionem decreverat. Ob eam cauſſam etſi Dux ipſe ad Regem venit in Franciam, & poſtremo, pactione facta, Regi ſe, provinciis nonnullis conceſſis, ſatisfacturum pollicebatur; tamen ſervare pacta in mentem non venerat. Sperabat enim fore, ut aut cauſſam ſuam Hiſpanus valide tutaretur, aut Bironius, Mareſchallus, quo cum clandeſtina agitabat conſilia, motus inteſtinos

Pax Vervinenſis.

nos concitaret. Verum Rex infeſtis copiis eum aggreſſus, quidquid cis Alpes terrarum Dux tenebat, ei ademit. Ad extremum, Pontifice auctore, pax inter eos coivit, ea conditione, ut pro Saluzziano Principatu Dux Breſſiam, Bugiam, Valromagum & Gexiam Francis concederet, anno CIↃIↃC. Eam tamen pacificationem moleſte tulerunt Italiæ Principes: quod per eam, omni in Italiam aditu Francis præcluſo, Italicum ſolum Hiſpanorum libidini permitteretur. Sed Henricus, belli pertæſus, poſt tot tantaque incommoda, pacis aliquando fructus percipere volebat. Secundum hæc Bironii, Mareſchalli, pernicioſa conſilia emanant. Is Hiſpanorum auxilio fretus, Regem orbare Regno & Franciam in Principatus parvos diſcerpere inſtituerat, Burgundiæ Ducatum ſibi pactus. Rex pro ſua clementia, ejus in ſe Regnumque meritis, condonare ſupplicium decreverat. Sed gratiam Regiam amplexari quum recuſaſſet, ſententia lata, condemnatus, capite plectitur anno CIↃIↃCII. Ceterum, per otium pacis, Rex, cum ad univerſum rei Francicæ a diutinis bellis recreatæ ſtatum ordinandum, tum ad reditus amplificandos cumulandosque curam intendit. Itaque artificia varii generis, & maxime ſerici textrina inſtituta in Francia; quæ quidem ingentes poſtmodum opes in Regnum intulerunt. Dum ea pacis ſuavitate fruitur Rex, moleſtia nonnulla afficiebatur. Scilicet animum ejus vehementer angebant & Reginæ, qua in Regias arſerat amicas, ira & zelotypia, & Hiſpanorum, quibus ipſum Regnumque petebant, artes. Ad eos ulciſcendos Henricus nimias domus Auſtriacæ opes frangendi, & eas Hiſpaniæ provinciarumque Imperii Romani hereditariarum finibus coercendi conſilium cepit. Atque ſuper ea re cum Regibus

gibus orbis Arctoi, cum Belgii Ordinibus, Proteſtantibus Romani Imperii Principibus, Bavariæ & Sabaudiæ Ducibus, nec non Helvetiis, quin etiam cum ipſo Pontifice conſilia agitaſſe creditur. Ad eam rem perficiendam, litem de Ducatu Juliæ ortam, ſuam occaſionem eſſe ratus, prohibere, ne in manus Auſtriacorum ea terra perveniret, conabatur. Illud certe conſtat, Regem majoribus, quam pro re Juliacenſi, viribus bellum paraſſe: centum & viginti militum millia e ſuis & auxiliaribus copiis ſub ſignis habebat, ingentemque inſuper pecuniæ vim comparaverat. Auſtriaci contra adverſus eam belli molem nulla omnino auxilia circumſpiciebant omnem bellici apparatus curam omittentes: perinde, quaſi animo proſpexiſſent caſum, qui paulo poſt evenit: quum jam in Belgium exercitus Francicus duceretur, atque Rex ipſe paucis diebus, poſtquam Reginam Regiis decorandam inſignibus, &, dum ipſe abeſſet, Franciæ, ut vocant, Regentem conſtituendam curaſſet, ſubſequuturus eſſet. Rex enim Lutetiæ Pariſiorum in platea, dum rheda, qua vehebatur, propter exundantem hominum commeantium multitudinem ſubſiſtit, a nebulone profligatiſſimo cultro confoſſus, nulla emiſſa voce, exanimatur anno cIↃIↃcx. d. 14. Maji. Sunt qui dubium haud eſſe putent, quin ab aliis ſubornatus ſit homo ſceleratiſſimus, Hiſpanis atque ipſa fortaſſe Regina cædis ejus conſciis. Ita ſummus ille heros, quum per tantas difficultates ad Regnum evaſiſſet, & conſpirationes amplius quinquaginta, ab ordinis Eccleſiaſtici hominibus potiſſimum, in ejus caput comparatas, detexiſſet juxta & evitaſſet, nefaria hominis abjectiſſimi perditiſſimique manu peremptus eſt. Ejus mors Regnum clade eo majori afflixit, quod dum filius

immatura

immatura adhuc Regno ætate eſſet, & vires opesque Proceribus, & rerum novandarum ſtudium, & in abnuendo imperio pertinacia, Hugenotis mirifice creverant.

§. 23. Ei in Regno ſucceſſit Ludovicus XIII. puer annos novem natus. Ejus tutelam ſuſcepit mater Maria Medicea. Hæc pacem foris percutiendo fœdera, domi otium lenitate largitionibusque Primores devinciendo, tueri ac conſervare ſtudebat; quanquam hi turbas identidem concitantes, magnas ſibi vires opesque compararunt. Neque enim a Regina propter imbecillitatem vi coerceri poterant. Rex, poſtquam Regnum ipſe capeſſivit, Concinum, Mareſchallum Ancreum, natione Florentinum, qui, Regnum adminiſtrante Regina, ſolus omnia poterat, & propter opes animique inſolentiam inviſus indigenis erat, interficiendum curavit, anno CIↃIↃCXVII. ut ejus morte concitata multitudo placaretur. Regina autem mater ab aula remota, quum Bleſas amandata eſſet, ab Eſpernonio exempta in libertatem vindicatur anno CIↃIↃXIX. Seditionem eo tempore exortam largitiones Proceribus factæ ſedarunt. Sub idem tempus Richelius, in Purpuratorum deinceps ordinem cooptatus, magnam ſibi prudentiæ opinionem auctoritatemque conciliare in aula, ſummisque adhiberi negotiis cœpit. Is auctor Regi fuit, ut firmandæ potentiæ malis Franciæ inteſtinis penitus mederetur. Summa conſilii hæc erat, ut Hugenotarum ad nocendum vires frangeret atque everteret. Eos enim mortales ſeditioſis hominibus ac turbulentis perfugium perpetuum & receptaculum præbere. Ejus rei initium factum, religionem Pontificiam in provinciam Bearnenſem reducendo. Ea res Hugenotas, id indigne ferentes, concivit. Exin Rex complura

Ludovicus XIII.

eis

eis loca ademit, ſed in obſidione Montis Albani magnam calamitatem accepit, donec ad extremum pax Hugenotis data, ea lege, ut omnium, præter Montem Albanum & Rupellam, urbium munitiones recens exſtructas diruerent. Anno CIƆIƆCXXV. ſumma rei Franciciæ adminiſtrandæ Cardinali Richelio committitur. Sub idem tempus alterum adverſus Hugenotas bellum finitum eſt, ſed pax haud diuturna fuit. Rupellenſes enim caſtrum Ludovici ante oculos ſuos exſtructum ferre nullo modo volebant. Ibi tum Richelius expugnatione Rupellæ finem bello imponere conſtituit. Itaque eam urbem terra marique obſeſſam ita circumſepſit, ut Anglis, qui in inſulam Rheam exſcenſum e navibus fruſtra fecerant, ad auxilium ferendum nullus pateret aditus. Ad ultimum, obſeſſorum pertinaciam fames domuit, quæ, quum per tredecim hebdomadas pane tota civitas caruiſſet, eos ex octodecim civium millibus ad quinque millia redegerat. Ea urbe capta, Hugenotarum vires penitus conciderunt. Cives Montis Albani, Cardinale hortante, ſuas ipſi munitiones demoliuntur. Rohanæus quoque, mira calliditate Princeps, qui tantum negotii Regi in Aquitania exhibuerat, tranſigit cum eo, hac conditione, ut Nemauſus & Mons Peſſulanus urbes mœnibus ſuis nudarentur. De cetero ſua utrique ſacra, ſua religio, ſalva & illibata relinquerentur. Atque ita vulnus, quod quaſi in viſceribus Franciæ ad eum uſque diem hæſerat, feliciter perſanatum eſt. Sunt, qui per ea bella civilia ultra decies centena hominum millia periiſſe: ſupra millies quingenties centena ſcutatorum millia, ſeu centum & quinquaginta, ut vulgo vocant, milliones, in ſtipendia militum impenſa: urbes novem: vicos quadringentos: templorum viginti: cœnobio-

Richelius primarius regni Franciæ conſtitutus miniſter.

Rupella expugnata.

cœnobiorum duo: & ædium decem millia ſeu incenſa, ſeu diruta prodant. Secundum hæc Francus, rebus domi compoſitis, foris ad ea, quæ ad ſe pertinebant, curanda animum adjecit. Ac primum quidem omnium anno cIↃIↃcxxIIx. Carolum, Ducem Nivernenſem, tutandum ſuſcepit adverſus Hiſpanos, Mantuanum ei Ducatum, qui hereditate ad eum pervenerat, intervertere conantes: quum natione Francum eſſe calumniarentur. Id bellum obſidio Caſalis inſigne inprimis fecit: quam urbem operibus longe munitiſſimam, ſupra quam credi poteſt, ſtrenue ac fortiter Franci propugnarunt. Sed ea controverſia compoſita eſt, prudentiſſimo pacis interprete, Mazarino, Internuncio Pontificio: qui ea pacificatione primum ad ſupremum in Francia fortunæ ac dignitatis faſtigium gradum fecit. Inde pacificatione Chieraſcenſi firmata Nivernio Mantuæ & Montisferrati poſſeſſio. Simul Pinarolum oppidum munitiſſimum a Sabaudo Rex emit, ut expeditum ſuis in Italiam aditum patefaceret. Rhætis quoque adverſus Vallem Telinam rebellantem & Hiſpanorum auxilio ſubnixam ſubvenit, prohibuitque, ne in Hiſpanorum poteſtatem ea terra veniret: atque in priſtinum ſtatum omnem iſtam vallem reſtituit. Anno cIↃIↃcxxxI. Francus fœdere cum Sueco percuſſo, annua ei ſtipendia, ad domus Auſtriacæ opes minori cumdiſcrimine frangendas, dependit. Verum, armis victricibus ad Rhenum circumlatis, quum formidoloſus Guſtaphus Adolphus eſſet, Electorem Trevirenſem Francus tutandum ſuſcepit, præſidio caſtro Ehrenberti impoſito. Ea tamen fame ſubacta deditionem fecit anno cIↃIↃcxxxvI. Interim Regina mater, fraterque Regis, Dux Aurelianenſis, invidia Richelii exſtimulati, turbas concitarunt.

Pax Chieraſcenſis.

citarunt. Ad eorum cauſſam quum ſe Momorantius etiam adjunxiſſet, capite pœnas luit: & genus perantiquum (nam omnibus Chriſtiani orbis familias vetuſtate ſe præſtare gloriabatur) inglorio terminavit exitu. Turbis ad ultimum pacatis, etſi in gratiam mater recipiebatur, tamen, quum ex libidine ſua imperare nequiret, ira commota in Flandriam aufugit: inde in Anglia aliquamdiu commorata, poſtremo Coloniæ Agrippinæ miſeram vitam cum morte commutavit anno CIↃIↃCXLII. Lotharingum, qui cum Cæſare ſtetiſſet, Rex ditione & omni imperio exuit anno CIↃIↃCXXXIII. Exin poſt prælium Nordlingenſe anno CIↃIↃCXXXIV. commiſſum, rebus Suecorum in Germania acciſis, quum per eam occaſionem domus Auſtriaca, viribus recreatis, animum recepiſſet; Francus, ne Auſtriaca ſuperior res eſſet, palam Hiſpano bellum indicit. Specioſum ei bello obtentum præbebat Auguſta Trevirorum, repentino Hiſpanorum adventu oppreſſa, & Electoris, qui in tutela Francorum eſſet, captivitas. Ita bellum in Italia, Germania, Belgio & Comitatu Ruſcinonenſi ſimul exarſit, ancipite Marte & varia fortuna geſtum: potiſſimum tamen victoriæ fructum tulerunt Franci. Summa rerum capita paucis perſtringemus. Anno CIↃIↃCXXXV. prima in Belgium impreſſio improſpere Francis ceſſit: Lovanienſem quippe obſidionem ſolvere non ſine magna clade coacti ſunt. Anno CIↃIↃCXXXVI. Piccolominius in Picardiam, & in Burgundiam Gallaſius, infeſto agmine irruperunt, pari, id eſt, nullo pene, uterque ſucceſſu. Franci contra Hiſpanos ab obſidione Leucatæ in Comitatu Ruſcinonenſi depellunt: Bernhardus, Dux Vinarienſis, fortitudinis laude clariſſimus, qui bellum, Francorum adjutus pecunia, gerebat, Briſacum,

Bellum Francorum contra Auſtrios.

cum, oppidum munitiſſimum, ad deditionem compulit. Anno cIɔIɔcxxxIIx. Duce paulo poſt vita functo, Francus cum oppidum recens captum obtinuit, tum exercitum ejus pecunia ſibi adjunxit. Verum eodem anno Francis in obſidione Fani Odomari & Fontarabiæ res haud ex ſententia ſucceſſit. Condæus Fontarabiam circumſedens cladem ingentem accepit. Eodem anno ad diem v. Sept. velut prodigio quodam ex conjugio per annos viginti ſterili, Ludovicus XIV. naſcitur. Anno cIɔIɔcxxxIx. Franci ad Theonvillam acie fuſi. Anno cIɔIɔcxl. Atrebatum captum. Catalaunia, excuſſo Hiſpanorum jugo, quum ad auxilium Francorum confugiſſet, in poteſtatem eorundem pervenit. Anno cIɔIɔcxlI. magnum Richelio malum intentabat Comes Sueſſionius. Is ſeditione periculoſiſſima concitata, in prælio, quo parta victoria ſuum pertinaciter locum miles ejus tuebatur, ipſe cecidit. Ita ejus morte & Cardinalis opes, & tranquillitas Franciæ ſtabilita. Anno cIɔIɔcxlII. Perpinianum captum: ei obſidioni una cum Richelio Rex ipſe interfuit. Ibi tum Quinque-Martius, quum ſe in gratiam Regis inſinuaſſet, præcipitem dare Richelium inſtituit. Itaque, ut majores ſibi ad eum labefactandum vires compararet, clam cum Hiſpano paciſcitur. Eam conjurationem quum reſciviſſet Cardinalis, Quinque-Martio & Thuano juniori caput præcidi jubet. Huic, quum conſcius quidem conſilii, ſed idem diſſuaſor fuiſſet, quod rem tacitam habuit, fraudi fuit. Bullioneus Dux, conjurationis ejus affinis, Sedano, urbe munitiſſima, quam tenebat, mulctatur. Eodem anno Richelium mors opportuna variantis fortunæ injuriæ ſubtraxit; jamque enim Regem tædium ejus hominis ceperat: quanquam is magnitudinis ejus,

[Catalaunorum defectio.]

quam nunc univerſa pavet Europa, fundamenta primus jecit. Ejus obitum Regis ipſius mors conſecuta eſt anno CIↃIↃCXLIII. a. d. XIV. Maji.

Ludovicus XIV. §. 24. Quintum ætatis annum agebat Ludovicus XIV. quum Regnum iniret. Regentis quidem nomen penes matrem, poteſtas autem & rerum gerendarum ſumma penes Julium Mazarinum Cardinalem fuit. Quum Regnum eo tempore opibus florentiſſimum eſſet, collocupletare ſe Regis impuberis divitiis pro ſe quiſque ſtudebat, magnasque Mazarinus largitiones, ut omnium animos in novi regiminis auſpicio placaret, faciebat. Sed ærario hunc in modum exhauſto, nova populo tributa imperare neceſſe erat. Ea res multorum animos offendit, atque iſtam regiminis formam perinviſam reddidit. Verum tamen annis prioribus quinque domi otium, foris bellum habebatur. Initio novi regiminis ſtatim Anguianus Dux, inſigni de Hiſpanis victoria ad Rocrojum parta, Theonis-Villam, Gaſto, Regis patruus, Gravelingam cepit. Anno CIↃIↃCXLIV. Anguianus maculam Francis ſuperiori anno ad Dutlingam adſperſam eluit, victis fugatisque ad Friburgum Briſgoæ Bavaris, captoque inde Philippiburgo, oppido munitiſſimo. Anno CIↃIↃCXLVI. Bavaros ad Herlingam acie vincit funditque: Dunkerkam expugnat. Anno inſequente a Leridæ, quam obſidebat, mœnibus, re infecta, diſcedere coactus eſt. Anno CIↃIↃCXLVIII. Francus pacem cum Imperatore facit Monaſterii Weſtphalorum, ea lege, ut ſibi Briſacum & Philippiburgum, oppida munitiſſima, cum Sundgavia & ſuprema Alſatiæ Præfectura relinquerentur. Pace compoſita, Francia externi hoſtis metu defuncta, in ſua vertitur viſcera, cœptumque felicitatis curſum motibus inteſtinis retardavit. Cauſſa tumultus potiſſima

Pax Monaſterienſis.

ſima fuit Mazarini, hominis peregrini, invidia, quem amovere a gubernaculis omni modo ſtudebant æmuli, idque eo audacius & inſolentius, quod nec Regis, ut pueri, nec matris, ut fœminæ peregrinæ, auctoritatem magnopere reverebantur. Ex Primoribus quoque multi, ut ſuis inſervirent commodis, ſacra profanaque omnia miſcere geſtiebant. Condæus autem inprimis rerum potiri, Cardinalemque ita frangere ſibique obnoxium reddere cupiebat, ut eum flectere ad nutum & voluntatem ſuam poſſet. Quum eum adjungere ſibi Cardinalis affinitate niteretur, eam velut genere ſuo indignam aſpernatus eſt: quod Cardinalem eum, quem ceperat, locum dignitatis tueri, nec ſibi ſubmittere faſces velle, intelligebat. Eas contentiones haud parum accenderunt mulieres turbulentæ; Longavillea Condæi ſoror, Chevreuſia, Monbazonia, aliæque. Ei tragœdiæ libellis famoſis proludebatur, qui Lutetiæ Pariſiorum indies in lucem editi per manus hominum volitabant. Motus inteſtini Franciæ. Anno CIↃIↃCXLVIII. nova factio palam prodiit Lutetiæ, quæ ſe Funditores appellabat, propterea quod ſe Davidis exemplo funda Cardinalem tanquam Goliathum illum immanem proſtraturos eſſe minitabantur. Ejus capita fuere Beaufortius Dux, & Goadius, Archiepiſcopus Pariſienſis, inde Rezelius Cardinalis dictus. Cum ea factione ſtabat quoque Senatus Pariſienſis, qui multum ſibi auctoritatis adverſus regimen Cardinalis aſſumſerat; ac primo quidem ſeditio eſt coorta Lutetiæ ob Bruſſelium, Senatorem Pariſienſem, in cuſtodiam datum. Itaque Rex metu conterritus ex urbe confeſtim aufugit. Verum ea res tum temporis compoſita eſt, ſeditioſisque poſtulata nonnulla conceſſa. Sed quum ne tum quidem tumultuari ſeditioſi deſiſterent, Rex iterum ex

urbe ſeceſſit anno CIↃIↃCXLIX. Inde Cardinalem ſententia publice lata Senatus condemnat, majoremque aſſeclarum multitudinem cum ſua cauſſa conjungit. Thuronius quoque, qui copiis Francicis in Germania ea tempeſtate præerat, ſectam Senatus Pariſienſis ſequutus eſt; ſed quum exercitus pecunia delinitus a Rege in fide permaneret, profugere ab eo coactus eſt. Ea controverſia quanquam ad Fanum S. Germani iterum compoſita eſt, Mazarinum tamen adverſarii artibus occultis & machinis impetere non deſtiterunt, inſtinctu maxime Condæi, qui Funditores quoque in ſuas partes traxerat. Hi, quum diverſa ſpectarent atque ob oculos haberent, & Cardinalem Funditores funditus perdere, Condæus autem vires ejus imminuere tantummodo nonnihil decreviſſet: Cardinalis, ſemine diſcordiæ inter eos aſtute ſparſo, Condæum in Funditores incitat. Hi itaque in gratiam cum Cardinale redeunt. Enimvero Cardinalis temporis opportunitate utendum ratus, Condæum, ejusque fratrem Contium, & affinem Longevillæum Ducem in carcerem conjecit anno CIↃIↃCL. Ibi tum ira multitudinis magis accendi & quaſi oleum flammæ infundi, Principum iſtorum captivitatem plerisque omnibus indigne ferentibus. Burdigala quoque urbs, captis armis, ad apertam erupit rebellionem; Hiſpani item eam occaſionem haud dimittendam rati, Londinum & Portolongonum, oppida Italiæ, ex Francis capiunt. Ingentem præterea terrorem Pariſienſibus Leopoldus Archidux ex Belgio veniens incuſſit. Cardinalis etſi Turonium, qui ad Hiſpanos defecerat, acie vicit ad Rothelium; odium tamen in eum magis indies magisque creſcebat: magnaque vi & impetu Funditores, Senatus, & Dux Aurelianenſis, ut Principes carceri eximerentur, inſtabant.

inſtabant. Itaque quum vi nihil profici videret, cedendum tempeſtati, procellamque imminentem, ſi vinci recto curſu nequeat, obliquo ſubterfugiendam ratus, Principes dimittit. Ipſe Briælam ſe ad Electorem Colonienſem recepit anno CIƆIƆCLI. Exin ex Senatus Pariſienſis decreto Galliæ finibus in perpetuum interdicitur. Mazarino remoto, Condæus Regnum liberius & impunius turbare, fœdusque cum Hiſpanis inire cœpit. Inde ad bellum apertum erumpens, quum Burdigalam ſe contuliſſet, Hiſpani, Barcinone per eam occaſionem capta, totam Catalauniam ſubegerunt. Ibi tum Cardinalem Regina ad ſe revocavit; exercitus Regius, copiis ab eo coactis firmatus, acriter identidem cum Condæo conflixit. Sed quum ne tum quidem, quod in Mazarinum Senatus Funditoreſque conceperant, odium placaretur, conſilium cepit palam profiteri ac denuntiare, ſe otii ac tranquillitatis publicæ cauſſa Regni finibus exceſſurum: ut ita omnis motuum inteſtinorum invidia in Condæum recideret. Conſilium feliciter ceſſit. Jamque populus, omni mentis & oculorum caligine diſcuſſa, videbat, Regis Regnique ſalutem Cardinalem, privatum compendium Condæum quæſiviſſe. Dunkerka quippe & Gravelinga per eas turbas amiſſæ. Condæus, quum ſe gratia populi excidiſſe intelligeret, in Belgium ſe cum exercitu recepit, Hiſpanoſque ſibi adjunxit. Inde in aulam Cardinalis quaſi poſtliminio rediit: ex eo tempore ſummam rerum, nemine prohibente, quietus obtinuit ad vitæ exceſſum uſque. Lutetia in fidem venit: Funditorum factio ſopita: Dux Aurelianenſis ab aula ſe ſubduxit: Rezius in carcerem conjectus: Burdigala in ordinem redacta anno CIƆIƆCLIII. Anno inſequenti bellum Francus denuo movit in Hiſpanos: Mon-

medium non ſine magno labore & ſanguine capitur: Atrebatium obſidione liberatur: ſed ad Valencenas & Cameracum Franci victi ſunt, ſtrage utrobique ingenti accepta. Anno CIↃIↃCLIIX. fœdere Francum inter & Cronvellium icto, Dunkerka a Turonio Angliſque obſidione cingitur; eam quum ſolvere Joannes Auſtriacus & Condæus niterentur, victi fugatique calamitatem ingentem acceperunt: urbs capta Angliſque conceſſa; ab iis poſtmodum eam Rex redemit, quadragies centenis ſcutatorum millibus anno CIↃIↃCLXII. Eodem tempore Gravelinga recepta. Poſtremo pax inter Francum Hiſpanumque confecta, ad montes Pyrenæos, interpretibus pacis principibus utriusque gentis Miniſtris, Mazarino & Ludovico Haroio, anno CIↃIↃCLIX. in has leges, ut penes Francum Ruſſino, & loca pleraque omnia, quæ in Belgio cepiſſet, manerent: Regi Maria Thereſia, Philippi IV. filia, nuberet, cum Condæo rediretur in gratiam: quo quidem omnis rerum moles diu nitebatur. Anno inſequente Mazarinus diem obiit ſupremum. Is inter alia hoc Regi monitum moribundus reliquiſſe memoratur, ut Regni munia ipſe obiret, nec ex aſſeclis aut gratioſis quemquam rerum ſummæ præficeret, aut ſeſe ei dederet. Operum Regiorum primum fuit, ut ærarium reditusque ordinaret. Anno CIↃIↃCLXI. ejus rei initium fecit a Foucquetto, ærarii Præfecto: eum deduci in carcerem juſſit, acerrimis Quæſitoribus conſtitutis in eos, qui quum pecuniam Regiam adhuc tractaſſent, ea in privatos uſus converſa ſe collocupletarant; ita compilatoribus pecuniæ publicæ, ceu fungis aqua turgidis, emunctis compreſſiſque, ingentes in fiſcum Regis opes dimanarunt. Anno CIↃIↃCLXI. in publico Oratoris Suecici, Nicolai Brahæi, ingreſ-

Pax Pyrenæa.

ſu,

ſu Londini, inter Francorum Hiſpanorumque Legatos contentio de ordine ſervando in rhedarum proceſſu exorta eſt. Francici rheda vi repreſſa & loco cedere coacta eſt. Ex ea ſcintilla ingens belli incendium exardeſcere facile potuiſſet, ni Franco Hiſpanus ſatisfeciſſet, permiſiſſetque, ut ubicunque Gallici Legati eſſent, ibi Hiſpanici ſe domi continerent, nec ſolennibus cerimoniis intereſſent. Eam Hiſpanorum declarationem ita interpretati ſunt Galli, oportere videlicet Gallicis Oratoribus, dignitate & honoris titulo pari inſignitis, Hiſpanicos ſemper & ubique cedere. Anno CIↃIↃCLXII. cum Lotharingo Rex paciſcitur, de concedendo Ducatu Lotharingiæ, hac tamen lege, ut illi alia viciſſim prædia in Francia traderentur, & ſtirpe Borbonia exſtincta, ipſius familia in Regno ſuccederet. Id pactum quum mox irritum facere Dux niteretur, eum Rex ludificationis impatiens Marſalium oppidum dedere vi coegit. Eodem anno Romæ injuria & contumelia afficitur Legatus Gallicus, Dux Crequius, a vigilibus Corſicis; eam Rex tam iniquo tulit animo, ut Avenionem Pontifici adimeret. Verum ea controverſia poſtmodum compoſita eſt Piſæ, conciliatore Magno Hetruriæ Duce, Legatioque ampliſſima Lutetiam, Regi ſatisfaciundi cauſſa, decreta. Sub idem tempus Franci opes ſuas & aditum ſibi ſtabilire in perpetuum Gigerii, quod eſt in ora Barbariæ poſitum, conati, non ſine clade repelluntur a Barbaris. Anno CIↃIↃCLXIV. Imperatori Rex militem auxilio adverſus Turcam miſit: is in prælio ad Fanum S. Gothardi commiſſo ſtrenuam & fidelem operam navavit, magnumque, non tamen omne, ad victoriam momentum attulit. Nihilominus tamen Imperator pacem cum Turca componere feſtinabat, veritus,

T 5 ne

ne interea Belgium Gallus invaderet. Quo minus autem parem gloriam auxilia in Candiam miſſa conſequerentur, impedimento fuit indomitus & effrenis Gallorum pugnandi æſtus: ea expeditione Befortium quoque Ducem amiſere. Anno CIↃIↃCLXV. Anglos Batavosque inter ſe committit Gallus, eo conſilio, ut dum illi vires maritimas, quas tam iniquo patitur animo, bello navali attererent; ipſe interea Belgium ſubjugare, nemine prohibente, poſſet. Anno CIↃIↃCLXVII. Flandriam infeſto exercitu ingreſſus, Caroloregiam, Inſulas, Tornacum, Duacum, Corteracum, Aldenardum, aliaque loca capit, obtentu *Juris* (uti in Brabantia appellatur) *Devolutionis*, quo jure ſuæ uxori Belgicas Provincias deberi contendebat: etſi in pactis dotalibus illud ipſa remiſerat. Inde Burgundiæ Ducatum ſub ditionem ſuam redegit: eundem tamen, locis primum munitis ſolo æquatis, reſtituit: quæ in Belgio ceperat, loca retinuit: ita enim pace Aquisgrani compoſita cautum erat anno CIↃIↃCLXIIX. Ad eam pacificationem amplectendam multum momenti habuit triplex illud fœdus, inter Suecum, Anglum & Rempublicam Belgicam ictum, ad Provincias Hiſpanico-Belgicas tuendas. Quanquam Anglum ad defectionem ab iſto fœdere Gallus poſtmodum omni ratione ſollicitavit, perſuaſitque, ut conjunctis viribus intolerabilem Hollandorum arrogantiam (ejus enim vitii inſimulabantur) armis frangeret atque domaret. Quanquam enim initio Rex amicitiam cum Belgis Fœderatis coluit, poſtea tamen Regem illud primum offendit, quod, ipſo excluſo, pacem Hollandi fecerant Monaſterii; inde, anno CIↃIↃCLXVII. Provincias Hiſpanico-Belgicas tueri in animum induxerunt: quumque poſtea Rex validis copiis in urbes recens captas veniſſet,

Pax Aquisgranenſis.

veniſſet, magnam claſſem per contumelioſam Regis urendi libidinem ei ob oculos obduxerant. Tum vero triplex illud fœdus Rex perinique ferebat: nec deſunt, qui Anglos injuriæ in Chattam acceptæ necdum oblitos, & ſpe pacis ex animi ſententia Bredæ obtinendæ dejectos, ideo tam proclives ſe ad fœdus illud ineundum præbuiſſe exiſtiment, ut ubi Hollandos in eam ſocietatem pellexiſſent, Gallum in eos quam fieri poteſt acerbiſſime incitarent. Ad ultimum Francus, una cum Anglo, Belgium Fœderatum adortus, feliciter rem geſſit, & mirificos terra progreſſus fecit: tribus Provinciis, Geldria, Tranſinſulana, & Trajectenſi, in poteſtatem redactis: jamque nonnulla in Hollandia loca occupaverat, & in penitiora ſe inſinuaturus, præſidio firmaverat. Cæterum, ejus ſocius, Epiſcopus Monaſterienſis, Groninga, re infecta, diſceſſit; Covordiam inde amiſit. Sed Batavi in mari fortunam benigniorem experti, quater cum hoſte prælio navali commiſſo, inſigne virtutis & peritiæ rei maritimæ documentum dederunt; quum Franciæ naves contra, ut quidem Angli prædicant, haud ſatis officium facerent. Præter invidiam excreſcentis nimium, in tanta rerum geſtarum felicitate, magnitudinis Gallorum, ea quoque cauſſa haud poſtrema fuit, cur Regem Ordines Angliæ poſtea pacem cum Batavis ſeorſim facere tantum non cogerent, veriti ſcilicet, ne, ubi vires ſuas maritimas ipſi in bello adverſus Batavos exhauſiſſent, in debiles & ad reſiſtendum impares Gallus arma ſubito converteret. Primo belli anno avertere quidem Gallum a Belgarum finibus Imperator & Octo-Vir Brandenburgicus, conati ſunt, ſed fruſtra: nec aliud, niſi in quibusdam Germaniæ provinciis vaſtitatem effecerunt, Turoniumque ad Germaniam

maniam pariter invadendam elicuerunt. Is agros vaſtando, maxime in Weſtphalia, magnas incolis calamitates intulit; ita ut Brandenburgicus pacem cum Gallo faceret Voſſemii anno CIↃIↃCLXXIII. hac conditione, ut ſibi loca munita Cliviæ reſtituerentur. Eam autem pacem, poſtquam oppida ſua recepit, Brandenburgicus deinde parum morabatur. Anno inſequente Trajectum ad Moſam, urbem natura & opere munitiſſimam, Gallus expugnat: inſigne Gallicæ virtutis & in oppugnandis urbibus dexteritatis documentum. Cæſareanis contra fortuna fuit in Franconia adverſus Turonium, iter eis intercludere conantem; eo quippe eluſo, quod cœperant ad inferiores Rheni oras, iter pertendunt: Hiſpanisque & Principe Auriaco ſociis adjunctis Bonnam intercipiunt. Exin Gallus, poſtquam Naerdam Batavus ex hoſte vi recepit, Diœceſi Ultrajectina & reliquis, præter Gravam & Trajectum ad Moſam, locis Belgii Fœderati, ultro excedit: neque enim is ad tot loca præſidio firmanda tutandaque, & ſimul juſtum exercitum adverſus hoſtes educendum e caſtris, par eſſe poterat: fierique facile potuiſſet, ut qui in ſtativis erant Franci, omni cum Belgicis caſtellis commercio intercluderentur. Francus inde ab Hiſpano & Imperio Germanico hoſtis declaratur. Atque ita ſubducta ratio erat, fore videlicet, ut vires Germaniæ, Hiſpaniæ & Hollandiæ in unum collectæ Francos in ordinem cogerent, atque adeo ipſam belli ſedem in hoſticum transferrent: ſed eo res deduci nullo modo potuit. Philippiburgum equidem ex Francis Germani receperunt, eosdemque Auguſta Trevirorum expulerunt, Crequio Mareſcallo magna clade affecto: ſed eas clades anno CIↃIↃCLXXIV. Germanis Franci ad Sintzhemium, inde in Alſatia, collatis

collatis ſubinde ſignis, quodammodo reddidere, ut Germani ſe præcipiti fuga trans Rhenum recipere cogerentur. Ac Germaniam cis-Rhenanam belli calamitas miſere haud dubie fœdaſſet, ni Thuronium, fortiſſimum illum Heroem, repentinus caſus ſuſtuliſſet. Itaque Galli, quo conſilium ducis amiſſi ſpectaret, ignari, non ſine cruento certamine referre gradum trans Rhenum coacti ſunt. Eo bello maxima damni pars in Hiſpanum redundavit. Burgundiæ Comitatus ademptus, Meſſinæ Galli ultro intra munimenta recepti: naveſque Belgicæ Hiſpanis in Sicilia laborantibus ſubſidio miſſæ; præter clades nihil retulerunt, Ruytero etiam, fortiſſimo illo Præfecto maris, amiſſo. Meſſinam tamen Franci poſtea ſua ſponte deſeruerunt. Munitiſſima quoque oppida, Limburgum, Condeum, Valencenas, Cameracum, Yperam, Fanum S. Audomari, Airium, aliaque Gallus in poteſtatem ſuam redegit. Gravam equidem Auriacus cepit: cæterum, in prælio ad Seneffam primum, inde ad F. S. Audomari commiſſo, poſtremo in obſidione Trajecti ad Moſam cladem nonnullam accepit. Ad extremum, finem huic bello Gallus cum magna ſua gloria conjunctum impoſuit. Belgis Fœderatis quæ ceperat reddidit. Ereptum Hiſpanis Comitatum Burgundiæ, & munitiſſima quæque ac præſtantiſſima Belgii Hiſpanici loca retinuit. In Germania pro Philippiburgo Friburgum accepit. De reliquo, pacem Weſtphalicam & Hafnienſem in priſtinum ſtatum reſtituit: ita ſuum quoque Suecus recuperavit. **Pax Neomagenſis.**

§. 25. Naturam & indolem gentis, cujus res geſtas breviter perſtrinximus, contemplantes, ingentem primum frequentiam in ea notamus, tota quippe Francia hominibus adeo redundat, ut mul- **Indoles gentis Gallicanæ.**

titudine

titudine laboret ſua, urbibus etiam, oppidis & vicis quaſi obſita. Ac temporibus quidem Caroli IX. amplius vicies millena hominum millia, ſeu, ut vulgo vocant, milliones viginti tributum in ſingula capita dependiſſe memorantur. Nec deſunt, qui dicant, rationem a Richelio initam propoſitamque, qua Francia ex domeſtico milite, ſiquidem omnes, quotquot arma ferre poſſent, conſcriberentur, peditum ſexies centena, equitum centum & quinquaginta millia conficere poſſit. Bellandi quoque avida gens omni memoria fuit. Priſcis autem temporibus Galli primo fere impetu feroces, primaque eorum prælia plusquam virorum; longiore certamine, ubi ſenſim reſediſſent animi, poſtrema plusquam fœminarum fuiſſe, notabantur. Itaque adquirere provincias, quam tueri, facilius ipſis fuit: præſertim quum rebus ſecundis obcæcati negligentiæ ſe traderent, victisque contemptim habitis grave imperium & intolerabile redderent. Cæterum, poſtremis bellis dubium reliquerunt, plusne in ſuſtinendo hoſtium impetu victoriaque perſequenda conſtantiæ, an in ciendo prælio ardoris ipſis ineſſet. Nobilium ingens multitudo exiſtit in Francia, qui rei militari operam dantes, vitam ambitioni donare, & gloriæ conſequendæ cauſſa ſanguinem profundere, penſi nihil habent. Superioribus temporibus pedeſtri militia parum valebat Francia: itaque Scotorum Helvetiorumque opera plerumque utebatur. Nunc vero præſtantiſſimum quoque peditatum habet, & in præſentia Franci, ſcientia inprimis & dexteritate oppugnandi loca munita, reliquas nationes omnes antecedunt. Regem hæc natio amore & obſervantia incredibili proſequitur, vitam opesque, dum ſuam ipſe dignitatem tueri valet, libentiſſime pro eo profuſura. Præterea alacri

eri ſunt ingenio & hilari Galli, ad omnia momenta eventuum prompti, parati, verſatiles, maxime iis in rebus, quæ ad exteriorem cultum pertinent, ita ut & in veſtitu, & geſtibus & actionibus omnibus ſingularis & nativus decor appareat. Quæ dum aliæ nationes, ad gravitatem natura proclives, imitantur, turpiter ſeſe dare, ac ferc ludibrium aliis & faſtidium debere conſueverunt. Magni quippe refert, ſitne, quod agas, nativum, an adſcititium. Ad omnes res artesque iidem aptiſſimi juxta & impigri ſunt, ſive litteras, ſive mercaturam, ſive opificia, ſubtilitatesque mechanicas ſpectes, eas præſertim, quas non tam operoſa, quam ingenioſa manus naturæque celeritas commendat. Cæterum, vitio genti vertitur levitas, quæ ſe in juventute maxime, hominibusque imperitis, non ſine maxima aliarum nationum moleſtia ac tædio, exſerit. Tum, quod ex iis multi libidinem ſibi quaſi gloriæ ducunt, formoſarumque amplexus, etiam innoxii, vana oſtentatione jactant. Denique, quod ſub ſpecie libertatis, licentia & ingens morum ſolutiſſimorum colluvies imprudentibus obrepit.

§. 26. Terræ, quam potentiſſima gens incolit, peropportunus eſt ſitus: in meditullio quippe totius Europæi Orbis Chriſtiani poſita, & amicitiam rerumque omnium commercia colere cum omnibus nationibus: &, ne quis unus totam ſubigat Europam, prohibere poteſt. Alteram partem mare Mediterraneum, alteram Oceanus alluit: portus utrobique & multi ſunt, & ad naves complures recipiendas admodum idonei. Loca quoque mediterranea compluribus iisque non exiguæ magnitudinis fluviis, qui naves pati poſſunt, intermittuntur. Accedit ingens aquæductus, cataractis duodecim munitus, quo quidem hodiernus

Regni Gallici ſitus & proventus.

Rex

Rex Garumnam Audamque flumina, & per ea mare Mediterraneum Oceanumque, inter ſe commiſit: magnam ſingula opportunitatem ad commercia habent. Adhæc in orbem fere collectæ ſunt Regni iſtius Provinciæ, & continenti quaſi ambitu comprehenſæ, ut ſingula loca ſibi invicem præſidio eſſe commode poſſint. Montes Pyrenæos adverſus Hiſpaniam, Alpes contra Italiam pro munimento habent. Sed ab ea parte, qua Germaniam Belgiumque attingit, Francia nuda admodum & aperta hoſtibus eſt. Itaque Belgium ſæpenumero ipſam Lutetiam terrore implevit. Quapropter Franci munitiſſima quæque ejus regionis loca in poteſtatem ſuam redigere omni ope contenderunt, ut fines ſuos ab ea parte firmarent: & vero ſuperiori bello ex animi ſententia res ſucceſſit. Eandem ob cauſſam Lotharingiæ quoque tantopere inhiarunt, ut ſe adverſus Germaniam munirent, Rhenumque, veterem Galliæ terminum, imperio ſuo paulatim adjicerent, quod unum ipſis deeſſe ad perfectionem terræ ſuæ videbatur. Præterea, inter felices illas ac fertiles Orbis terrarum partes numeranda Francia eſt, quum propter aeris inter frigus æſtumque nimium medii temperiem, tum ob uberrimum rerum omnium, quæ ad vitæ humanæ uſus commoditatesque pertinent, proventum: nec enim ullus fere in tota Francia locus eſt, qui non aliquid ad vitam ſuſtentandam utile proferat: adeo ut non incolarum ſolum uſibus ſufficiat Francia, ſed peregrinis etiam magnam rerum copiam ſuppeditare poſſit. Merces exportantur potiſſimum hæ: vinum, vinum aduſtum, acetum, ſal, innumera pannorum laneorum juxta & ſericorum genera, & quidquid ingenioſa manus ad veſtitus humani elegantiam finxit, cannabis, tela velis texendis idonea, & item can-

cannabina, charta, vitrum, crocus, amygdalæ, olivæ, capparis, pruna, caſtaneæ, ſinegma, & ſimilia. In Normandia & Picardia nullum naſcitur vinum: itaque quoddam potionis genus ex pomis expreſſum vulgus adhibet. Metallorum exigua eſt copia: auri argentive fodinæ nullæ. Sed illud incommodum & incolarum ſolertia & exterorum ſtultitia abunde compenſant: incredibile enim dictu eſt, quantam pecuniæ vim in Franciam, velut in Oceanum fluvios, derivarint merces Francicæ; maxime, poſteaquam textrina conficiendis pannis ſericis introduxit conſtituitque Henricus IV. Sunt, qui ſubducta ratione ſtatuunt, pretium, quod a peregrinis Galli quotannis accipiunt, pro pannis varii generis, & pro indole gentis, novitatis quandam gratiam præ ſe ferentibus, (*étoffes à la mode*) florenorum Gallicorum millionum (ut ita loquar) XL. pro vino XV. pro vino aduſto V. pro ſale X. &c. ſummam explere. Memoriæ quoque proditum eſt a Fortrejo, Anglo, anno CIↃIↃCLXIX. merces, quæ in Angliam quotannis e Gallia importantur, earum, quas ab Anglis viciſſim recipit Gallia, æſtimationem amplius decies ſexies centenis florenorum millibus ſuperare. Conſtat item, eos mercibus, quas Hiſpanis divendunt, magnam argenti Americani partem ad ſe trahere. Minus tamen, quam pro opportunitate, uſus rei maritimæ viget. Ejus rei hæc eſſe cauſſa videtur, quod Gallica gens non admodum magno ejus ſtudio tenetur, & commercia Indiæ Orientalis juxta & Occidentalis conſtabilire aliæ nationes occuparunt. Igitur Rex, etſi naves bellicas centum & amplius inſtructas habere perhibeatur, tantas tamen claſſes, quantas Angli & Batavi, conficere nondum potuit, penuria, ut quidam ſuſpicantur, ſociorum navalium. Ne-

que enim ſatis eſt, ſemel tantum naves ea, qua par eſt, hominum multitudine inſtructas habere, ni, ſuſcepto bello, ſubſidia, quibus deſideratorum numerus ſuppleatur, circumſpiciantur. Sed fieri poteſt, ut Rex Gallorum apparatum navalem & ordinare accuratius, & majoribus firmare incrementis prius velit, interim, velut in ſpecula, ad omnia ſubito cooriendi & rei bene gerendæ momenta intentus. Extra Regni ſuì fines imperium Franci haud late patet: niſi quod in Inſulas Caraibicas, easque, quas *Tortuës* appellant, & Septentrionalem Hiſpaniolæ partem, colonias nonnullas deduxit. Nec parvi momenti eſt piſcatio, quam in ingenti illo maris dorſo ad Terram Novam exercent: magnamque caſtorum copiam capiunt in Canada & Nova Francia. Rationem quoque inierunt, quo pacto commercia Indiæ Orientalis inſtitui poſſent; ſed irrito, ut eventus adhuc docuit, conſilio: neque enim Batavus, ſuis ibi opibus fretus, committet, ut in iis oris ea gens emergat. Poſtremo, quantæ Galliæ opes ſint, vel illud documento eſt, quod reditus Ordinis Eccleſiaſtici, qui duas quincunces, atque adeo plus quam dimidiam totius Franciæ partem obtinere dicitur, millionum (ut ita loquar) CIV. & quinquies centenorum millium Imperialium ſummam explere memorantur. Rex quotannis milliones circiter CL. florenorum Francicorum percipere hoc tempore perhibetur: quum ſuperiori ſeculo Franciæ reditus millionum novem aut decem, Henrico autem IV. regnante, XVI. & anno CIↃIↃCXXXIX. LXXVII. numerum non excederent. Ratio tantæ differentiæ non una eſſe videtur: eſt enim partim ab immutata pecuniæ variantis æſtimatione, partim ab incremento ingraveſcentium onerum exactionumque publicarum profe-

profecta; potiſſima tamen cauſſa fuiſſe videtur, quod ex eo tempore plures conficiendæ corradendæque pecuniæ rationes excogitatæ ſint in Francia.

§. 27. De Reip. Gallicanæ forma illud notandum eſt, complures olim Duces præpotentes, Comites & Dominos ibi exſtitiſſe, qui ingentes poſſeſſiones, tanquam Regis Clientes beneficiarii, habebant. Regi ſponte, non coacti parebant, obſequium ſubinde, pro lubitu, detrectantes, & prout plus minusve virium Regibus ad eos coercendos erat; ita magis minusve dicto audientes ſe præbere ſolebant. Iis poſtmodum ad unum omnibus extinctis, poſſeſſiones iſtæ, ceu membra disjecta, denuo copulatæ cum toto Regni corpore ſunt. Neque hoc tempore Ducatus & Comitatus Franciæ aliud quidquam ſunt, quam prædia Nobilium tam illuſtri dignitatis titulo a Rege inſignita, omni ſummæ poteſtatis jure ac jurisdictione deſtituta. Quumque antiquo more receptum eſſet, ut filiis Regiis certæ aſſignarentur provinciæ, quarum ipſi titulo inſignes erant, hodiernis temporibus certi ipſis reditus attribuuntur, una cum illuſtri Ducatus alicujus aut Comitatus nomine, ad vanam tantummodo pompam & oſtentationem; fit enim ſæpenumero, ut ne glebam quidem terræ, cujus ſe Dominos ſcribunt, poſſideant. Adhæc poſt interitum veterum Ducatuum, multum ſibi auctoritatis poteſtatisque Primores Regni ſumſerant: ii ad ultimum a Richelio & Mazarino in eum ſtatum redacti ſunt, ut jam adverſus Regem ne hiſcere quidem ullus eorum audeat. Magna quoque Ordinum (ii erant tres, Eccleſiaſticus, Equeſtris, & Civium, qui tertius Ordo appellabatur:) auctoritas olim fuit, Regiam poteſtatem admodum circumſcribens. Verum

Regiminis Gall. forma.

rum, quum jam inde ab anno CIƆIƆCXIV. nullus Ordinum Conventus indictus eſſet, auctoritas eorum & poteſtas pridem evanuit. Multum etiam negotii Regibus faceſſebant ii, qui Reformatorum ſacra colebant, tantiſper quidem, dum ipſis vires ad reſiſtendum ſuppetebant. Sed, Rupellis expugnatis, ita debilitati ſunt & afflicti Reformati, ut vim facere aut damnum afferre nullum poſſint. Quanquam Rex nullam adhuc vim ipſis ad ejuranda ſacra adhibuit: permultos tamen, ſpe pollicitationibusque honorum ac Regiæ benevolentiæ, ab avito Divini Numinis cultu ad Pontificiorum ſectam pellexit. Parlamentum quoque Pariſienſe conſiliis Regis ſæpius obſiſtere conſuevit, dictitans, de ſumma Reipubl. Regem ſine ejus auctoritate agere nihil poſſe: ſed ab eo, qui nunc rerum potitur, Rege, ei tantummodo juris dicundi provincia, & earum rerum, quas referre ad id conſilium Regi placuiſſet, cura demandata eſt. Præterea Eccleſia Gallicana neſcio quam immunitatem a poteſtate Pontificia oſtentat, & quod ſibi in eam juris Pontifex vindicaret, omne ei deberi negat. Atque eam ob cauſſam Epiſcopos & Abbates Rex pro lubitu deſignat. Quæ quidem omnia ad opes & amplitudinem rei Gallicæ amplificandam haud parum faciunt, dummodo ad gubernaculum Regni Rex clemens juxta & prudens ſedeat.

Vires Regni Gall. reſpectu Angliæ;

§. 28. Quibus adverſus finitimas gentes munita viribus res Francica ſit, nobiſcum reputantes, nullam totius Orbis Chriſtiani Rempublicam eſſe deprehendimus, quam non, ſi quidem ſeorſim ejus & per ſe habeatur ratio, aut æquet Francia, aut ſuperet. Superioribus equidem temporibus ab Anglis vexata miſere & afflicta fuit: verum enim vero bonam Franciæ partem Angli jam ante

ante obtinuerant, & in quibusdam provinciis adhuc Principes, ſi non ſummo nullisque legibus circumſcripto, ſaltem aliquo dominabantur imperio: & peditatu Francia non admodum valebat, & mirifica denique atque inſolita, quibus tum Angli utebantur, arcuum vis ingentem hoſtibus terrorem incuſſerat. Quæ quum noſtris temporibus plane immutata ſint, terreſtris Anglorum militia cum Gallicana ne conferri quidem poteſt, ſive multitudinem ſpectes, ſive virtutem. Diu quippe ab illis armorum ac rei militaris uſus intermiſſus fuit. Nam bella civilia multitudine promiſcue & tumultuarie collecta magis, quam juſtis exercitibus, gerebantur; quibus quidem malis inteſtinis vires ejus gentis vehementer ſunt attritæ. E contrario omne ſuum ſtudium, alacritatem, ac virtutem denique omnem Angli ad militiam maritimam contulerunt; & ex ea parte Gallus adhuc quidem cum Anglo ne comparandus quidem eſt. Nec tamen bello maritimo magnum adverſus Gallum Britannus operæ pretium fecerit. Tametſi enim claſſis Gallicana penitus profligata foret, Angli tamen, quum jam receptaculum, in quo belli ſedem conſtituant, in continente nullum habeant, exſcenſionem facere in animum haud temere inducent: quin etiam naves prædatoriæ Gallorum magna eis damna allaturæ videntur. Quod ſi eveniret, ut ſemel tantum inſignem in mari cladem Angli acciperent, & navibus appulſis Franci exſcendere in Angliam poſſent, magnum ſane ſalutis diſcrimen Angli adituri eſſent, paucorumque dierum res foret: etenim, quum interiora Angliæ, nullis firmata caſtellis aut locis munitis, ad omnem injuriam pateant, in certaminis aleam ſumma rerum committenda foret. Superiori ſeculo multum quoque

Hiſpaniæ; negotii Gallo exhibuit Hiſpanus, cujus potentia adeo incubuit Galliæ, ut ab ea ſe ægre defendere poſſet, & ſemel iterumque iniquam inire pacem cogeretur. Verum, ut omittam, haud inſtructum fuiſſe Gallum ab idoneo peditatu, Hiſpanicam gentem tum temporis ſumma rei militaris gloria opibusque floruiſſe, quæ jam nunc ad aleam potius, fœdasque voluptates ac malas artes, quam ad armorum tractationem, animum applicuit; ut hæc, inquam, taceam, illud inprimis rem bene penſitantibus in mentem veniat oportet, eo tempore, Belgium ſub unius conjunctum imperio, & in ſummo felicitatis flore fuiſſe, magnamque virium acceſſionem Carolo Imperatoria dignitate factam. Hoc vero tempore Belgium, in multas partes fœde dilaceratum, vix habet, unde, quæ ipſi reliqua ſunt, loca munita præſidio firmet. Eodem ferme modo res ſeſe habet cum Neapolitano Regno, & Ducatu Mediolanenſi. Provinciæ quoque oram adverſus Hiſpanorum impetum munire Gallus nullo negotio poteſt. Atque Hiſpani ſatis magnum operæ pretium feciſſe videntur, ſi prohibeant, ne per Ruſſinonem, aut Navarram, aut Bajonam Gallus in Hiſpaniam irrumpat.

Italiæ; Italia nec vult nec poteſt ullum aperto Marte detrimentum Gallis afferre: ſatisque benigne ſecum Fortunam egiſſe arbitratur, ſi prohibeat, ne eos Alpes aliquando transgreſſos otii Italiæ turbandi libido capiat.

Hollandiæ; Hollandis in Oceano Franci pares haud ſunt, iis in locis, ubi illi quidquid habent virium maritimarum, & contrahere & adhibere, claſſemque rebus neceſſariis ornare poſſunt. Prædando autem ingens in mari damnum Hollandis afferre Galli poſſunt. Ceterum, qua utilitatis & emolumenti ſpe bellum cum Gallis temere ac citra neceſſitatem ſuſcipere Hol-

Hollandi debeant, non video. Nam terreſtri militia, ex omnium gentium colluvie collecta, parum proficient. Helvetiis, ipſorum ſeparatim ſi habeatur ratio, ad bellum Gallo inferendum, ullamque moleſtiam creandam, & vires deſunt, & voluntas; ſatis quippe benigne ſecum agi exiſtimant, ſi pecuniam ſubinde, opera navata, promereri a Gallo queant. Ab eis igitur quod metuat, nihil eſt, dummodo ne temere ad deſperationem adigantur: ita enim, ſocietate cum aliis inita, movere aliquid, & Gallo negotium faceſſere haud difficulter poſſint. Sola Germania par eſſe Franciæ, & increſcentem ejus potentiam quaſi æquilibrio ſuſpenſam tenere poſſe videtur: Ordines quippe Imperii, dummodo mutua animorum conſenſione conſpirent, viresque conjungant, exercitum Gallicis copiis & numero ſuperiorem, nec virtute inferiorem conſcribere, & in longum trahere bellum ac ſuſtinere paribus opibus poſſunt. Verum, ut nunc res ſunt, fieri vix poſſe videtur, ut Ordines, pari quisque animi contentione, bellum diuturnum ſuſcipiant, & ſuſceptum pari item conſtantia conficiant. Neque enim fieri unquam poteſt, ut eadem omnes ſeu ſalutis ſeu utilitatis ratio ad bellum ejusmodi gerendum impellat. Quin immo plerique verentur, ne ſibi ipſa diuturnitas belli domi pernicioſa foret, etiamſi, quod ad rei ſummam attinet, ſuperior res Germanica eſſet. Nam ſi adverſa utantur fortuna, quin miſerrima futuri conditione ſint, dubium non eſt.

Helvetiæ;

Germaniæ;

§. 29. Quod ſi ponamus, a compluribus ſimul hoſtibus Galliam impeti, illud primum obſervandum eſt, nonnullos Reges ac Principes ita comparatos eſſe, ut armorum ſocietatem inire adverſus Galliam, ut nunc quidem res ſunt, in ani-

Reſpectu aliorum.

mum nunquam inducant. Neque enim, hoc rerum ſtatu, Portugallus cum Hiſpano, cum Dano Suecus, cum Polono Auſtriacus contra Gallum ſe unquam conjungent. Nec ullo tempore Principes Italiæ cupido auxilia ferendi ſeu Cæſari ſeu Hiſpano, Gallum oppreſſuris, invadet; niſi quis ipſos ſervitutem & exitium ultro quærere exiſtimet. Nihilo facilius Anglus ac Belgæ Fœderati adduci poterunt, ut ſocietatem contra Galliam faciant, quia, dum alteruter eorum bello cum Gallis implicatus eſt, alterius intereſſe videtur, ut neutrarum ſit partium, & commercia interim ſua ac rem maritimam, detrimento alterius, quantum fieri poteſt, augeat. Nec facile crediderim, Principes Germaniæ, maxime eos, qui vulgo Proteſtantes appellantur, auxilio fore Cæſari, ut Gallum frangat penitus & in ordinem cogat: peſſimo quippe loco eorum & civilis poteſtas & ſacrorum cultus poſitus eſſe videretur, ni foris præſidium, quo nitantur, habeant. Igitur haud difficulter adduci nonnulli Germaniæ Principes poſſe videntur, ut, ſuſcepto cum Gallis bello, ſaltem ab armis ſe contineant, voluntate in neutram partem inclinata. Neque Helvetia temere conſilia cum aliis aut operam conſociaverit, ut vel Auſtriacus Hiſpanusque ad nimiam evehantur potentiam; vel de ſuo gradu dejiciatur Gallus: atque ita Auſtriaci ſociorumque ejus impetum Gallus ſuſtinere nullo negotio poterit. Illud vero in medio relinquam, utrum Gallo Suecus, & item fortaſſe Polonus, hac in parte præſto futuri ſint, nec ne; dummodo vires ipſis ad aliquid movendum ſuppetant. Turcarum autem auxilia reſpicere Gallum, niſi ad extrema conſilia deſcendere neceſſitate cogatur, mihi haud ſit veriſimile: experientia quippe magiſtra

giſtra didicere Principes Mahummedani, ſeſe, ſi quando ſe Chriſtianorum bellis immiſcuerint, pace deinceps inter eos facta, excluſos, nec ullam ſui aut ſuæ utilitatis habitam rationem eſſe. Ceterum, Galliæ vires haud tantæ eſſe videntur, ut omnes Chriſtiani Orbis Reſpublicas evertere & in ſuam redigere poteſtatem queat. Principatum quidem inter Principes Chriſtianos tenere, ſed non in omnes ſolus dominari poteſt; quin immo, ſi imperium foris in magnas nimis & longinquas provincias proferret, futurum eſſet, ut ipſa Regni viſcera enervarentur. Verum tamen, Reſpublicas & provincias minores, quarum opportunus eſt Regi ſitus, in magno verſari diſcrimine, ne ab eo aliquando ſubjugentur, ſecundæ Regni florentiſſimi res haud dubium relinquunt.

CAPUT VI.

DE BELGIO FOEDERATO.

PRovincias, pervulgato *Germaniæ Inferioris* nomine inſignes, prout aut cis Rhenum, antiquiſſimum terrarum ampliſſimarum, Galliæ & Germaniæ, terminum, aut trans eum, poſitæ erant, ita partim ad hanc, partim ad illam antiquitas referebat. Trans-Rhenanas provincias una cum reliquis Galliæ partibus Julius Cæſar ſub imperium populi Romani redegit. Exin Batavia quoque & inſulæ Zeelandiæ ſeſe in deditionem Romanorum permiſerunt, ita tamen, ut iniquo fœdere ſocii verius, quam ipſorum ſubjecti imperio eſſent. Quinto a Chriſto nato ſeculo, quum novum in Gallia Regnum

Priſtinus Belgii Fœderati ſtatus.

Franci conderent, initio eæ quoque Regiones ad imperium Francicum ſunt adjectæ. Poſtea vero quam a Francia ſeceſſionem fecit Germania, pauciſſimæ earum in illius, pleræque in hujus fide ac ditione manſerunt. In hiſce provinciis Præſides, Ducum ſibi Comitumque titulis adſcitis, non omnia quidem, ſed tamen, quæ fere dimidiam eorum partem exhaurirent, ſupremæ poteſtatis jura uſurparunt; quod etiam reliqui Germaniæ Franciæque Principes factitarunt: ii tamen plerique lenitate potius quam ſeveritate populos, quibus præerant, in officio continere ſtudebant. Atque, ut omnis ex eorum animis metu ſuſpenſis ſcrupulus eximeretur, multis eos magniſque commodis ornaverunt, quorum quidem ſtudioſiſſimi ſemper fuere, nec ut ab iis vel latum unguem diſcederent, adduci unquam potuere. Ordinum quoque (ii ex Clero, Nobilitate, & Civitatibus conſtabant) magna ſemper auctoritas fuit: nec ullum ſibi invitis onus inſolitum imponi facile patiebantur. Provinciæ ejusmodi numerantur vulgo XVII. Ducatus quatuor, Brabantia, Limburgum, Luxemburgum, & Geldria. Comitatus ſeptem, Flandria, Arteſia, Hannonia, Hollandia, Zeelandia, Namurcum, & Zutphania. Dominia quinque, Friſia, Mechlinia, Ultrajectum, Tranſiſulania, & Groninga. Antverpia titulo Marchionatus S. Romani Imperii erat inſignis. Suum ſingulæ provinciæ ac peculiarem Regulum habebant. Poſtea vero complures earum ſeu hereditatibus, ſeu connubiis, ſive denique pactis, ſub unius imperium coaluerunt: donec ad extremum maxima earum pars ſub ditionem familiæ Burgundicæ cecidit: ab ea deinceps, Maximiliani I. cum Maria, Caroli Audacis filia unica, conjugio ad domum Auſtria-

XVII. Provinc. Confœderatio.

ſtriacam translata eſt. Omnes tandem Carolus V. ejus nepos, & conjunxit invicem, & imperio ſumma rerum omnium proſperitate florentiſſimo rexit. Sunt qui ei in animo fuiſſe dicant, provincias in unum collectas corpus in Regni formam redigere; ſed, quo minus inſtitutum exſequeretur, obſtitiſſe & legum privilegiorumque diverſitatem, & inteſtinam provinciarum, quæ vel hilum cedere altera alteri, vel mutua voluntatis conſpiratione coaleſcere invicem, obſtinate recuſabant, æmulationem. Verum tamen edicto publico, ne iſta provinciarum compages unquam diſſolveretur, cavit. Ceterum, imperium Carolus in Belgas tam feliciter geſſit, ideo quod is populum ingenti, & eum populus mutua parique charitate proſequebatur. Carolus enim Gandavi natus, & in Belgio a Belgis educatus, magnam inter eos vitæ ſuæ partem transegerat. Præterea ad genium gentis mirifice ſeſe accommodabat, benigne eam tractabat, nullam faſtus imperioſi vel ſuſpicionem, nedum documentum præbens: complures quoque Belgarum ad negotia publica adhibuit: plane ut in ipſius aula ea natio in magno ſemper honore habita fuerit. Ceterum, Philippo II. ejus filio regnante, horrendis motuum inteſtinorum bellorumque diuturnorum procellis jactata eſt miſerrima gens: eæ novæ deinceps & præpotentis in Europa Reip. auſpicia fuere. Ea Reſp. quum magnam rerum converſionem fecerit, operæ pretium eſt, ut & turbarum iſtarum ſemina, & novæ Reip. primordia paulo altius repetamus.

Sub Carolo V. qualis rerum ſtatus.

§. 2 Ac primum quidem omnium conſtat, tumultuum iſtorum cauſſam magna ex parte fuiſſe ipſum Philippum II. ut qui natus educatusque in Hiſpania, Hiſpanicam gentem unice diligeret, &

Belli Belgici quæ incentiva, Philippus II.

& moribus ſuis totaque vitæ ratione ſupercilioſam Hiſpani indolem ad amuſſim exprimeret. Eo factum, ut Belgarum in eum ſtudium vehementer langueſceret: maxime, quum poſtmodum in Hiſpania imperii ſui ſedem in perpetuum collocaſſet, Belgas quaſi ex intervallo ne interviſere quidem dignatus. Scilicet, quod in tanta Regnorum, quæ tenebat, amplitudine, & rerum quas animo agitabat, ſublimitate, indignum ſua majeſtate ratus eſt, ut Belgarum, gentis exiguæ, quiritationibus magnopere moveretur; ſed fugit eum ratio: populum enim tumultuantem in officio continere præſentia ſua haud difficulter potuiſſe videbatur: quum pater ejus, ut motus unius urbis, Gandavi, eo citius ſedaret, per Franciſci, inimici recens reconciliati, fines iter facere, & ſummo ſe periculo exponere non dubitarit. Secundum eum, haud poſtremæ partes fuerunt in turbis iſtis excitandis, Guilielmi, Principis Arauſionenſis; erat is verſuti & exercitati ingenii, & incredibilis ambitionis homo. Is, quum Philippus in Hiſpaniam cogitaret, jamque, cui provinciam demandaret, circumſpiceret, omni ope nitebatur, ut Chriſtinæ Lotharingiæ Duci adminiſtratio Belgii committeretur, in ſpem erectus fore, ut ejus filia in matrimonium ducta imperii ſummam in ſe derivaret. Verum quum neutrum ex animi ſententia procederet, Margarita Parmenſis, Caroli V. notha, ut Belgio cum imperio præeſſet, deſignata; & Philippo in matrimonium illud conſentire abnuente, Auriacus indignatione exſtimulatus, in omnes evomendæ in Regem iræ & nocendi occaſiones intentus, comprobare re ipſa ſtudebat, quantas laceſſitus ad ulciſcendum vires haberet. Vehementer quoque fremebant Egmontanus & Hornanus

Princeps Arauſionenſis.

nanus Comites, aliique, qui, quum apud multitudinem multum poſſent, incredibili Hiſpanorum odio flagrabant. Magna item Nobilitatis pars cupida rerum novarum erat, ſive odio gentis Hiſpanicæ, ſive quod ingenio erant turbulento, ſive egeſtate & ære alieno compulſi, quod ex aulicis multi, dum quaſi inito certamine cum Hiſpanis pompa & omni luxus apparatu contenderent, majoresque, quam pro reditibus, impenſas facerent, contraxerant. Nec ſatis æquus Philippo Ordo Eccleſiaſticus fuerat; quod, quum nova acceſſione Epiſcoporum numerum auxiſſet, ad eos ſuſtentandos, reditibus Abbatiarum, ut vocant, uti inſtituiſſet: ea re vehementer offendebantur illi, quibus iſtorum Sacri Ordinis emolumentorum aut jam conceſſa uſura, aut oſtentata ſpes erat. Antiſtites enim ſeu Abbates ſinguli cujusque cœnobii Monachi ſuffragiis eligebant: Epiſcopos pro lubitu ſuo Rex deſignabat. Sed eæ ſcintillæ tam horrendum excitare incendium haudquaquam potuiſſent, ni Religionis cauſſa acceſſiſſet, res ad imperitam multitudinem concitandam, & ſpecioſum rerum novarum cupidis obtentum ſuppeditandum efficaciſſima. Eorum enim, qui ſeceſſionem ab Eccleſia Romana fecerant, in immenſum numerus creverat, quorum pars Auguſtanæ, pars Hugenoticæ doctrinæ ſtudium, pars denique Anabaptiſtarum furorem præ ſe ferebant. Ad eos comprimendos quum Carolus V. graviſſima promulgaſſet edicta, in quosdam etiam ſeveriſſimæ animadverſionis exempla edidiſſet; magis etiam mentes ante exulceratas exacerbavit, majoremque novis ſectis creſcendi locum dedit. Quo quidem tempore Maria Hungarica, Caroli V. ſoror, eademque Belgii Gubernatrix, benignius mitiusque iſtos homines

Murata Religionis facies.

nes tractandos eſſe, nequidquam cenſebat. Philippo autem omnino decretum erat, ſtabatque ſententia, iſtam, ut appellabat, Hæreſin vi armisque funditus exſtirpare, ſive Religionis Romanenſis ſtudio, ſive quod eo pacto Pontificem, cujus favore ac benevolentia ei ad inſtitutum exſequendum opus erat, devincire ſibi volebat. Igitur, non ſolum paterna renovavit edicta, gravioribusque in delinquentes comminationibus intendit, verum etiam, quod in reos ex eorum præſcripto animadverteret, Concilium Sacrum conſtituere conabatur, *Inquiſitionis Hiſpanicæ* exemplo ad imitandum propoſito: cujus vel ſolum nomen ingentem plerisque omnibus terrorem incutiebat. Enimvero res eſt crudelitatis pleniſſima, *Inquiſitio*, ut quæ paucorum ſacrificulorum inexorabilium, quique in ſumma immanitate ſummam ponunt gloriam, libidini, omnium vitam, fortunas & exiſtimationem exponat: ubi vel ob leves ſuſpiciones, vel falſa crimina derepente comprehenſus, haud raro pœnas, etiam ſi innocentia in aperto ſit, crimine, quod intentatur, & accuſatore, qui indicium fecit, juxta ignotis, luas. Ac Belgæ quidem iſtud monſtrum eo magis perhorrebant, quod non ſolum adverſus ejus diritatem nec in privilegio ullo, nec in gratia Regia, nec in cujusquam deprecatione ſatis firmum præſidium erat; verum etiam quod ipſorum ingenium in immodicam linguæ libertatem ſolutum erat, & animum, quod dicitur, in fronte promtum gerebant. Adde, quod propter mercaturam multum eis commercii cum peregrinis, qui pro ſuo quisque ingenio diverſas ſequebantur Sectas, intercedebat. Hiſpanis autem & Italis, ad diſſimulationem ſua ſponte pronis, animi ſenſa occultare haud eſt difficile. Sunt, qui

Inquiſitio Hiſpanica.

qui Hiſpanis haud invitis factum eſſe exiſtiment, ut aliquid a Belgis moveretur: quippe qui per eam occaſionem fore ſperarent, ut gentem rebellem armis domarent, privilegiisque & immunitatibus abolitis, ad nutum ſuum circumagerent: poſtremo, condito ibi quaſi horreo quodam & armamentario, omnis rei bellicæ apparatu inſtructiſſimo, facultatem haberent belli inde in Galliam, Angliam, Germaniam, regnaque Arctoa transferendi. Illud utique conſtat, Principes exteros magnum ad alendas gliſcentes incendii iſtius ſcintillas, inflammandasque, momentum attuliſſe: maxime, Eliſabetham Anglam, quæ Hiſpano, cujus tum immenſa & toti jam Europæ formidabilis potentia erat, tantum domi negotii faceſſere ſtudebat, ut foris alios laceſſere aut armis opprimere haud temere aggrederetur.

§. 3. Jamque hæ turbarum ſcintillæ gliſcebant in animis Belgarum, quum Philippus II. in Hiſpaniam diſcederet. Is totius rigiminis rationem ita conſtituit, ut Reip. ſumma penes Gubernatricem & Concilium Status eſſet: cui, præter Auriacum Principem, & Comitem Egmontanum, aliosque, inerat Granvellanus Cardinalis, natione Burgundus, vir prudens, & diuturuo rerum uſu exercitatus: ejus conſilio atque auctoritate quum Rex potiſſimum niteretur, Gubernatrici diſcedens clam præcepit ut in poſterum ad ejus ſe conſilia omnibus in rebus conformaret. Ceterum, quum in adminiſtranda Rep. omnia ab unius Cardinalis arbitrio pendere re ipſa compertum eſſet, extemplo ringi & fremere Proceres Belgii, & omnibus ei modis obniti cœperunt: maxime, quum Cardinalis vehementer inſtaret, ut Regium mandatum de conſtituendis Epiſcopis, novisque Sectis abolendis, accurate obſervaretur perficeretur-

Cardinalis Granvellanus.

turque: Proceres autem mitiora ſecuti conſilia, tolerandas, non exſtirpandas, Religiones iſtas cenſerent. Et mox incredibili in Cardinalem odio omnes pene Ordines flagrare incipiunt; adeo ut ad extremum Princeps Auriacus, Egmontanusque & Hornanus Comites, Regi per litteras ſignificarent, niſi abrogata poteſtate homo domum revocaretur, res in Belgio diutius tranquillas haudquaquam futuras. Atque eo rem urgendo deduxerunt, ut tandem Regis conſenſu Cardinalis a gubernaculo Reip. removeretur anno CIↃIↃLXIV. Amandato Granvellano, quum omnibus de rebus Gubernatrix communicaret cum Viglio, Concilii Præſide, & Barlemontio Comite, & ad eorum ſe conſilia ſententiasque unice conformaret, qui veſtigiis Cardinalis ita inſiſtebant, ut vulgo per jocum jactaretur, corpus tantummodo Cardinalis abeſſe, animum remanſiſſe; priſtina poſt brevem lætitiam indignatio, & ex ea querimonia recruduit. Itaque nec diſcordia Concilii Status tolli, nec, quæ de Religionis cauſſa proponebantur, edicta exitum habere poterant, populo magis magisque obnitente. Gubernatrix igitur, re cum Senatu communicata, decrevit, Egmontanum Comitem in Hiſpaniam mittere, qui Regem, ſi quod ipſe rebus exulceratis remedium afferre poſſit, de præſente rerum Belgicarum ſtatu edoceret. Eum equidem benigne excepit Philippus, ſed ut quidquam de nimia, in cauſſa Religionis, ſeveritate remitteret, adduci haudquaquam potuit: quin immo perſuaſum habebat Rex, nimia Gubernatricis lenitate factum eſſe, ut mali iſtius contagio tam late ſerperet. Igitur & edicta majoribus aggravata comminationibus renovari, & ad ultimum Tridentini quoque Concilii ſcita introduci in Belgium juſſit. Nimia iſta ſeve-

veritas, &, qui in vulgus dimanaverat, rumor, egiſſe videlicet Philippum cum Carolo IX. Bojonæ de Hæreſi funditus exſtirpanda, effecerunt, ut Regiæ voluntati palam obſiſtere plerique omnes inciperent. Initium factum a quibusdam e Nobilitate. Ii conſpiraverant, ad *Inquiſitionem*, ut vocant, *Hiſpanicam* cohibendam, & mutuum, ſi cui de Religione controverſia moveretur, auxilium ferendum: teſtificantes interim, non alio conſilio hæc a ſe acta eſſe, quam ut & Dei gloria, & Regis majeſtas, & patriæ tranquillitas ſarta tectaque conſervetur. Fœderis, quod vulgo *Compromiſſum* dicitur, formulam Philippus Marnixius, Dominus Aldegondæ, compoſuit: ei ex Nobilitate circiter quadringenti ſubſcripſerunt. Compromiſſum fœderis ſpeciem exhibens. Principes factionis erant Henricus Brederodius, Ludovicus Comes Naſſoviæ, Principis Auriaci frater, Culenburgicus & Bergenſis Comites. Ii quum anno CIↃIↃLXVI. conveniſſent Bruxellis, exhibito libello ſupplice, a Gubernatrice petierunt, ut edicta adverſus Religionem promulgata abolerentur. Iis liberaliter quidem & benigne reſpondit Gubernatrix, ſed nihil certi promiſit, niſi quod ſe Regis ſuper ea re ſententiam exquiſituram affirmaret. Barlemontius Comes, qui tum Gubernatrici adſtabat, dixiſſe fertur, nihil ab illis hominibus eſſe periculi; *Geuſios*, id eſt, Mendicos, eſſe dictitans. Ex ea re *Geuſiorum* celebratum nomen eſt: peraque mendicorum inſigne fœderis iſtius fuit. Geuſiorum nomen unde. Interim dum hæc geruntur, ſcripta paſſim divulgantur, quæ exulceratos incolarum animos magis etiam exacerbarunt: quumque Legati, oratum, ut edicta mitigarentur, miſſi, haud benigne excepti eſſent, nec petitionibus populi Philippus quidquam loci relinqueret, res ad apertam ſeditionem erupit: jamque non ſolum

 novæ

novæ Religionis myſteria, in magna populi frequentia doceri, verum etiam templa diripi, imagines & ſimulacra comminui a multitudine au-
Iconoclaſia. dacter cœpta. Ad eum tumultum ſedandum etſi Auriacus & Comes Egmontanus omnes curas intendebant, evitare tamen ſuſpicionem apud Regem, tanquam ipſi omnium turbarum auctores fuiſſent, haud potuere. Et quanquam omnes periculi iſtius ſubterfugiendi rationes circumſpiciebant, explicare tamen conſilia nullo modo potuerunt. Conſcripto interim exercitu, Gubernatrix, terrore juxta & blanditiis, variisque artibus, ægros tumultuantium animos perſanare inſtituit: ex iis complures quoque Gubernatricis gratiam obſequio & officio reconciliare nitebantur. Resque adeo proſpere ceſſit, ut Gubernatrix nullo pene negotio, paucorumque ſupplicio, tranquillas res & pacatas redderet. Sed tamen, increbreſcente rumore, exercitum ex Hiſpania adventare, multi e civibus, maxime opifices metu conterriti, ad finitimas regiones commigrarunt. Ipſe Auriacus, rebus ſuis diffidens, in Germaniam ſeſe recepit.

Dux Albanus multa cæde cruentus. §. 4. Auctor equidem Regi Gubernatrix erat, ut ipſe, ſed ſine magno exercitu, in Belgium veniens, ægros incolarum animos, præſentia ſua clementiæ plena, ad ſanitatem revocaret. Sed vicit Albani Ducis conſilium, exiſtimantis, utendum eſſe opportuna, tum jugi Belgis imponendi, tum incutiendi aliis terroris occaſione. Is in Belgium per fines Sabaudiæ & Burgundiæ valido cum exercitu profectus, ſtatim initio adventus ſui Egmontanum & Hornanum Comites, tanquam occultos omnium motuum concitatores, comprehenſos in cuſtodiam tradit: quæcunque, icto ſuperioribus temporibus fœdere, (quod, ut ſupra demonſtravimus, *Compromiſſum* vulgo dicebatur) li-

libello ſupplice & iconomachia acta eſſent, in eam partem interpretatur, ut Majeſtatis divinæ juxta & humanæ læſæ crimen admiſſum eſſe pronuntiaret. Concilium denique hominum duodecim, qui de iis factis ſine provocatione cognoſcerent, conſtituit: id vulgo *Concilium Sanguinarium* dicebatur. Ab eo Princeps Auriacus aliique, qui periculum fuga vitaverunt, adeſſe juſſi, quum non comparerent, rei criminis læſæ Majeſtatis judicantur, bonis eorum in fiſcum redactis. Eadem ſeveritate in complures alios, ſed tenuioris ſortis homines, ſævitum. Is terror magnam hominum multitudinem effuſe fugere in alias regiones coegit. Complura quoque in oppidis majoribus caſtella, quorum princeps Antwerpienſe fuit, extruebantur. Interim dum hæc geruntur, ingentem militum manum Auriacus collegit in Germania: eorum pars Friſiam ingreſſi ſunt, duce Ludovico Comite, eodemque Auriaci fratre; is initio ſtatim Aremburgium Comitem, & provinciæ Præſidem, prælio vicit fugavitque. Sed paulo poſt Albanus, Egmontano & Hornano Comitibus aliiſque ſecuri percuſſis, adverſus eum ipſe ducit. Mox Auriacus valido exercitu irrumpit in Brabantiam; ſed, copiis diſſipatis ab Albano, profligatur. Albanus, proſpero rerum ſucceſſu elatus, non ſolum ſtatuam illuſtrem, parti decoris monumentum, poni juſſit Antwerpiæ; verum etiam, ut, quod ajunt, ſuo Belgas gladio jugularet, centeſimi in ſingula capita omnium facultatum, viceſimi bonorum immobilium, decimi mobilium, ſi venderentur, denarii tributum impoſuit. Ea res Belgarum animos immane quantum exacerbavit. Jamque Albanus, pecuniæ inopia circumventus, nova tributa vi extorquere, Bruxellaniſque ea dependere obſtinate recuſantibus, ac ne conſpectum qui-

Comes Egmontanus & Hornanus capite plexi.

quidem ejus verentibus, exactores admovere parabat; quum nuncius affertur, exſules Belgas (qui quum navibus mediocribus XXIV. infeſtum mare redderent, raptoque viverent, *Geuſii Marini* dicebantur) Brielam Hollandiæ oppidum cepiſſe, ductu Marcani Comitis, anno CIϽIϽLXXI. ipſis Kal. Aprilis. Ibi tum pleræque Hollandiæ civitates, ſeu Hiſpanorum odio, ſeu decimarum indignatione accenſæ, certatim defectione facta rebellarunt, præter Amſtelodamum & Schonhoviam, quæ civitates in fide ad id tempus manebant. Graviter Albanus peccarat, qui quatuor annorum, quibus ad clavum Reip. ſederat, decurſu, oram maritimam haud ſatis munierat. Ducem rebelles & Gubernatorem Auriacum adſciſcunt, eique, tanquam Hiſpaniæ Proregi, ſacramentum dicunt, ut non a Rege, ſed ab Albano defeciſſe videantur. Exin tanta vis navium prædatoriarum coacta eſt e Francia & Anglia, ut quadrimeſtri ſpatio Vliſſingæ claſſis navium centum & quinquaginta conſpiceretur: nec alia res majora deinceps detrimenta Hiſpanis attulit. His malis Albanus, in tanta trepidatione, occurrere mature haud potuit: eo enim ipſo temporis articulo multa Geldriæ, Friſiæ & Tranſiſulaniæ loca Comes Bergenſis in poteſtatem ſuam redegerat: ſimul Montes Hannoniæ, Ludovicus Naſſoviæ Comes, Gallorum adjutus copiis, obſidione tumultuaria ceperat. Eam urbem ut quamprimum ex hoſte reciperet Albanus, omnes curas intendebat. Auriacus, novo apud Germanos exercitu conſcripto, quum Brabantiam omni clade belli pervaſtaſſet, obſidionem ſolvere nequidquam conatus, in Hollandiam ſe recepit. Urbs igitur, omni deſtituta auxilio, per deditionem recipitur ab Albano. Is, quum civitates rebelles vi armiſque in ordinem

Briela occupata.

redi-

redigere ſtatuiſſet, inter alias, Mechlinium & Zutphaniam, milite immiſſo, diripuit, Naerdam funditus evertit, Haerlemum diuturna obſidione cinctum expugnavit; in ſuperſtites cives omni crudelitatis genere ſævitum.

§. 5. Poſteaquam tantam rerum omnium perturbationem nimia & immatura Albani ſeveritas an ſævitia (ipſe enim, quo Belgis præfuit, ſexennio, octodecim hominum millibus, carnificis manu, necem allatam eſſe, gloriabatur) in Belgio peperit, domum ipſe revocatur anno CIƆIƆLXXIII. Ei ſucceſſit Ludovicus Requeſenſius, homo aliquanto lenioris ingenii. Huic initia novæ adminiſtrationis haud ſane læta fuere; claſſe, quam Middelburgenſibus ſubſidio miſerat, in ipſius conſpectu deleta. Middelburgum inde Arauſionenſis per deditionem cepit. Nec tamen omnis calamitatis expers fuit Arauſionenſis. Ludovicus, ejus pater, quum exercitum ad eum duceret e Germania, ab Hiſpanis in itinere oppreſſus vincitur in ericeto quodam (vulgo Mookerheyde dicitur) ad Gravam, & una cum Henrico fratre occiditur. Parta victoria miles Hiſpanicus ob ſtipendium non perſolutum tumultuari & ſeceſſionem facere cœpit; nec Antwerpia, quo ſe receperat, excedere prius, quam ſibi ſatisfactum eſſet, voluit. Inde ad mœnia Lugduni Batavorum admotus exercitus eſt. Ea civitas diriſſimam perpeſſa famem, quum jam nulla ſalutis ſpes reliqua videretur, eo tandem decurrit, ut perfoſſo ad Moſam aggere, vento (is ab Occidente flabat, Caurusque dicitur) æſtum maris incitante, agros circum circa inundaret; ita magna clade accepta diſcedere hoſtis coactus eſt anno CIƆIƆLXXIV. Inſequente anno operam dedit Imperator, ut iſtas turbas ſua auctoritate ſopiret: veneruntque eo nomine utri-

Ludovicus Requeſenes Albano ſurrogatus.

usque partis Legati Bredam, ſi qua conciliandæ pacis ratio iniri poſſet; ſed irrito conatu. Zirickzeam, poſt obſidionem novem admodum menſium, Hiſpanus expugnat. Requeſenſius in ipſa adhuc obſidione mortuus eſt anno CIↃIↃLXXVI. Poſt ejus obitum *Concilium Status* Reip. adminiſtrationem ſuſcepit: eam Rex ratam deinceps habuit.

§. 6. Inter hæc Belgarum in Hiſpanos odium magis indies magisque intendebatur: maxime quod milites, quia ſtipendium ad diem non perſolvebatur, ſeceſſione facta, tumultuabantur, & agros pervagati incolas omni vexationis genere infeſtabant. Itaque in hoſtium numero ſunt habiti a Senatu, incoliſque poteſtas facta adverſus eos arma capiendi. Per eos tumultus Trajectum ad Moſam & Antwerpia diripiuntur ab Hiſpanis. Ea res adverſæ factionis animos ad pacem cum Arauſionenſi faciendam Gandavi impulit; ejus ſumma hæc fuit; ut mutua inter Provincias pax coiret; Albani edicta abolerentur: illud maxime conditionibus cautum, ut omnes ex Belgio Hiſpani pellerentur. Eam pacificationem Rex deinde ratam habuit: quanquam ſecreto diſturbandæ novæ ſocietatis conſilium iniverat. Eam ob cauſſam ad Joannem Auſtriacum, fratrem nothum, ſummam imperii Belgici detulit; Arauſionenſis Belgas, ne nimium ei fidei haberent, admonuit: verum tamen complurium in eum voluntate inclinata, ad ultimum plerorumque ſuffragiis recipitur, ea tamen lege, ut & pacificationi Gandavenſi ſubſcriberet prius, & militem Hiſpanicum dimitteret. Eam pactionem Auriacus & Hollandiæ, Zelandiæque Provinciæ non ſatis æquo ferebant animo. Enimvero propediem ejus fides in dubium vocari cœpta: nec vanam fuiſſe ſuſpicionem, vel illud documento fuit, quod, per ſpeciem inſidiarum, quas

Johannes Auſtriacus Belgio præficitur.

quas ſibi a malevolis ſtrui dictitabat, evitandarum, Namurcum, munitiſſimum oppidum, ex improviſo in poteſtatem ſuam redigeret. Belgæ, ea re vehementer commoti, arma, ad hoſtem Namurco expellendum, capiunt: loca munita, Germanorum firmata præſidio, capta, caſtellis ſolo æquatis. Arauſionenſem quoque, Bruxellas evocatum, ſupremum Brabantiæ Præſidem iidem conſtituunt. Invidioſas Auriaci opes quum ægre paterentur multi e Proceribus, ne juſto majores ſibi vires compararet, novam ei factionem objecerunt. Princeps ejus fuit Areſchotii Dux. Matthias quoque, Archidux Auſtriæ, in Belgium, ut Reip. præeſſet, evocatus, quum propere advenisset, ab ipſa etiam Auriaci factione Dux adſciſcitur, hac tamen conditione, ut ejus Legatus Arauſionenſis foret, nec ipſi, ſine Ordinum auctoritate, de Reip. ſumma decernere quidquam aut agere, fas eſſet. Anno CIↃIↃLXXVII. Joanni Auſtriaco contra cum magna veterani militis Hiſpanici manu ſubſidio venit Alexander, Dux Parmenſis. Is, profligato Ordinum exercitu ad Gemblurium, Lovanium, Philippopolin, & Limburgum cepit. Ordines, quum ſe tantæ rerum moli impares eſſe intelligerent, ſe in fidem ac clientelam primum Henrico III. Gallorum Regi, poſtremo, eo recuſante, ejus fratri, Alenconio Duci, ultro offerebant. Is, accepta conditione, in Belgium ſe contulit. Sed ea quidem tempeſtate haud magnum ab eo operæ pretium factum eſt, diſcordantibus inter ſe Provinciis Optimatibusque, omnique fere parentium juxta & imperantium diſcrimine ſublato. Nova quoque inter Ordines diſſenſio, & ex ea contentio coorta eſt. Erat enim Reformatis, quum id vehementer contenderent, Religionis ſuæ publice colendæ facta poteſtas.

Matthias, Archidux Auſtriæ, in Belgium evocatus.

Nec id ægre ferebant Gandavenſes. Verum Arteſia, Hannonia, aliaque loca Wallonica, cæco avitæ Religionis ſtudio abrepta, acriter ei conceſſioni refragabantur. Itaque, ſeceſſione paulatim facta, novam moliuntur factionem, vulgari *Malecontentorum* titulo inſignem. Inter eas turbas e vita exceſſit Joannes Auſtriacus, Reip. adminiſtratione Alexandro Parmenſi per manus tradita; quæ poſtmodum auctoritate Philippi Regis comprobata eſt. Operum ejus primum fuit, ut, Trajecto ad Moſam expugnato, Provincias Wallonicas, Arteſiam, videlicet, Hannoniam & Flandriam Wallonicam, per conditiones in partes Regias pertraheret.

Factio Malecontentorum.

Dux Parmenſis.

§. 7. Auriacus igitur, quum jam actum eſſe de pacificatione Gandavenſi, nec in tanta Procerum æmulatione, & perpetua populorum ob cauſſam Religionis diſſenſione, ſtabilem unquam concordiam fore intelligeret; ipſe, ſuæ, ac Religionis inſtauratæ, ſecuritati conſulendum ratus, effecit, ut Conventus Ordinum Geldriæ, Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæ & Trajectenſis Diœceſeos indiceretur, anno CIƆIƆLXXXIX. In eo decretum, ut junctis pariter viribus ipſæ ſervitutis jugum a cervicibus ſuis propulſarent, nec de pace, bello, tributisque quidquam, niſi communi omnium conſenſu, ſtatuerent: Religionis denique libertatem ſtrenue tuerentur. Atque hoc Ultrajectenſi (in Trajectina quippe urbe ictum eſt) fœdere Respublica Belgii Fœderati, ceu fundamento, nititur. In illud nomina quoque ſua poſtmodum dedere Tranſiſulania & Groninga Provinciæ. Adeo tenuis autem & afflicta per id tempus res Belgica fuit, ut in primo, quod excudebatur, numiſmate, navis, velis & gubernaculo deſtitutæ, & maris fluctibus jactatæ, figuram, luculentum publi-

Confœderatio Ultrajectenſis.

cæ

cæ miſeriæ argumentum, exprimendam curarent Ordines, cum inſcriptione: *Incertum, quo fata ferant.* In eo fœdere quum omnes ſuas ſpes Arauſionenſis fixas locataſque haberet, ſumma ope nitebatur, ut illa totius Belgii pacificatio, de qua, arbitro Imperatore Romano, Coloniæ Agrippinæ agebatur, impediretur: ut quæ, quum ad univerſam pertineret gentem, peculiare quarundam Provinciarum fœdus haud difficulter infirmaſſet. Quumque in reliquis Belgii partibus pejore indies loco res eſſe inciperent, capientibus aliud ſuper aliud oppidum munitum Hiſpanis, (inter ea numerantur Sylva Ducis, Breda, Tornacum, Valencennæ, Mechlinium, aliaque loca;) multis inſuper illuſtri dignitate viris ad Hiſpanorum partes deficientibus; quumque Arauſionenſis perſuaſum haberet, nullam ultionis occaſionem Philippum prætermiſſurum, nec ejus expertem reliquam, quæ cum Arauſionenſi ſteterat, factionem fore: ipſe tanto ſe oneri imparem ratus, Ordines Belgii perpulit, ut obſequium Philippo renunciarent, quippe qui privilegia jurejurando confirmata violarat; ſimul auctor eis fuit, ut ſummum imperium ad Alenconium Ducem deferrent, ejuſque ſe poteſtati permitterent: pactus interim cum Alenconio, ut Belgii Fœderati Provinciæ ſibi reſervarentur. Jamque decreverant Ordines Hollandiæ, Zeelandiæ & Trajectenſis Diœceſeos, principatum Auriaco deferre; nec in eo, præter Amſtelodamenſes & Goudanos, ulla civitas refragabatur, & rerum haud dubie potitus foret Arauſionenſis, ni repentina morte interceptus eſſet.

Obſequium Philippo renunciatum.

§. 8. Alenconius, ſupremam adeptus poteſtatem, anno CIↃIↃLXXXI. Cameracum ab obſidione Hiſpanorum liberat; inſequente anno Dux Brabantiæ, Antwerpiæ, Flandriæ Comes, Gan-

Dux Alenconius ſuſpectæ fidei.

davi publice renuntiatur. Ceterum, imperium certis circumſcriptum limitibus quum ſuaſu amicorum in dominatum omnibus ſolutum legibus convertere niteretur: initio poſtulavit, ut, ſi ſine liberis decederet, poſt ejus obitum imperium iſtarum Provinciarum Rex Gallorum obtineret. Eam rem quum ad unum omnes abnuerent, improbum & temerarium Antwerpiæ, miſſis eo militibus, ex improviſo opprimendæ conſilium capit: jamque aliquot Gallorum millia vi atque impetu invecta in urbem erant, ſed a civibus cum magna cæde expelluntur. Idem facere quum eodem die in aliis locis tentaſſent, nuſquam fortuna conſilio reſpondit, præterquam Dendermondæ, Dunkerkæ & Dixmuydæ. Quo facto, Belgarum animis a Gallico nomine penitus abalienatis, Alenconius, quum non ſine dedecore & ſummo dolore in Franciam ſe recepiſſet, paulo poſt diem obiit ſupremum. Aliud inde malum acceſſit. Peregrinus miles, quia Galli ſe rebus Belgicis immiſcebant, in Belgium, unde, per pacta cum Wallonibus inita, exire antea juſſus erat, revocatur. Ibi tum Dunkerkam, Neoportum, Vinocibergam, Meninum, Aloſtam, aliaque loca Parmenſis in poteſtatem ſuam redegit, anno CIↃIↃLXXXIII. Yperæ quoque & Bruggæ deditionem faciunt anno CIↃIↃLXXXIV. Eo anno res Belgii Fœderati vehementer eſt concuſſa. Guilielmum quippe, Principem Arauſionenſem, homo profligatiſſimus, *Balthaſar Gerhardus*, natione Burgundus, glande plumbea transverberatum Delfis exanimat in cubiculo. Ita Belgium Fœderatum ſuo orbatum capite, ſtupore defixum, in luctu & ſqualore jacuit.

Princeps Auriacus trucidatur.

§. 9. Guilielmo Auriaco interempto, Ordines præfecturam quidem Hollandiæ, Zeelandiæ & Tra-

Trajecti, defuncti filio, Mauritio Comiti, octodecim admodum annorum adoleſcenti, detulerunt, Legato ei, Comite Hohenloico, adjuncto: ceterum, principatum ſummumque imperium Regi Franciæ obtulere: ſed eum ab omni alieni imperii cogitatione inteſtinæ turbæ ad domeſtica vulnera perſananda averterant. Parmenſis, temporum opportunitate utendum ratus, Antwerpiam fame perdomitam intra annum capit, Tenerimunda quoque, Gandavo, Bruxellis, Mechlinia & Neomago per id tempus potitur. Antwerpia amiſſa, Ordines, qui cujusvis ferre imperium, quam jugum pati Hiſpanicum, malebant, ſummam poteſtatem ad Eliſabetham Reginam nequidquam detulerunt; arctius tamen cum iis fœdus percuſſit Regina, pollicita certum ſe militum auxiliarium numerum in Belgium miſſuram, ſuisque ſuſtentaturam impenſis eſſe; iis copiis, atque adeo univerſo Ordinum exercitui ducem Anglicum ſummo cum imperio præfuturum. Reginæ Ordines, ob pecuniam mutuo datam, Brielam, Vliſſingam, & Rammechaim oppignerant, & donec debitum exſolveretur, in manus tradunt. Ea oppida poſtea decies centenis Imperialium millibus redemta ſunt ab Ordinibus, anno cIↄIↄcxvi. Robertus Dudlæus, Leyceſtriæ Comes, Imperator exercitus Belgici à Regina deſignatus, quum in Hollandiam veniſſet anno cIↄIↄlxxxvi. ſummam præfecturam, ab Ordinibus delatam, ſed majore, quam Regina vellet, poteſtate cumulatam iniit. Ceterum, quum fere res præclare nullas geſſiſſet, exſpectationi hominum nequaquam ſatisfecit. Grava & Venlona oppida, non ſolum capta à Parmenſi, ſed ipſe obſidionem Zutphaniæ ſolvere ab eodem coactus. Mira denique & inepta admi-

Fœdus cum Angliæ Regina percuſſum.

Comes Leyceſtrenſis male commiſſa adminiſtrat.

miniſtrandæ Reip. ratio, qua utebatur Leyceſtrius, Ordines vehementer offendit, atque, ut ejus ſeu ingenio ſeu integritati diffiderent, effecit. Nec mediocriter indignationem auxit inflammavitque Daventria, a Guilielmo Stanlæo, quem ejus urbis præſidio Leyceſtrius præfecerat, prodita Hiſpanis. Inſequente anno Leyceſtrius Sluſam Flandriæ, a Parmenſi obſeſſam, liberare nequidquam conatus, quum in Hollandiam rediiſſet, & nova & inſolita, eoque ſuſpecta omnibus conſiliorum actionumque ratione, Ordines jam ante infenſos magis etiam a ſe abalienaſſet, ad extremum æger animo & indignabundus in Angliam reverſus, præfecturam Reginæ juſſu depoſuit.

In melius vergunt res Belgicæ. §. 10. Belgis Fœderatis (quos *Hollandos* poſthac appellare placet) adhuc quidem haudquaquam ſecunda fortuna fuit: ſed ex hoc tempore paulatim extollere caput, opesque indies magis firmare cœperunt. Ad eam rerum viciſſitudinem Flandriæ & Brabantiæ ruina multum momenti attulit. Ex Provinciæ quum in ditionem Regis ea conditione redigerentur, ut qui nomina dare Eccleſiæ Romanæ nollent, ante certum diem e finibus excedere juberentur: magna hominum multitudo patria extorris in oppidis Hollandicis conſedit, easque ingenti civium numero auxit. Florentiſſima inprimis Antwerpienſis civitatis commercia Amſtelodamum paulatim tranſlata, incredibiles opes viresque maritimas in Hollandia pepererunt. Philippo denique evenit, quod vulgo dicitur: *ut dum uno cane duos ſimul lepores inſectaretur, neutrum caperet.* Etenim, quum & ingenti claſſe comparata Angliam adoriri inſtituiſſet, anno CIↃIↃLXXXIIX. & inſequente anno Parmenſem Principem cum exercitu *Gallicanæ*, ut vocant, *Ligæ* ſubſidio miſiſſet, irrito utrobique eo-

conatu; Hollandis interim majores adverſus hoſtium impetus vires comparandi firmandique ſpatium eſt datum. Spretumque Parmenſis conſilium prudentiſſimum, ſuadentis, ut, priusquam nova bella moveret, Rex omnes ad Hollandos perdomandos vires intenderet. Et vero Hollandorum arma Mauritius poſt diſceſſum Leyceſtrii, Præfectus terra marique ab Ordinibus creatus, terribilia fecerat. Depoſiti tirocinii monumentum fuit Breda per inſidias capta anno CIↃIↃXC. Inſequente anno Zutphaniam, Daventriam, Hulſtam & Neomagum in poteſtatem redigit, & anno CIↃIↃXCII. Steinvicum & Coevordiam. Eodem anno Parmenſis, fortiſſimi Herois obitus, Hiſpanorum opes haud parum perculit: maxime quod ſeditio militaris poſtmodum in exercitu Hiſpanico orta magnam Hollandis arma late circumferendi facultatem præbuit. Anno CIↃIↃXCIII. Gertrudis Mons in conſpectu exercitus Hiſpanici expugnatur. Inſequente anno Groninga deditione capta. Ita cis Rhenum Belgarum Fœderatorum ſtabilitæ res & in tuto collocatæ ſunt. Anno CIↃIↃXCVI. Albertus, Archidux Auſtriæ, Belgii Prorex deſignatus, quum adveniſſet, novæ adminiſtrationis exordium Hulſtæ Flandriæ oppidi expugnatione nobilitavit. Ceterum, quum propter æris alieni magnitudinem Philippus ad tantos ſumtus haud ſufficeret, Albertus, pecuniæ inopia circumventus, non ſolum armis nihil proficere potuit, ſed & non mediocrem ad Tournhoutium cladem accepit. Neceſſitas porro, durum & ingens telum, lucrique cupiditas Hollandos, quæ ad opes ferret, viam edocuit. Iis, quoniam in Hiſpaniam & Luſitaniam, quo adhuc alienis uſi apluſtribus vela facere conſueverant, intercluſa navigatio erat, ſi forte eo pacto commodius redigi

Mauritius Comes dextro Marte pugnat.

Albertus Archidux Auſtriæ.

digi ad obſequium poſſent, in mentem venit, aliarum rerum omiſſa ſpe, remotiſſimas Indiæ oras, navibus petere. Itaque eas primum oras, quæ ad Septentrionem ſpectant, tentarunt, ſi qui per eas aditus viam compendiariam aperiret in Indiam. Sed quum illud non ſuccederet, Africam circumvecti ordinarium tenuere curſum. Ad extremum, quum non ſine magno labore, Luſitanis vehementer obnitentibus, eam navigationem conſtabiliſſent, mercatores, quique opibus affluebant, nec, ubi fœnori pecuniam darent, habebant, complures commerciorum ſocietates inierunt: eas deinceps in unam illam *Indiæ Orientalis Societatem*, publica auctoritate ſancitam, magnisque commodis auctam, Ordines collegerunt CIↃIↃCII. Ejus potentia poſtmodum in India longe lateque propagata, ingentes opes in Hollandiam redundarunt. Anno CIↃIↃXCVII. Rhinbergam, Meurſiam, & quotquot ab Hiſpanis adhuc tenebantur, Tranſiſulaniæ oppida, Mauritius in poteſtatem redegit.

Societas Indiæ Orientalis.

§. II. Anno CIↃIↃXCIIX. Hollandi aliis petuntur artibus. Ab iis quum crebris jactaretur ſermonibus, ſe dominationis Hiſpanicæ jugum in perpetuum excuſſuros, nec ullam reconciliationis ſpem eſſe reliquam, Philippus, ad aſtuta conſilia converſus, Iſabellam Claram Eugeniam filiam Alberto, Archi-Duci Auſtriæ, in matrimonium dedit: dos dicta Burgundia & Belgium, ea quidem lege, ut ſi nulla ex eo conjugio proles ſuſcepta foret, utraque Regio ad Hiſpanum rediret. De ea autem re ſatis certi erant Hiſpani, quod & provectior Regiæ filiæ ætas, & medicamenta, ut ferunt, ſterilitati afferendæ data, omnem ſobolis ſpem præciderant. Ita Belgium Fœderatum, quum a peregrino dominatu liberatum, ſuos jam

Iſabella Clara Eugenia Alberto Archi-Duci Auſtriæ nupta.

ac peculiares Dominos habere videretur, in ſpem erigebantur Hiſpani fore, ut eo facilius cum reliquis Belgii Provinciis coaleſceret: præſertim, quum pace Hiſpanum inter & Gallum apud Vervinos compoſita, præſidio ejus ſocii, qui ceteros viribus anteiret, orbatos ſe eſſe Hollandi intelligerent. Verum in conſilio ſuſcepto conſtantes, Imperatoris Archi-Ducisque, pacem ſuadentium, monita juxta adſpernabantur. Anno cIↃIↃC. Mauritius Flandriam infeſtis copiis ingreſſus, Neoportum obſidione cingere inſtituit. Adverſus eum Albertus citato agmine proficiſcitur. Ibi acri & cruento prælio conſerto, nobilem Mauritius victoriam peperit, qui, ut prælio rem committeret, antea adduci vix poterat: ac ne tum quidem, niſi ſumma neceſſitate coactus foret, in tam anceps prælii diſcrimen rei ſummam commiſiſſet. Itaque, nulla re prætereà geſta, e veſtigio domum ſe recipit. Anno cIↃIↃCI. Oſtendam obſidere Albertus aggreſſus eſt. In ea nihil intentatum vel oppugnantium virtus, vel propugnantium pertinacia reliquit, ut majorene ardore illi pro gloria, an hi pro ſalute dimicarent, haud facile dixeris: ad ultimum, civitas in eas anguſtias redacta, ut intus, ad urbis aditus vallis interſepiendos, ſpatium deeſſet, ad deditionem compellitur ab Ambroſio Spinola. Defenſorum millia LXX. & amplius cecidiſſe memorantur. Hiſpanorum, in oppugnatione cæſorum, multo major initur numerus. Interim dum hæc geruntur, Hiſpanorum claſſis, cui præerat Fridericus Spinola, deletur. Rhenoberga, Gravia & Sluſa a Mauritio Comite capiuntur. Anno cIↃIↃCV. Lingam, Grollam, Rhenobergam Spinola ex Hollandis recepit: Mauritius, Antwerpiæ adſidens, nonnihil cladis accepit. Facinorum in hoc bello illuſtrium poſtremum

Prælium prope Neoportum.

Oſtenda infeſtatur.

mum edidit Jacobus Heemſkerkius, qui claſſem Hiſpanicam in portu freti Gaditani ſtantem incendit; factique nobiliſſimi gloriam ſua morte redemit. Hiſpanus quum Hollandiam armis domari nullo modo poſſe (quantum enim temporis bello, tantum Hollandis virium adjiciebatur) intelligeret, ſibique a Gallo metueret, & ipſe denique ita exhauſtus bello eſſet, ut ne reſpirare quidem poſſet, nullam belli finiendi conditionem recuſare decrevit. Enimvero quanto pacis deſiderio Hiſpanus flagrarit, vel illud documento eſt, quod Hagæ Comitis potiſſimum de pace agi haud invitus pateretur, miſſo ad id ipſo Spinola Legato, quum e contrario Hollandi faſtidioſos ſe & difficiles præberent. Diu acriter certatum, magnisque contentionibus ultro citroque agitata res eſt, antequam induciæ in annos duodecim fierent. Illud inprimis multis difficultatibus impeditum negotium reddidit, quod Hollandi, ut liberi omnino nec ullius obnoxii imperio ab Hiſpano declararentur, enixe poſtulabant, nec ab eo deduci poterant: ea autem conditio quum accipi ab Hiſpano nec poſſet nec deberet, aliam inire rationem placuit: Hiſpanus & Albertus declararunt, ſe cum Belgis Fœderatis tanquam cum populo libero acturos eſſe de pace. Sed quum & illud recuſarent, Janninus Præſes, qui nomine Galli pacificationi interfuit, *illud*, inquit, *verbulum*, *nec vires Hiſpanorum augebit*, *nec veſtras imminuet*: neque enim verborum momentis, ſed armorum robore, niti ſecuritatem libertatemque debere. Induciis cautum erat, ut quæcunque eo tempore loca Hiſpani Belgæque Fœderati tenerent, ea utrique ſarta tectaque relinquerentur. Navigationem & commercia Indiæ Orientalis Hollandi, quum

Induciæ Belgicæ.

ea

ea eripere ipſis Hiſpani niterentur, obtinuerunt. Inducias autem cur Hollandia rebus florentiſſimis fecerit, ea videtur cauſſa potiſſima, quod Gallum ſuſpectum habebat, verita, ne is Flandria ex improviſo oppreſſa, Hollandorum deinceps ſaluti ac libertati immineret. Adde, quod auctoritas Mauritii, quæ non alio, quam belli tempore, major eſſe conſueverat, gravis nimis & periculoſa libertati videbatur. Inde primum Hollandia gradum ad juſtæ & legitimæ Rejpubl. formam fecit anno CIↃIↃCIX.

§. 12. Vixdum inteſtinum cum Hiſpanis bellum ad aliquod tempus conſopitum induciis erat, quum ecce controverſia de Ducatu Juliacenſi agitata novis Hollandiam turbis implicuit. Imperator, quum eas terras poſt obitum ultimi Ducis adjicere Imperio ſuo pervellet, Leopoldum Archiducem Auſtriæ miſit, qui eas, tanquam ſequeſter Cæſareus, in poteſtatem redigeret. Ab eo Juliacum, oppidum munitiſſimum, captum eſt. Sed ab Hollandis, Gallorum ope adjutis, paullo poſt pulſo Leopoldo, receptum. Exin inter Brandeburgicum & Neoburgo-Palatinum, qui temporariam de regionibus iſtis pactionem fecerant, controverſia orta eſt. Hic Spinolæ auxilium implorat; quum Veſaliam cepiſſet, Hollandi, copiis Brandenburgico ſubſidio miſſis, Retzum & Emmericum præſidio firmant. Ita implicita bello Belgico terra Clivienſis fuit. Contentiones Juliacenſes.

§. 13. Dum ita foris bellum geritur, novæ rem Belgicam turbæ contentionesque cum Arminianis, ſeu, ut vulgo vocant, *Remonſtrantibus*, graviſſimis odiis exercebant. Eæ partim ex civili æmulatione, partim ex continuis Eccleſiaſticorum altercationibus originem traxere. Guilielmum Principem ſummum Belgii Fœderati imperium clandeſtinis artibus affectaſſe, ſupra de- Inteſtinæ Remonſtrantium diſcordiæ.

 mon-

monſtravimus : nec ad eam rem perficiendam quidquam ei, præter paucorum ſuffragia, defuit. Ea dominandi libido quum Mauritio filio quaſi per manus tradita eſſet, ex Proceribus nonnulli reſtiterunt, cauſſantes, periiſſe omnem laborum periculorumque, quibus ad tuendam libertatem ſuperioribus temporibus defuncti eſſent, fructum, ſi nihil aliud, niſi majoris Domini cum minore permutationem, aſſecuti forent. Princeps factionis erat Joannes Barneveldius, Reip. Belgicæ Syndicus, idemque perpetuus libertatis patriæ defenſor; ſed quum tempore belli magna ducis auctoritas eſſet, Mauritius omnes cum Hiſpano pacificationes impedire ſumma ope nitebatur. Barneveldius contra, ut induciæ cum Hiſpano fierent, omnibus viribus contendit, propterea quod in otio & pace ingraveſcens per armorum ſtrepitum auctoritas Præfecti militiæ coerceretur. Nec immemori ea facta injuria erat : ex eo quippe tempore Mauritius Comes in omnes ultionis occaſiones intentus fuit. Inter hæc Jacobus Arminius, Theologiæ apud Lugdunenſes Profeſſor, mitiora, quam pro conſuetudine Reformatorum, de Prædeſtinatione, aliisque, quæ eo pertinent, quæſtionibus, dogmata auditoribus tradiderat. Ejus ſententiam, poſt ipſius obitum, Franciſcus Gomarus, ejuſdemque Academiæ Doctor impugnare aggreſſus eſt. Ea animorum contentio quum latius indies ſerperet, factum eſt, ut cum Gomaro Paſtores plerique omnes, cum Arminio Primores Reip. ſtarent. Sed voluntate plebis, ut fit, in Paſtores inclinata, Mauritius quoque (is, poſt obitum fratris natu maximi, Principis Arauſionenſis titulo inſignis erat) ſeſe cum Gomariſtarum cauſſa conjunxit. Coorto deinceps tumultu compluribus in locis, veluti Alcmariæ,

Lu-

Lugduni Batav. & Ultrajecti, Princeps utendum occaſione ratus, Magiſtratibus paſſim, quod cum Arminio facerent, imperium abrogavit. Barneveldium quoque & Hugonem Grotium per eamdem cauſſam comprehendi juſſit. Cauſſa ex ipſius præſcripto ab Ordinibus diſceptata, Barneveldius, jam ſexagenarius capite mulctatur, Grotius ad perpetuum carcerem damnatur. Is poſtmodum uxoris beneficio, arcæ (quam libris repletam aſtuta fœmina fingebat) incluſus, quum cuſtodes fefelliſſet, periculum effugit. Etſi vero Arminii dogmata in Synodo Dordracena damnabantur anno cIↄIↄcxxix. Principis tamen, qui in virum de Rep. optime meritum durius conſuluiſſet, ſeveritas multos vehementer offendit. Exin utraque factio adeo crevit, tantaque in Rep. radices egit, ut ei ad extremum aut exitium, aut ingentem ſaltem rerum converſionem allatura videretur.

§. 14. Verum inteſtinos motus imminens foris periculum diſcuſſit. Exeuntibus anno 1621. induciis cum Hiſpano factis, quum anno cIↄIↄcxxi. ad arma denuo itum eſſet, Spinola Juliacum cepit. Bergam ad Somam quum obſidione cinxiſſet, re infecta diſceſſit, quod Mansfeldius & Chriſtianus Dux Brunſvicenſis, prælio cum Hiſpanis ad Fleurium oppidum commiſſo, Hollandis auxilio venerant. Spinola, ut eam ignominiam ultione deleret, Bredam obſidere inſtituit anno cIↄIↄcxxiv. Eam obſidionem quum ſolvere Mauritius nequiſſet, Antwerpienſi quoque caſtello fruſtra tentato, mœrore confectus obiit anno cIↄIↄcxxv. Breda paulo poſt fame compulſa deditionem fecit. Mauritio in præfectura & reliquis muneribus frater Fridericus Henricus ſucceſſit. Ab eo Grolla capitur anno cIↄIↄcxxvii. Hiſpanica claſſe, quæ argentum vehebat, Petrus Heynius anno

Bellum Hiſpanicum recrudeſcit.

Fridericus Henricus Princeps.

CIƆIƆCXXIIX, & inſequente anno Sylva Ducis Princeps Arauſionenſis potitur. Eo urbem oppugnante, Hiſpani interim, ut ab obſidione hoſtem averterent, Velaviam infeſto agmine ingreſſi, Hollandis ingentem terrorem injecerunt. Sed cognito, Veſalium eodem die ex improviſo captum ab Hollandis eſſe, præcipite fuga trans Iſalam amnem hoſtes ſe receperunt. Jamque Hiſpani de Hollandis vi armisque unquam perdomandis deſperare cœpere. Anno CIƆIƆCXXX. Hollandi opes ſuas firmare occipiunt in Braſilia. Inſequente anno aliquot Hiſpanorum millia, parvis navigiis impoſita, & in altum provecta (quo conſilio, incertum,) Hollandi ex improviſo opprimunt haud procul Berga ad Somam. Venloa, Ruremunda, Limburgum, & Trajectus ad Moſam ab Arauſionenſi in poteſtatem rediguntur anno CIƆIƆCXXXII. Ad Trajectum ad Moſam, Pappenhemius urbem obſidione liberaturus, prælio conſerto, magnam cladem accepit. Anno CIƆIƆCXXXIII. Rhinobergum Arauſionenſis, inſequente anno Limburgum Hiſpanus capit. Anno CIƆIƆCXXXV. fœdus cum Belgis Fœderatis Gallus contra quoscunque & communes utriusque hoſtes percuſſit, hac conditione, ut Provincias Hiſpano-Belgicas, quas animo jam ante devoraverant, inter ſe partirentur. Sed haud magnum ejus fœderis momentum fuit, nec id diſſolvi ægre patiebantur Hollandi, vicinam in continenti potentiam Galli reformidantes; arx quoque Schenkiana tumultuaria oppugnatione ab Hiſpanis capta eſt: eam Hollandi ex Hiſpanis ægre receperunt anno CIƆIƆCXXXVI. Breda ab Arauſionenſi, Venlona & Ruremunda ab Hiſpanis recuperatæ ſunt anno CIƆIƆCXXXVII. Anno CIƆIƆCXXXIIX. Hollandi, prælio ad Calloum commiſſo, ingenti clade afficiuntur. At vero anno

anno cIↃIↃCXXXIX. ingens Hiſpanorum claſſis penitus deletur a Martino Trompio, ad oppidum Duyni. Ea una cum Danis Sueciam de improviſo invadere infeſtis copiis inſtituerat. Anno cIↃIↃCXLIV. & inſequente anno Hulſtam Guilielmus II. patri ſuffectus, expugnat. Sunt, qui Antwerpiam ab eo capi potuiſſe exiſtiment, dummodo per Zeelandos & Amſtelodamenſes, qui ex ejus urbis ruinis ad tantum faſtigium adſcenderant, licuiſſet. Pace tandem inter Hiſpanum Belgasque Fœderatos Monaſterii compoſita anno cIↃIↃCXLIIX. Hollandi, gens libera, & in quam Hiſpano nihil juris eſſet, pronunciantur: Gallo & Arauſionenſi ei pacificationi nequidquam obnitentibus; Hollandiæ autem, cur bellum diutius gereret, cauſſæ nihil eſſe videbatur, propterea quod omnibus poſtulatis Hiſpanus ſtatim annueret: adhæc metuebat Hollandus, ne ex afflictis Hiſpaniæ rebus nimium ſibi virium Gallus compararet. Denique Hollandia Provincia gravi ære alieno erat obruta. Ita bellum hoc diuturnum finitum eſt a Rep. Belgica juxta & Hiſpano; ſed diſſimili eventu. Illi quippe magnam ea pacificatio gloriam, huic ingens dedecus peperit. Adde, quod Hiſpani vires diuturnitate belli vehementer ſunt exhauſtæ. Quanquam, dum bellum Hiſpanicum gerebatur, Belgarum cauſſæ omnes fere, præterquam qui Hiſpanicarum partium erant, faviſſe, cognitum eſt; tamen, pace confecta, Gallorum Anglorumque, quorum præſidio Resp. ad hunc diem nitebatur, invidia confeſtim prorupit e latebris.

Guilielmus II. Princeps.

Pacificatio Monaſterienſis.

§. 15. Sed Hollandis haud diuturnum ab armis otium fuit. Ac primum quidem omnium Braſilia rebellat, & ad Luſitanos, priſtinos ejus terræ dominos, deſciſcit. Ea defectione uti negotiatio

Bellum Portugalenſe.

Societatis Indiæ Occidentalis vehementer eſt labefactata, ita magna ad eam, quæ commerciorum cauſſa *Indiam Orientalem* navibus petebat, commoda redundarunt. Bello quippe per eam occaſionem cum Luſitanis orto, & ad annum CIↃIↃCLXI. continuato, pleraque Indiæ Orientalis loca Luſitanis Hollandi eripuerunt. Anno CIↃIↃCL. in Hollandia graviſſimus evenit caſus, qui, niſi in tempore occurſum ei foret, majus etiam malum haud dubie peperiſſet. Pace cum Hiſpanis facta, nonnulli ex Ordinibus, & maxime Hollandiæ Provincia, poſtulant, ut ad ſublevandos ſumtus aliqua exercitus pars dimittatur. Eis ſe oppoſuit Arauſionenſis, dictitans, haud e Rep. eſſe, eam, dum bellum inter Gallum Hiſpanumque maneret, copiarum præſidio nudari. Re diu multumque agitata, quum inter eos haud conveniret, Ordines plerique omnes, qui Arauſionenſi favebant, decernunt, ut Princeps ipſe ad ſollicitandos Magiſtratus paſſim civitates adiret. Ejus adventum Hollandiæ civitates, & maxime Amſtelodamenſis, deprecabantur, veritæ, ne quid Magiſtratibus immutandis, aliiſque rebus innovandis, contra libertatem moliretur. Eam rem, utpote contumelioſam, & perſona, quam ſuſtinebat, indignam, ægre Princeps tulit, ſibique ut de iſta injuria ſatisfieret, poſtulavit. Civitates contra, nihil ſe, niſi quod & legum & libertatis ſuæ ratio ferret, petere, pertinaciter contendebant. Princeps inde ſex e primoribus Ordinum, quos ſibi potiſſimum adverſari rebatur, comprehenſos, & in arcem Loevenſteiniam adductos, in carcerem conjicit: primus erat Wittius, Conſul Dordracenus. Milites quoque Amſtelodamum verſus clam proficiſci jubet, ut eam urbem in poteſtatem redigeret: verum quum aliqua copiarum pars
per

per nocturnas tenebras longius aberraſſet, conſilium detegitur a tabellario Hamburgenſi. Jamque urbem vi perdomare Princeps parabat, quum, perfoſſis aggeribus, diductisque cataractis, omnes circum circa agros aquarum eluvio inundaret. Ad ultimum, res componitur, ut Principi quodammodo ſatisfieret; conditionibus cautum eſt, ut Bickerus, Conſul Amſtelodamenſis, ab adminiſtratione Reip. ſubmoveretur; qui Loevenſteinii captivi detinebantur, ea dimitterentur lege, ut omnibus dignitatibus privarentur. Periculum erat, ne ea contentio graviora deinceps mala Reip. accerſeret, ni paulo poſt vitam cum morte commutaſſet Arauſionenſis. Uxor ſuperſtes Guilielmum III. Principem Arauſionenſem, qui hoc tempore rerum potitur, enixa eſt, octavo, quum maritus e vita exceſſerat, die, a. d. XIII. Novemb. CIↃIↃCL. Indicto omnium Ordinum conventu Provinciæ Fœderatæ, ſuo jam orbatæ Præfecto, firmiorem de integro ſocietatem ineunt anno CIↃIↃCLI.

§. 16. Nec ita multo poſt atrociſſimum bellum inter Hollandos & Ordines Anglicanos conflatum eſt. Hi, quum Hollandorum amicitiam initio cupidiſſime expeterent, eo nomine Legatum, nomine Doriſlarium, Hagam Comitis miſerant. Is, antequam ad mandata exponenda publice admitteretur ad Conſeſſum Ordinum, interfectus eſt a nonnullis Scotis perſonatis. De ea cæde quum Anglis haud ſatisfactum eſſet, Ordines Britanniæ, indignatione commoti, alieniore ab Hollandis animo eſſe cœperunt. Ea re Belgæ haud magnopere movebantur, quippe qui Anglos, antequam Scoti perdomiti a Cronvellio & in ordinem redacti eſſent, parum reformidabant. Exin denuo ab Ordinibus Anglicanis Legati mit- Bellum cum Cromvellio.

tuntur Hagam Comitis. Verum quum & res ab Ordinibus Fœderatis in longum extraheretur, & Legati a multitudine multis contumeliis afficerentur, ipſi indignabundi, re infecta, diſceſſerunt. Ibi tum Ordines Anglicani, jure talionis utendum rati, merces peregrinas non niſi navibus Anglicanis in Angliam importari vetuerunt. Moxque prædones naves onerarias Hollandorum frequentes invadebant. Hollandi, quum inter ipſos non admodum conveniret, ad ultimum omnia prius experiri, ſi qua rei conditionibus componendæ ratio iniri poſſet, vel ſi id minus procederet, tum demum ad arma ire ſtatuerunt. Itaque Legati mittuntur in Angliam. Trompius autem in mare cum claſſe provectus, ut navibus onerariis præſidio eſſet, quum Blackio, Anglorum Archithalaſſo, obviam venienti, ſubmittere apluſtria recuſaret, atrox inter utramque claſſem certamen, ſed pari utriusque clade, conſertum eſt. Quanquam Hollandi prælium forte fortuna, ſeque imprudentibus, commiſſum eſſe contendebant, bellum tamen pari utrinque ſtudio apparabatur. Exin duobus præliis ita decertatum eſt, ut res Anglica ſemper ſuperior eſſet. Sed tamen poſtea Angli quoque acie confligentes, calamitatem acceperunt ad Portum Liburinum. In poſteriori prælio naves bellicas XXVII. Hollandi amiſerunt. Trompius ipſe, celeberrimus ille rei maritimæ apud Batavos Præfectus, cecidit. Itaque pacem facere Hollandi, non ſine ingenti Cronvellii utilitate juxta & gloria, coacti ſunt. Ea pacificatione Hollandi, ne quid ad dedecus deeſſet, receperunt, ſe poſthac e familia Arauſionenſi neminem Reip. præfecturos eſſe. Ceterum, Hollandi, quum parvas nimis naves ſuas eo tempore fuiſſe intellexiſſent, erratum iſtud deinceps emendarunt. Inſe-

ſequente anno Belgæ Fœderati, quum lætas nimis Suecorum res in Polonia, invidia concitati, ægre ferrent, omnibus modis impedire ſtudent, quo minus Pruſſiam in poteſtatem Suecus redigeret. Danum quoque ad bellum Suecis inferendum incitant. Eo bello inferior res Danica fuit. Hafniam obſidione cinctam anno CIↃIↃCLIIX. Hollandi claſſe immiſſa quum liberare niterentur, acerrimum in freto Danico prælium cum Suecis conſeritur: eo prælio etſi duo Hollandorum Archithalaſſi deſiderati ſunt, Hollandi tamen quod ceperant de obſidione ſolvenda conſilium exſecuti ſunt. Inſignem quoque operam navarunt in ea pugna, quam cum hoſtibus Dani commiſerant in Funia inſula. Ad ultimum anno CIↃIↃCLX. pax confecta eſt ad Hafniam: Dano haud ſane lætante, qui Belgas Fœderatos accuſabat, quod ipſi ad Suecos ulciſcendos intento, ea qua oportebat, alacritate haud præſto fuiſſent. Verum enim vero metuebant Hollandi, ne Gallus & Anglus Suecorum cauſſam defendendam ſuſciperent, & in ipſos arma converterent: adde, quod haud e re ſua eſſe exiſtimabant, ut nimias ſibi opes Danus compararet. Æmulatio cum Suecis.

§. 17. Vixdum Batavis paucorum annorum otium ab armis erat, quum ecce atrociſſimum denuo bellum cum Anglis coortum eſt anno CIↃIↃCLXV. qui florentiſſima illorum commercia, vireſque maritimas, ægre patiebantur, & a ſuis rationibus inprimis aliena eſſe exiſtimabant. Faces flammæ ſubjecit Gallus, qui potentiſſimarum Rerumpubl. opes mutuis atteri contentionibus vehementer cupiebat. Eo bello, in primo tertioque prælio res Anglicana; in ſecundo, res Batava ſuperior fuit. Verum, quum pecuniæ parcere, nec claſſem ornare Angli vellent, prædoni- Bellum Anglic. II.

bus tantum, qui Batavorum naves infeſtarent, immiſſis: Batavi, navibus in Tameſin deductis, exſcenſionem facere ad Chattamum auſi, complures in portu naves deleverunt. Itaque Angli in eas anguſtias redacti ſunt, ut pacem facere cogerentur Bredæ conciliatore Sueco. Hoc bello inuſtam Cronvellii temporibus maculam Batavi eluerunt quidem, ſeque navali acie Anglis nihil concedere oſtenderunt: ceterum, quam infirmæ terreſtres eorum copiæ eſſent, vexationes, quibus eorum agros Epiſcopus Monaſterienſis, homo turbulentus, fœdavit, documento fuere.

Bellum cum Anglis & Gallis.

§. 18. Ad extremum terribilis in Remp. Belgicam procella incubuit anno CIↃIↃCLXXII. quæ initio exitium ei portendere videbatur, quum impetum in eam & terreſtribus copiis Gallus, & maritimis Britannus pariter facerent. Res incredibilis dictu. Paucorum dierum ſpatio Geldriam, Transiſalaniam & Diœceſin Trajectenſem ditionis ſuæ Gallus fecit. Ea res tanto omnium animos pavore complevit, ut ſi primo ſtatim impetu, terrore late fuſo, Amſtelodamum ire infeſtis copiis hoſtis perrexiſſet, urbem florentiſſimam capi haud difficulter potuiſſe, nonnulli exiſtiment. Nec quidquam, quo minus res confieret, obſtitiſſe dicitur, niſi quod Rochefortius, Amſtelodamum tentare juſſus, contra mandatum Regis biduum Trajecti commoratus, vanis gratulantium vocibus & inanibus verborum lenociniis aures ſibi demulceri paſſus, Amſtelodamenſibus interim ad vires recolligendas & confirmandas ſpatium dedit. Illud quoque Batavorum animos vehementer recreavit, quod obſidionem Groningæ ſolvere Epiſcopus Monaſterienſis coactus eſt, qui una cum Archiepiſcopo Colonienſi partium Francicarum erat. Inſequente anno Trajectum ad Moſam Galli

li magna vi capiunt. Batavi, quum præliis navalibus quatuor rem bene geſſiſſent, jamque Gallis clam invidere Ordines Anglicani cœpiſſent, pacem cum Anglis ſeorſim fecere, Hiſpanorum Rege interprete. Batavorum cauſſam palam defendendam quum Imperator & Hiſpanus ſuſcepiſſent, Gallus, ingenti civitatibus ſubactis ſtipendio, ad exuſtiones redimendas, imperato, præſidia ex iis deduxit. Naerdam & Gravam Batavi ex hoſtibus vi recipiunt. Ita omnia, quæ Gallus ceperat loca, recuperata, excepto Trajecto ad Moſam. Rhenoberga in ditione Archiepiſcopi Colonienſis, cujus alioquin id oppidum erat; Clivienſes civitates in poteſtate Electoris Brandenburgici permanſerunt. Arauſionenſem id bellum non ſolum ad avitum faſtigium extulit, ſed prope in meliorem dignitatis & honoris conditionem, quam qua majores fuerant, collocavit. Multitudo quippe Arauſionenſi familiæ ſua ſponte fautrix, quum ſecundis nimis Gallorum rebus attonita ſuſpicaretur proditam Remp. ab Optimatibus eſſe, & ab eorum perfidia omnia mala proficiſci, ſimul res collapſas inſtaurari non niſi ab Arauſionenſi poſſe perſuaſum haberet: in omnibus pene civitatibus tumultuari cœpit. Seditionibus ſedatis, Arauſionenſis in locum veterum Magiſtratuum (nam ex iis complures abrogaverat) novos ſuffecit, atque eos, quorum in ſe benevolentiam perſpectam haberet. Per eas turbas germani fratres, *Joannes* & *Cornelius Wittius*, miſerandum in modum obtruncati ſunt, & diſcerpti a furibunda plebe Hagæ Comitis. Permulti ſunt, qui exiſtiment, eos, & maxime Joannem, qui tam multos annos ad clavum Reip. sediſſet, non ita de Rep. meritos eſſe, ut tam indigna cæde perire deberent. Arauſionenſis, quanquam ad

ad convulſam inteſtinis turbis Remp. inſtaurandam non parum momenti attulit, poſtea tamen in bello cum Gallis haudquaquam ſecunda fortuna uſus eſt: prælio quippe ad Genapum anno CIↃIↃCLXXIV. commiſſo; inde in obſidione Trajecti ad Moſam anno CIↃIↃCLXXVI. poſtremo Fanum S. Audomari obſidione liberaturus anno CIↃIↃCLXXVII. calamitatem aliquam accepit. Nihilo felicius rem geſſerunt naves, Siciliæ ſubſidio miſſæ. Ad ultimum, metus potiſſimum, ne quid detrimenti, ſi bellum continuaretur, libertas caperet, effecit, ut pax cum Gallo ſeorſim a cæteris conficeretur, ea lege, ut Trajectus ad Moſam Batavis reſtitueretur.

Genium & indoles nationis.

§. 19. Incredibili hominum multitudine Septem Fœderati Belgii Provinciæ frequentantur. Sunt, qui amplius bis centies quinquies centena hominum millia in ſola Batavia numerari putent. Ea hominum frequentia induſtriæ, commerciorumque, quæve ex eis manant, divitiarum potiſſima cauſſa exiſtit: absque iis enim rebus foret, ut fame pereundum eſſet mortalibus in terra non adeo fertili, & ubi ſumma rerum omnium caritas eſt, degentibus. Maxima hominum pars ex aliis regionibus eo migravit; e Gallia inteſtinæ turbæ, ex Anglia immoderatum Mariæ Regnum, e Germania bella diuturna permultos ſedes eo & domicilium transferre coegerunt. Plerique tamen omnes ex reliquis Belgii Provinciis, quæ poſt ſeditionem in ordinem redactæ ab Hiſpanis & perdomitæ ſunt, eo commigrarant. Alliciebat peregrinos opportunus terræ ſitus, Reip. juxta & Religionis libertas, accurata Politiæ univerſæ diſciplina, negotiationes commerciorum per univerſum orbem, qua litteris, qua mercibus exercendorum, opportunitas, inſignis denique Ordinum glo-

gloria, rebus domi prudenter, foris præclare geſtis parta. Nec ab eorum finibus quisquam arcebatur, qui vel opes, vel, qua victum quæritaret, artis peritiam afferret: quin immo tutum omnibus miſeris & potentiorum alibi injuria oppreſſis perfugium dabatur. Ingenio ſunt Belgæ fere omnes aperto & candido, in ſermonibus & quotidiana conſuetudine ſolutiores, multum ſibi indulgent: bilis, ut in hominibus natura ſua frigidiuſculis, haud facile commovetur: mota tamen implacabiliter effervеſcit. Humaniter ac benigne gens omnis inſolentiæ impatiens & citra arrogantiam tractari gaudet. Ad ejus genium ubi te accommodaveris, circumagere eam ad nutum tuum poteris. Quapropter Carolus V. dictitabat, *nullam eſſe gentem*, (modo paterne & benigne habeatur) *quæ ſervitutis nomen magis exſecretur*, *ſervitutem magis patiatur*. Plebs tamen haud bona: cui proprium hoc & quaſi nativum vitium eſt, ut Magiſtratus, ſi non ex ejus libidine Remp. adminiſtrent, criminetur & conviтiis proſcindat. Ad terreſtrem militiam parum idonei ſunt Belgæ, & fere equo inſidens Batavus ludibrium omnibus debet. Peritiores tamen & meliores ſunt Geldri, quique ad Weſtphaliæ fines ſpectant, mediocri ſaltem rei militaris uſu conſpicui. Rei autem maritimæ peritiſſimi, egregia in bellis navalibus virtutis documenta dedere, ut hac in parte nulli omnino genti concedant. Audacia tamen & ferocitate Batavos ſuperare putantur Zeelandi, ad quævis maris diſcrimina ſubeunda promti. Belgæ plerique omnes frugales ſunt: & exiguo ac parabili victu contenti, in adminiſtranda re familiari non ita rationem ſubducunt, ut annuos reditus quotannis decoquant; ſed ut aliquid, quod in lucro deputetur, ſuperſit, ſedulo provident. Ea par-

Enimvero magnas eis utilitates præſtant flumina, Rhenus maxime & Moſa; ut hac in parte Anglorum mercaturæ Batavica negotiatio immane quantum præſtet: Angli rurſus & portus meliores & littora puriora habent. Reſtagnantibus autumno aquis quotannis Batavia inundatur: ea re quum craſſior aer & peſtilentior fiat, ſingulari quadam naturæ providentia Auſter, qui ſub id tempus frequenter flare conſuevit, purgato a noxiis vaporibus cœlo & refrigerato, valetudini incolarum ſervit: ceterum, congelata frigoribus aqua, ſtationes navium per tres menſes præcluduntur: Anglorum autem portus per id tempus perpetuo patent. Ad hæc mercaturam in omnes fere totius orbis angulos diffuſam Batavi exercent: nec parum ad eam rem facit caſtellorum atque coloniarum & urbium recentium, quas in longinquis terris obtinent, multitudo. Societas Indiæ Orientalis maxime opes Reip. & commercia ingentibus acceſſionibus auxit: ea quippe oram illam longe lateque patentem, & opibus florentiſſimam, a Baſora (ubi Tigris fluvius in ſinum Perſicum evolvitur) uſque ad extremas Japoniæ oras porrectam, commerciis frequentat: fœderibus cum multis Orientis Regibus juncta, & de monopoliis pactionem cum haud paucis eorum fecit: multa inſuper loca munita tenet: principem inter ea locum obtinet Batavia, in Java Majore inſula, poſita. Qui ibi degit ſupremus Gubernator ſeu Imperator, Regia fere pompa conſpicuus, reliquis etiam Indiæ provinciis præeſt. Eorum locorum ſummum imperium penes Societatem eſt: inter ea eminent Inſulæ Moluccæ & Bandæ, Amboina, Malacca, ora inſulæ Ceilan, Paliacatta, Muſulapatan, Negapatan, (ea Regio in littore Coromandelico ſita eſt) Cochinum, Cananor,

Societas Indiæ Orientalis.

naor, & Cranganor, (in littore Malabarico) aliæque. Num in China quoque ipſa libere negotiandi data Batavis poteſtas ſit, nobis haud liquet: illud utique conſtat, Chinenſes frequentiſſima cum Batavis commercia exercere Bataviæ. At in Japonia ſolis Batavis mercaturam facere fas eſt, Luſitanis omni ad eam aditu præcluſo. Naves bellicas ornare ad L. exercitum terreſtrem ad hominum millia XX conficere Societas poteſt. Collata primum pecunia ad ſexagies centena millia immenſis crevit auctibus: intra ſexennium ad ter centies centena millia (vel, ut vulgo vocant, trecentæ tonnæ auri) in ſorte computata ſunt, nulla ratione habita impenſarum, aut lucri inter conſortes pro rata parte diſtributi. Societas Indiæ Occidentalis (quæ & Americana vocatur) octogies centena millia primum contulit. Ea quum initio res proſpere geſſiſſet, brevi ſemet ipſa labefactavit: nimium quippe lucri inter conſortes diviſerat, nec ſatis magnam pecuniæ ſummam ad bellum cum Hiſpanis gerendum comparaverat; adhæc ſubigendis provinciis magis, quam mercaturæ ſtabiliendæ, intenta fuit: nec alia res opes ejus magis afflixit, quam Braſiliæ defectio. Sed tamen in Guinea adhuc tenet caſtellum Sancti Gregorii de Mina: &, ni fallor, Loandam in Angola, aliaque loca: item nonnullas inſulas Caraibes, & novam Hollandiam in ea Americæ parte, quæ ad Septentrionem vergit. Nec ita pridem colonias in Guianam & ad Orenoquam, ingentem amnem, deducere inſtituerunt. Permulta Batavis adminicula ad mercaturam amplificandam ſuppetere, quæ alibi aut ſingula tantum, aut ſaltem non omnia deprehenduntur, prudentiores obſervarunt. Ea hujusmodi ſunt: infinita hominum multitudo: terræ ipſius ſitus opportunus

juxta nec ad hoſtium impetum expoſitus: exiguus uſurarum modus, magnum abundantiæ pecuniæ præſentis argumentum: pœnarum, quibus fures, impoſtores, & qui foro fraudulenter cedunt, (vulgo *bancoruptores*) coercentur, magnitudo: menſa publica Amſtelodamenſium ubi pecunias deponere mercatores conſueverunt (vulgo *banco*:) naves præſidiariæ, quæ onerarias ab hoſtibus prædonibusque defendunt: vectigalia modica. Accedit accurata commerciorum ratio: item quod qui ad clavum Reip. ſedent, maxima ex parte, aut mercaturam ipſi faciunt, aut ea conditione ſunt, ut, commercia publice florere, ipſorum privatim interſit: adhæc, quod in India rerum ſoli Batavi potiuntur: quod denique, propter incredibilem incolarum frugalitatem juxta & parſimoniam, plus mercium exportatur, quam importatur. Enimvero notabile inprimis eſt, quod quum quidquid aromatum in tota fere India naſcitur, Batavi percipiant: aromatis tamen nemo, quam ipſi, parcius utatur. Serici copiam ingentem ex Perſia aliisque locis, in quibus id negotiationis genus magna ex parte ſoli exercent, apportant: ipſi veſtiuntur lana. Quin immo ſuos melioris notæ pannos aliis vendunt: ipſi vilius panni genus, & craſſiori filo textum, ad cultum corporis, afferendum curant ex Anglia: butyrum item ſuum longe præſtantiſſimum divendunt: ipſi allato ex boreali Angliæ parte & item ex Hibernia, nec eadem bonitate, butyro veſcuntur. Et quum aliis in rebus genium ſuum plerumque defraudent, ei tamen nonnunquam, vino Gallico, aut aduſto liberalius hauſto, indulgent: quanquam in illis quoque compotationibus, ne modus excedatur, neve inter calicem ſupremaque labia multum cadat, ſedulo cavent: nec aliud aut gulæ irritamentum,

tum; aut pecuniæ conſumendæ inſtrumentum gens temperatiſſima juxta & parciſſima novit.

§. 21. Vires hujus Reip. in mercatura, &, quæ ad eam ſtabiliendam pertinet, valida claſſe conſiſtere, ex iis, quæ diximus, liquet. Sociorum autem navalium, uſu rei maritimæ præſtantiſſimorum tantam multitudinem, ut ingentes ornari claſſes poſſent, aliis in terris fruſtra requiras. Sed ab ea parte, qua finitimis in continente jungitur Batavia, quave perruptis aggeribus inundari agri nequeunt, haud tantis munita viribus eſt. Quanquam enim ei ad militem peregrinum conducendum pecuniæ affatim eſt, haud tamen eſt e Rep. unice confidere hominibus non alio, quam ſtipendii vinculo, conſtrictis: mercenarii quippe milites fidem cum fortuna facile mutant, & quo plures ſunt, eo majorem operam Duci libertatem Reip. oppreſſuro navare poſſunt. Proinde fuerunt, qui ſuaderent, ut Hollandia & Zeelandia haud magnam reliquarum Provinciarum curam agerent: ſibi autem proſpicerent, curarentque, ut rebus inter Moſam, Rhenum & mare Auſtrale, quantum fieri poteſt, firmatis, & agros circumjacentes, ubi res poſtulabit, inundare, recluſis cataractis, poſſint; & de reliquo vires maritimas omnibus modis amplificent. De quo conſilio accuratius diſputare haud allubeſcit. Multa quoque nec levia incommoda ipſius Reip. forma parit. Primum enim omnium, ſi recte calculum ponas, non unam, ſed ſeptem omnino Reſpublicas, ſeptem Provinciæ referunt, in unum corpus ſeu ſyſtema fœdere Trajectino collectas. Singulæ ſuos ac perpetuos Legatos habent, quibus Hagæ Comitis res non ita magni momenti & quotidianæ, quæve ad univerſos fœderatos pertinent, curæ ſunt: de rebus gravioribus

Vires & deliquium hujus Reipubl.

Forma regiminis.

ad ſuæ quisque Provinciæ Ordines referunt, & ex eorum voluntate in Conſeſſu omnium Ordinum ſententias dicunt: ii Delegati *Ordines Generales* appellantur. Quin etiam ſyſtema quoddam potius quam civitatem ſingulæ Provinciæ referre videntur: ſingulæ enim ejusdem Provinciæ civitates ita ſe gerunt invicem, ut non tam certis imperantium & parentium legibus deſcriptæ, aut plurium in pauciores dominationi ſubjectæ, quam pari omnes fœdere junctæ eſſe videantur. Multa quippe in Conſeſſu Ordinum provincialium occurrunt, quæ non ſententiis plurium, ſed unanimi omnium conſenſu decerni debent. Quare fit, ut iſtæ Provinciæ ac civitates haudquaquam tam firmis inter ſe vinculis cohæreant, quam quæ unius ſubſunt imperio, niſi quando eos commune periculum, aut boni publici ratio conjungit. Porro, frequentiorum civitatum amplitudinem, bellua multorum capitum, plebs deformat: quæ in furorem acta mirificas ciere turbas poteſt. Itaque Magiſtratus id inprimis operam dare oportet, ut, unde victum quærat, multitudo habeat; ne fame compulſa tumultuetur. Occulta quoque æmulatio inter Hollandiam & reliquas Provincias intercedit. Illa quippe, ut quæ & opibus præpolleat, & maximorum onerum publicorum partem ſola ſuſtineat, primas ſibi deferri exoptat: hæ contra pari omnes jure libertatis cenſeri oportere obſtinate contendunt. Amſtelodamenſem maxime civitatem occultis odiis proſequuntur reliquæ civitates, quod ea omnia ad ſe trahat, &, ne ad principatum aliquando adſpiret, juſtam metuendi cauſſam præbuiſſe videtur. Nec alia res æquabilitatem Reipubl. magis conturbat, quam Principis Arauſionenſis metus, a quo magnum libertati periculum imminet: quod & plebis multitu-

Princeps Arauſionenſis.

do,

do, & terreſtris militia, & Eccleſiaſticorum ordo ſtudium ei ſuum certatim addixerunt. Nam Paſtoribus inviſi ſunt Arminiani, ut qui Barneveldanæ factionis, a Principe Arauſionenſi alieniſſimæ, partes ſequuntur. Itaque Optimates, quem in civitatibus jure obtinent principatum, non tamen ſine metu gerunt, omnesque actiones ad Principis nutum & voluntatem plerumque accommodant. Ejus quoque rationes bono publico vel ideo adverſantur, quod quum bella terreſtria haudquaquam e Republica ſint, ipſe, tanquam ſupremus belli Dux, præſidio peregrinæ & obnoxiæ militiæ fultus, non alio tempore, majori auctoritate polleat. Igitur, dum eo modo conſtituta Resp. eſt, nulla ſeu otii inteſtini, ſeu publicæ ſecuritatis perpetuitas ſperari poteſt. Quin immo fieri haud difficulter poteſt, ut Arauſionenſem principatus invadendi cupiditas inceſſat. Equidem quum ſummum ei imperium a Geldris deferretur anno CIƆIƆCLXXV. haud obſcure indicavit, ſe, modo reliquæ conſentirent Provinciæ, nequaquam Saulis exemplum ſecuturum eſſe, qui ne oblatum divinitus Regnum invitus acciperet, inter dolia ſe abſcondiſſe, SS. litteris memoratur. Verum tamen, quum tot tantasque civitates, contra voluntatem ſuam, in obſequio contineri haud in proclivi ſit, prudentibus perſuaderi nequit, multum utilitatis ex ſumma poteſtate redundaturum ad Principem fuiſſe. Nam ſi caſtellis eas aut præſidiis coercere velit, nihil aliud quam commercia brevi peſſum daret, quæ nec vim pati, nec ſub unius dominatu admodum florere poſſunt. Proinde ſatius & magis e re Principis eſſe videtur, ut, refrenata ambitione, eo quo fungitur munere contentus ſit, præſertim, quum, dummodo aſtu rem colat, & ad popularem ſen-

ſum ſe prudenter accommodet, ad nutum fere ſuum circumagere Remp. poſſit. Num vero Reip. ejusmodi Præfectus adeo neceſſarius ſit, ut eo carere neutiquam poſſit, in utramque partem diſputatur a multis. Qui id affirmant, fere hunc in modum argumentantur: populum unius imperio certis limitibus circumſcripto antiquitus aſſuetum fuiſſe: pertinere enim ad totius Reip. ſplendorem, tum ad Magiſtratuum, qui ſingulis civitatibus præſunt, auctoritatem, compeſci & opprimi factiones motusque populi: tolli & removeri penitus ea, quæ ſeu ex Optimatium, ſeu populi principatu dimanant, incommoda, & rei bene gerendæ impedimenta; veluti, in rebus decernendis tarditatem, in ſententiis dicendis diſſenſionem, in exſequendis cunctationem, conſiliorum denique & arcanorum in vulgus proditionem, & ſimilia: quæ quidem nos in medio relinquimus. Inter nævos Reip. illud quoque numerandum eſt, quod tantæ hominum multitudini, quum domi alimenta non ſuppetant, ea foris aliunde petere ac inter exteros & victum quæritare & opes parare neceſſe ſit. Quod ſi contingat, ut commeatus ſubvectione & commerciis Batavi intercludantur, prope exitium Reſpublica eſt; nec vero eas commoditates ita fixas habent, ut earum poſſeſſione dejici nullo modo poſſent. Jam vero Sectarum & Religionum diverſitas haud obſcurum Reip. male conſtitutæ argumentum eſt. Sunt tamen, qui velint, inter reliquas cauſſas, quibus tantopere res Batava effloruerit, Sectarum quoque multitudinem eſſe numerandam; quippe quæ incolarum frequentiam, rem ad robur & amplitudinem Reip. inprimis utilem, mirificis acceſſionibus augeat. Primas quidem tenet Religio, ut vocant, Reformata: reliquæ Sectæ non tam

per-

permittuntur, quam tolerantur; Pontificiis connivetur; ita tamen, ut & in officio contineantur, & ab omni licentia cohibeantur; verentur quippe Batavi, ne qui Pontifici ſe quaſi in ſervitutem addixerunt Sacerdotes, ſecreta cum Hiſpano conſilia agitent. Sed tamen haud comperias, in Batavia, ob diverſum Divini Numinis cultum, civem civi aut odio eſſe, aut injuriæ expoſitum. Quam ob cauſſam nonnulli dictitarunt: in aliis regionibus plus quidem Reip. prodeſſe Religionem; in Batavia minus nocere. Magnum denique incommodum incolis rerum, quæ ad vitam pertinent, caritas affert, ex vectigalium, quæ rei penuariæ imperantur, magnitudine proficiſcens; ex eo enim tributi genere reditus ſuos Belgæ Fœderati maxima ex parte percipiunt. Fama tenet, Amſtelodami triginta vectigalium genera dependi prius oportere, quam apparatum piſcium ferculum, cum embammate, apponi in menſa poſſit. In tanta tamen tributorum magnitudine prohiberi haud potuit, quo minus ære alieno Reſp. obrueretur. Sunt qui commercia relangueſcere paulatim contendant. Ejus rei complures afferuntur cauſſæ; pace quippe Monaſterii confecta, alias quoque nationes ſummo ſtudio animum ad mercaturam applicuiſſe: pretium mercium Indicarum vilius abundantia fieri: Societatem autem neceſſe habere, majores indies ſumtus ad commercia conſervanda facere: quum antea quinque tantum aut ad ſummum ſex naves onerariæ ex Indiis redierint; nunc ad viginti domum reverti: itaque merces in conditoriis diu repoſitas emptorem requirere, nec ſtatim juſto pretio vendi poſſe: tumque annis abhinc aliquot tantum rei frumentariæ proventum fuiſſe in Gallia, in Hiſpania, in Italia, in Anglia, ut perparum eo deportare Bata-

vi poſſent: quum ipſi frumento, quod e mari Balthico deportare conſueverunt, aromata ſua maxima ex parte permutare ſoleant. Novis denique, quas pomœriis ſuis adjunxerunt Amſtelodamenſes acceſſionibus, ingentem pecuniæ vim ſubtractam commerciis eſſe: luxu item & magnificentia indies ingraveſcente opes exhauriri. Cauſſas acceptæ, inter initia ſuperioris belli, calamitatis inveſtiganti, ea potiſſima fuiſſe videtur, quod Batavi nimio negotiationis ſtudio effœminati, neglecto armorum uſu, virtutis etiam militaris ſcintillas pene exſtinxerant: item, quod nullam ab hoſte terreſtri irruptionem metuentes, vires maritimas tantum firmarint. Porro, præſtantiſſimos quosque militiæ terreſtris Duces ac Præfectos dimiſerant: ſuffectis in eorum locum ſuis ipſorum filiis, qui nullum in re militari uſum habebant, nec præter pacem & otium quidquam ſpectabant. Anno quippe CIↃIↃLXV. bello cum Anglis exorto, veterani milites Anglicani, & anno CIↃIↃLXIIX. Gallici exauctorati ſunt, quibus nationibus robur exercitus terreſtris nitebatur: & vero nihilominus eum dilabi & ad nihilum redigi neceſſe fuit, ut qui, dempta Principi Arauſionenſi belli ſumma, Duce legitimo deſtitutus fluctuabat. Ad hæc, nimia ſecuritate obcæcati Batavi, nec Gallorum Regi tantum vel animi, vel virium fore, ut bellum ipſis inferret, quum eis Imperator & Hiſpanus haud dubie auxilium laturi eſſent: nec cum Gallo Anglum ſe conjuncturum eſſe credebant. Accedit, quod mari debellatum iri cum Anglo ſperabant, antequam terra tria quatuorve oppida Gallus expugnaſſet. Antiqua ſcilicet belligerandi ratio ob oculos verſabatur, quum ſatis magnum ſe oræ pretium feciſſe milites exiſtimabant, ſi ſingulis expeditionibus ſingula cepiſſent oppida: quum

quumque Grollæ expugnatio aut Saſſæ Gandavenſis magnis litterarum monumentis celebraretur. Denique ſunt, qui velint, quosdam non moleſte paſſos, terreſtribus prœliis aliquid calamitatis acceptum eſſe: ea enim re & fidem Principis ac virtutem in ſuſpicionem & invidiam adduci, & auctoritatem ejus opesque frangi poſſe credebant, quippe quem ſummæ Reipublicæ, domi militiæque, præficere inviti coacti eſſent.

§. 22. Reliquum eſt, ut de finitimis gentibus agamus, quidve ab iis metuere aut ſperare Batavi debeant, breviter oſtendamus. Iis maximum periculum a vicinitate Angli impendere videtur: cujus unius opes maritimæ formidabiles illis ad hoc uſque tempus fuerunt. Is quum imperium maris & commerciorum ſumma ope ſibi vindicare nitatur, indigne fert, novam Rempublicam, a parvis profectam initiis, &, ni Anglorum ſuffulta præſidio eſſet, brevi collapſuram, ad id faſtigium adſcendiſſe, ut & in occupandis Indiæ commerciis ei antevertere, & negotiationem Anglicanam ubique conturbare inſtiterit. Nam Angli ingenio ſunt arroganti & ad luxuriam lautitiasque proclivi. Batavi contra nulli magis, quam lucri cupiditati, indulgent; & parabili victu contenti, nullas unquam impenſas inutiles faciunt: quare fit, ut & minore pretio vendere ſuas merces poſſint, & peregrini cum illis negotiari malint, quam cum Anglis. Itaque utilitas publica poſtulare videtur, ut caveant Batavi, ne Anglum unquam temere laceſſant, quin etiam ut apluſtria demittendo quandam obſequii ſpeciem haud gravate præbeant: vires interim maritimas cum cura firment: ut, ſi quando vel navigationem eorum vel piſcationem obturbare Anglus inſtitueret, validam ei claſſem opponere poſſent; denique ut

Belgio qui confines.

eadem, quæ Angli exercent, opificia artificiaque, ſi non majori, ſaltem pari ſtudio perpolire ſtudeant, ut merces æque aut magis affabre factæ, & ſimul vilius venditæ, plures reperiant emptores. A Gallis multum periculi Belgis Fœderatis eſt terra. Gallorum quippe conatibus quoniam jam inde a multis annis obſtiterunt, in magno apud eos odio ſunt. Itaque terreſtres inprimis partes firmis præſidiis munire, & ne vicini Germaniæ Principes tranſitum per ſuas terras hoſtibus dare, nedum ſocia arma jungere velint, perpetuam cum illis amicitiam colere neceſſario debent. Belgium quoque Hiſpanienſe, tanquam firmiſſimum ſuæ libertatis propugnaculum, omni ope tutari eos convenit: quo, ceu pignore, devinctus Hiſpanus cum Belgis Fœderatis ſtare contra Gallos neceſſe habet. Præterea deligere debet Duces Præfectosque, majori, quam ſuperioribus temporibus, rei militaris uſu exercitos. Hollandiam item, qua ad Geldriam ſpectat, adverſus hoſtiles impetus majoribus firmari munimentis oportet. Ceterum, ut denuo cum Gallo ſocietatem contra Batavos ineat Anglus, adduci ſe, meo quidem judicio, haud facile patietur: atque occurri ei rei ab ipſis Batavis poteſt. Perutile quoque fuerit, manibus pedibusque obniti, ne vel juſto majores vires maritimas Gallus ſibi comparet, aut conſilium de ſtabilienda negotiatione Indiæ Orientalis perficiat. Et quandoquidem omnes totius Europæ opes mercibus operibusque affabre factis derivantur in Galliam, eniti Batavos oportet, ut aut ejusdem bonitatis concinnitatisque merces reliquis nationibus ſubminiſtrare queant, aut ſaltem merces Gallicanas (quæ quidem artificum manu conficiuntur) a ſuis terris prohibeant. Ab Hiſpano nihil periculi Batavis terra marique imminet:

miner: viribus ejus bello Belgico penitus exhauſtis. Quin immo utriusque partis intereſt, ut concordibus animis & voluntatibus junctis Gallum a vexandis ſubigendisque Belgii Provinciis prohibeant: præſertim quum haud multum ſit reliquum factum, quod Hiſpanis eripere Batavi poſſent. Nam ad occupandam Americam, aut tuendam occupatam, haud ſatis virium eſt. Equidem claſſi, quæ argentum Americanum in Hiſpaniam portat, etſi Batavi incommodare nonnihil poſſunt: iis tamen Hiſpani viciſſim reddendo mare prædonibus infeſtum, haud parum detrimenti afferre poſſunt. Luſitani nihil negotii faceſſere Batavis poſſunt, quin immo ab his illi maxime ſibi metuere neceſſe habent: quod ea eſt Braſiliæ, & eorum quæ Luſitanis reliqua facta ſunt, in India Orientali locorum opportunitas, ut ea invadendi cupido injici Batavis facile queat, & modo occaſio detur, vires ad ea in poteſtatem redigenda haud defuturas crediderim. Quum quaſi horreum Bataviæ & penuarium ſit illa Orbis terrarum pars, quæ mari Balthico intermittitur, id operam dedere Batavi, ne quis Arctoi orbis Rex tantum ſibi virium compararet, ut ejus maris imperio ſolus potiretur: id quod eo facilius prohiberi hoc tempore poteſt, quod ſinum Bothnicum Suecus & Danus inter ſe partiti ſunt. Conſtat utique, quibus artibus utrumque Regem Batavi luſerint. Cum reliquis gentibus amicitiam eos colere expedit, ne ullo loco commerciis excludantur. Iis in locis, in quibus quaſi ſoli dominari in foro, aut primas mercaturæ tenere nequeunt, ita ſe comparare debent, ut ſeu mercium bonitate vilitateque, ſeu dexteritate negotiationis ac humanitate emptores alliciant, atque adeo maximam lucri partem ſoli auferant. Atque hac via, utpote compen-
diaria

diaria & minus inviſa, facilius divitias tibi comparaveris, quam ſi reliquas gentes navigatione aut commerciis per vim prohibere inſtituas. Fieri autem nullo modo poteſt, ut monopolium ſibi Batavi vindicent aut tueantur.

CAPUT VII.

DE HELVETIA.

Reipublicæ ortus & progreſſus.

Qui communi *Helvetiorum* nomine continentur populi, Germanorum olim imperio ſubjecti fuere. Ceterum, qua occaſione, quave cauſſa impulſi, facta ſeceſſione in novam ac peculiarem Rempublicam coierint, breviter exponam. Urii, Suitii, & Underwaldii, exiguæ ſane civitates, (eæ Sylveſtres, ſeu Vallium Civitates, de drie Woudſteeden vulgo appellantur) antiqua libertate & immunitatibus ipſis, ut fertur, a Ludovico Pio, Imperatore, conceſſis, gaudebant: ab eodem tamen Præfectus (een Rijks-Voogd) datus, qui judicio rerum capitalium præeſſet. Certa quoque quibusdam ejus terræ cœnobiis conſtituta jura erant, quæ tamen de libertate publica haud multum derogabant. Porro magna Nobilium frequentia apud eos degebat: ii, opibus auctis, inſolenter ſe efferre, & populum injuriis & vexationibus exercere cœperunt: maxime, quum, diſſidentibus inter ſe Imperatore & Pontifice, hujus fere partes Nobilitas, illius multitudo ſequeretur. Eas Nobilium ac populi contentiones magnum illud Interregnum, Friderici II. mortem conſecutum, auxit: donec anno CIƆCCLX.

re ad arma deducta, Nobilitas e finibus regionis ejiceretur. Verum, re a Rudolpho I. Imperatore compoſita, plerique exſulum in patriam rediere. Atque hæ civitates libertatem ſuam ſartam tectamque retinuerunt, donec Albertus I. gubernacula Imperii ſuſciperet in Germania. Is civitatibus iſtis perinfenſus fuit, ſive quod adverſarii ejus, Adolphi Naſſovii, rebus ſtuduiſſent, ſeu quod ipſe, præter alias, quibus inhiabat, prædas, has quoque terras hereditariis domus Auſtriacæ poſſeſſionibus adjicere ſtatuiſſet. Itaque monaſteria & complures e Nobilitate ſollicitavit, ut ſe in poteſtatem ac ditionem Auſtriacæ familiæ dederent. Idem a tribus illis, quas demonſtravi, civitatibus petiit; ſed fruſtra. Exin Præfectos ad eas miſit, qui, quum præter morem antiquum in arcibus munitiſſimis ſedes ſuas ac domicilium conſtituiſſent, civitates initio benigne & humaniter habitas conciliare Auſtriacæ genti nitebantur. Verum, quum illud haud ſuccederet, eas premere omni vexationum genere cœperunt. Nec querelis, quas eo nomine ad Imperatorem detulerunt afflictæ civitates, quidquam loci relinquebatur. Jamque immanis tyrannis eo dementiæ dicam an inſolentiæ progreſſa fuerat, ut Geislerus quidam, Underwaldiorum Præfectus, homo procax idem & arrogans, pileo perticæ prælongæ impoſito, Althorffii in medio foro palam ediceret, ut prætereuntes, nudato capite, & flexis poplitibus, eundem honorem haberent pileo, quo præſentem dominum conſueviſſent. Scilicet explorare eo pacto civium in ſe animum homo protervus voluit, ut quos dicto audientes, quosve immorigeros haberet, intelligeret. Forte evenit, ut pileum ſtipiti impoſitum quidam e civibus, nomine Guilielmus Tellius, ſæpius præteriret, nec reve-

reverentiam & honorem ei, ex edicto Præfecti, debitum præſtaret. Re cognita, Præfectus graviſſimo ſupplicio utendum ratus, Tellium nequidquam deprecantem coegit, pomum filioli (quem habebat unicum) vertici impoſitum, ſagitta ferire. Ceterum, re feliciter nec ſine divino Numine perpetrata, quum in carcerem inde duceretur, Tellius aufugit, effecitque, ut Præfectos omnis populus incredibili deinceps odio proſequeretur.

Confœderatio prima.

§. 2. Inter hæc ex Suitiis Wernerus Stouffacherus, ex Uriis Waltherus Furſtius, ex Underwaldiis Arnoldus à Melchthale, ad tollendam tyrannidem & priſtinam libertatem vindicandam conjurationem faciunt. Quumque plurium ſociorum acceſſione ſuas partes firmaſſent, convenit inter eos, ut arcibus ex improviſo occupatis Præfecti expellerentur, proximis Kalendis Januarii CIↃCCCIIX. Id conſilium initum ad d. XVII. Octobris CIↃCCCVII. & bonis avibus perfectum eſt eo, quo conſtitutum erat, die. Exin ab iis, quas demonſtravimus, civitatibus fœdus jurejurando ſancitur in decennium, ad libertatem patriam communi auxilio defendendam. Anno CIↃCCCXV. Leopoldus, Archidux Auſtriæ, idemque Alberti I. filius, vi armiſque coercendas civitates ratus, in eas cum exercitu XX. millium militum proficiſcitur. Contra tantam hominum multitudinem mille & trecentos tantummodo milites Fœderati duxere. In ſubjectum Auſtriacorum agmen & itinere anguſto (ab una quippe parte lacus erat, ab altera montes editiſſimi imminebant) proficiſcens, quum Helvetii nonnulli e loco ſuperiore ingentia ſaxa & magnam lapidum vim devolviſſent jeciſſentque, ordines primum perturbati ſunt. Interea reliquæ Fœderatorum copiæ eminus rem gerebant, & hoſtem a fronte adortæ, tandem acie victum profli-

profligarunt ad Moregartum oppidum. Victoria tam illuſtri parta, fœdus a tribus iſtis pagis renovatum, &, ut perpetuum æternumque foret, jurejurando ſancitum eſt. Fœderis formula perſcripta eſt Brunnæ ad d. VII. Decembris, anno CIƆCCCXX. Hæc primum jacta ſunt Reip. iſtius fundamenta; cujus civitates ſemet ipſæ inter ſe Germanico vocabulo **Eydtgenoſſen** (i. e. ejuſdem jurisjurandi participes:) exteri Suitios, a Suitio pago, in omnes derivato nomine, appellant. Conflictus ad Moregartum.

§. 3. Nec tamen eo conſilio initum fœdus initio fuerat, ut gens Helvetica a reliquo Imperii Germanici corpore avulſa novam Rempubl. conderet: quippe quæ præter libertatis & immunitatum conſervationem nihil ſpectabat. Sed tamen paulatim a ceteris ſeorſim conſilia capere cœpit, ceſſavitque Comitia Germaniæ obire. Itaque pacificatione demum Monaſterienſi anno CIƆIƆCXLIIX. conſtitutum eſt, ut Helvetiorum gens libera poſthac & Germanorum Imperio in perpetuum exemta cenſeretur. Nam fœdus iſtud Ludovicus IV. Imperator ſua auctoritate comprobavit, novumque Præfectum miſit, in cujus verba, quo Imperatoris nomine præibat, pagi hac lege jurarunt, ut ſuæ libertati viciſſim caveretur anno CIƆCCCXXXII. Sed a ſubſequentibus Imperatoribus, eis, Præfectum e ſuis aliquem eligendi, & judicia, qua publica, qua privata, exercendi poteſtas data eſt. Cum tribus hisce pagis conjungitur Lucerna anno CIƆCCCXXXII. & item Tigurum anno CIƆCCCLI. quæ, ut eſt auctoritate & amplitudine ſuperior, ita reliquos Fœderatorum pagos dignitate antecedit. Lucerna in Auſtriacorum antea ditione fuerat: Tigurum, libera Imperii Germanici civitas, nullius obnoxia imperio. Paulo poſt nomina quoque Redintegratio.

ſua

ſua in fœdus iſtud dedere Glarena, & item anno CIƆCCCLII. Zugium & Berna. Helvetii inde multis cum Auſtriaca gente bellis impliciti, cum alia præclare geſſerunt, tum Leopoldum Auſtriacum, acie victum, una cum permultis aliis illuſtri nobilitate viris cædunt ad Sempachum anno CIƆCCCLXXXVI. Inſigne quoque virtutis documentum ediderunt anno CIƆCCCCXLIV. quum ad diſturbandum Concilium Baſileenſe valido cum exercitu Delphinus Galliæ (is Ludovicus XI. poſtea dictus eſt) in eos proficiſceretur. Mille quippe & ſexcenti milites, ferociter in hoſtem illati, tam atrox commiſere prælium, ut etſi ad unum omnes in veſtigio occidione occiderentur, hoſtes tamen, atrocitate pugnæ perterrefacti, pedem referrent.

Prælium ad Sempachum.

§. 4. Bellum inde cum Carolo Burgundo exortum eſt anno CIƆCCCCLXXVI. incendii flammam excitante Ludovico XI. qui negotium exhibere volebat Burgundo. Ea tempeſtate ſocietatem cum Helvetiis ineunt Renatus Dux Lotharingus, Epiſcopi Baſileenſis & Argentinenſis, aliique. Fridericus III. quoque Imperator, eam exercendi inveteratum gentis ſuæ odium occaſionem haud dimittendam ratus, Helvetiis edixit, ut infeſtis copiis in terras Burgundi, qui tum hoſtis Imperii Germanici erat, irrumperent. Nec mora ulla in Helvetiis fuit. Verum, exinde pace cum Burgundo facta, Imperator nullam Helvetiorum rationem habuit, in ſpem erectus fore, ut graviſſimis cladibus ab invicto Principe coercerentur. Sed multo aliter res cecidit. Helvetii, tribus iisque atrociſſimis præliis cum Burgundo conſertis, ter victores diſceſſerunt, magna hoſtium ſtrage edita: ac primum quidem ad Granſonium: deinde ad Moretum, ubi in exercitu Burgundi ad centum

Bellum cum Carolo Duce Burgundiæ.

tum hominum millia numerabantur: poſtremo ad Nancejum Lotharingiæ, ubi Dux ipſe cecidit. Tot tantæque victoriæ inſignem Helvetiis gloriam peperere. Anno cIↃccccLXXXI. Friburgum & Solodurum, anno cIↃIↃI. Baſilea & Scaphuſa, & poſtremo Abbatiscella cum reliquis fœderatorum Pagis, coaluerunt. Itaque ex Rebuspublicis omnino tredecim in univerſum Helvetiorum Syſtema ſeu Societas conflata eſt: eas ipſi *Pagos*, (vulgo Dorpen) Itali & Galli *Cantones* appellare conſueverunt. Urbium nomine continentur, Tigurum, Berna, Lucerna, Baſilea, Friburgum, Solodurum, & Scaphuſa. Nam Urii, Suitii, Underwaldii, Glarona & Abbatiscella provinciæ ſunt, oppidis vicisque frequentes. Sunt præter eos alii cum Helvetiis fœdere juncti, Abbas ſcilicet S. Galli, & ipſa civitas ejusdem nominis, Rhæti, Vallenſes, item Rotvila, Mulhuſium, Bienna, Geneva, & Neocomum ad Lacum poſitum. Complures porro civitates & provinciæ modicæ non æquali ſociorum jure, ſed pacatorum ſubjectorumque conditione cenſentur; & vel communi totius Reip. vel ſingulari quorundam Pagorum imperio parent.

§. 5. Nec vero omni periculo defuncti Helvetii erant: cum Maximiliano I. etiam Imperatore pugnandum pro libertate fuit. Is fœderatos Sueviæ ad bellum Helvetiis inferendum incitavit, anno cIↃccccXCIX. ſpe fretus fore, ut eos hac ratione in ordinem cogeret. Verum quum Helvetiis in omnibus fere præliis ſecunda fortuna eſſet, ad ultimum, conciliante pacem Ludovico Duce Mediolanenſi, ab armis utrinque diſceſſum eſt. Reliquas res, ſi quosdam motus inteſtinos, nec eos admodum memorabiles, exceperis, alienis auſpiciis aut pro aliis geſſerunt. Cum

Ulteriora Helvetiorum cum adverſariis bella.

Gallo inprimis magna ſemper neceſſitudo iis interceſſit. Ludovicus quippe XI. quum Delphinus adhuc paternis auſpiciis bellum gereret, invictam gentis virtutem prælio Baſileenſi expertus; poſtquam Regnum iniit, eam conciliare ſibi & devincire omnibus modis ſtuduit: itaque annua ei ſtipendia perſolvere inſtituit, ut, ubi res poſceret, pedeſtres ipſi copiæ præſto eſſent. Carolus VIII. quoque ejus filius, expeditione in Neapolitanos ſuſcepta, Helvetiorum forti & utili opera uſus eſt. In Italia enim bella, per id tempus, levibus tantum & fere ludicris certaminibus gerebantur. Poſtea vero quam Helvetii haſtis prælongis, & machæris, ingentem ubique ſtragem ediderunt, terrore late fuſo, inuſitatum armorum genus omnes perhorruerunt; jamque Nobiles Itali eos fortium ac bonorum virorum officio fungi negabant, quod, nullo ætatis, ordinum, aut dignitatis reſpectu, obvios quosvis pari crudelitate cæderent. Ludovicus quoque XI. eorum opera uſus eſt in bellis Italicis. Quanquam Helvetiorum nomini haud levis macula inuſta eſt: quum operam militarem Ludovico Moro, Duci Mediolanenſi locarint, eam deinde præſtare recuſaſſent, cauſſantes, ſibi fas non videri, in populares, ſub Galli auſpiciis merentes, pugnare. Itaque Princeps hoſtibus proditus in Gallorum poteſtatem venit.

Bellum cum Gallis.

§. 6. Ceterum, anno CIƆIƆX. Helvetii ab amicitia Galli ſeſe averterunt: quod circumacto tempore, quo fœdus ſervari utrinque placebat, quum majora ſtipendia poſtularent, Ludovicus XII. daturum ſe negabat. Enimvero facinus ei non videbatur ferendum, Regi a ruſticis montanis (ita enim eos per contemtum appellabat,) tam procaciter ſtipendia imperari. Itaque miſſis Helvetiis, in eorum locum Rhætios, Germanicosque pedi-

tes ſubſtituere atque eorum deinceps opera uti decrevit. Ea res Gallis poſtea damna multa dedit. Operam quippe ſuam Helvetii Julio II. Pontifici addixerunt, & contra Gallos arma tulerunt. In eorum exercitum, etſi multis partibus majorem, quum aciem direxiſſent, & incredibili cum alacritate & ardore animi ſigna intuliſſent, ad Novatam oppidum tandem poſt pugnam cruentam hoſtem in fugam vertunt, nec prius perſequendi finem faciunt, quam tota pelleretur Italia anno cIↃIↃXIII. Exin irruptione in Burgundiam facta, Divionem urbem obſidione cingunt. Ibi Tremovillium Ducem, præſidio ejus urbis Præfectum, turpiſſimis iniquiſſimisque conditionibus paciſci ſecum coegerunt, ut ingenti pecuniæ ſumma magnisque pollicitationibus deliniti domum reverterentur; qui, ſi diutius in hoſtico permanſiſſent, in ingens diſcrimen adducere Galliam potuiſſent: ab altera enim parte Anglus eam infeſtis copiis ingreſſus erat. Anno cIↃIↃXV. Franciſci I. caſtra ad Marignanum poſita Helvetii invadunt: ibi per biduum ita pugnatum eſt, ut, magna & horrenda utrinque cæde facta tandem Helvetii, ſervatis ordinibus, nec fugientium modo, pedem referrent. Pace inſequente anno compoſita, Franciſcus eorum amicitiam ingenti pecuniæ ſumma redemit, ab iis, qui ſucceſſere Regibus, perpetuo cultam. Ceterum, antiqua gentis gloria vehementer eſt imminuta, propterea quod & ipſa multum de priſtina virtute & veteris diſciplinæ ſeveritate remiſit, & pedeſtres copias reliquæ nationes meliori diſciplina & cultu inſtituerunt ornaruntque: nec enim, ut olim, machæris res geritur; ad quas ſcite tractandas, & fortiter vibrandas, robuſti Helvetiorum lacerti apprime idonei erant.

Terræ natura. §. 7. Terræ, quam incolunt Helvetii, non eadem ubique facies ac natura eſt. Nam in iis regionibus, quæ montibus attolluntur, præter paſcuos agros, parum aut nihil, quod ad vitæ uſum pertineat, reperias. In convallibus autem & locis in planitiem porrectis, ſatis magnus vini & fructuum proventus eſt, ut tamen, propter infinitam incolarum multitudinem, ubertate nequaquam redundet, maxime, quum res ad vitam neceſſariæ eo importari, aditu tam impedito, difficulter poſſint, nec ſoli ſterilitatem commercia aut artes mechanicæ compenſent. Itaque diuturnam nimis aeris ſalubritatem Helvetii in omen vertunt; & ſi quando aliquot annorum decurſu nulla inter eos peſtilentia graſſata fuerit, id cœleſtis iræ ſignum interpretantur: ea enim homines inutiles, & *fruges conſumere natos* abſumi quodammodo & e medio tolli dictitant. Id tamen utilitatis eis præſtat terræ ſitus, quod montibus altiſſimis & præruptis, tanquam clauſtris quibusdam, circumſepti, hoſtem aut ſuis finibus arcere penitus, aut ſubmovere ſubeuntem facile poſſunt, maxime, quæ Italiam ſpectant, & in meditullio terræ. Nam quorundam etiam pagorum facilis eſt aditus.

Nationis ingenium §. 8. Antiqua fide & virtute viri, ac in promiſſis ſervandis religioſiſſimi haberi Helvetii ex profeſſo ſtudent. Et vero ingenio plerumque ſunt ſimplici & aperto, eoque calliditatis ac fraudis omnis experte. Acer & præſens animus, ut eſt impatiens injuriæ, ita ad pugnam ac vindictam promtus. Propoſiti utplurimum tenaces, aliis ſe opinionibus imbui, aut ab inſtituto dimoveri haud facile patiuntur. Fides animique magnitudo, ac corporis proceritas juxta & robur gentem uſque adeo nobilitarunt, ut non alios ſeu in ſatellitium,

ſeu

ſeu in cohortem prætoriam Reges & Principes adſciſcere malint. Igitur magnam peditum Helveticorum manum Gallia conſcriptam habere ſolet. Verum tamen, ut ſunt ad pugnas & certamina paratiſſimi, ita laboris diuturnioris & cum moleſtia quadam conjuncti impatientes. Milites ſtipendii exactores inexorabiles, ubi deceptos ſe eſſe, nec ſolvi ad diem mercedem intelligunt, e veſtigio domum revertuntur. Ea res in proverbium apud Gallos abiit: *Point d'argent*, *point de Suiſſe*, id eſt, *Nulla pecunia*, *nullus Helvetius*. Domi parce & duriter viventes, foris famem aut ærumnam pati nolunt. Conditionibus, quibus fœdera cum Gallo pepigerunt, cautum eſt, ut ad minimum ſex Helvetiorum millia ſub auſpiciis Gallicis ſtipendia facerent: ut uno in loco omnes perpetuo degerent, nec in multa diviſi agmina per diverſarum urbium præſidia diſtribuerentur: ut, ſi pactorum fides violetur, mutuum ſibi ferre auxilium poſſint: nec denique in bellis navalibus operam militarem unquam navare cogerentur.

§. 9. Vires Reip. & robur ingenti virorum fortiſſimorum multitudine nituntur. Bernates, quorum latiſſime patet imperium, intra triduum exercitum trecentorum millium conſcribi a ſe & in aciem educi poſſe gloriantur. Equidem, niſi tum, quum maxime bellica laude florerent, Helvetiis aut mens læva fuiſſet, aut ſaltem a propagatione finium non aliena voluntas; haud dubium eſt, quin Burgundiæ Comitatum & aliquam Longobardiæ partem ditionis ſuæ facere nullo negotio potuiſſent. Etenim quo minus imperium latius proferrent, quum inſita eis animi moderatio, rebus partis contenta, nec alienis inhians, obſtitit, tum ipſa Reipubl. forma ad res magnas moliendas haudquaquam idonea. Singuli quippe popu-

In quo emineat atque iti-dem deficiat.

lari potiſſimum imperio reguntur; & penes Tribunos ſumma Re publ. poteſtas eſt: ibi ut quisque eſt ſtultiſſimus, ita ſuam ſententiam pertinaciſſime tuetur, & aliorum conſilia maxime ſuſpecta habet. Ceterum, non alio conſilio fœdus a pagis initio percuſſum eſt, quam ut mutuis auxiliis libertatem tutarentur, & diſſenſiones inter ipſos ortas conſopirent. Ob diverſum Divini Numinis cultum in partes abeunt: alii antiquos Pontificiorum ritus retinent; plurimi tamen Reformatorum (ut vocant) ſacra colunt: utraque pars præfervidum ſuæ Religionis ſtudium præ ſe fert, ut ex occultis odiis ad apertas contentiones res ſæpe deducatur. Itaque fieri nullo modo poſſe videtur, ut, niſi concordes commune periculum faciat, in ceteris rebus homines pervicaces perpetua animorum conſpiratione inter ſe conſentiant. Porro in tanta popularium æqualitate unus civis, inter ceteros, ut ut opibus emineat, auctoritate tamen tanta præpollere nequit, ut univerſam gentem ad nutum ſuum circumagat, & ad magnum facinus fortiter audendum dux & auctor exiſtat. Itaque in publica iſta inertia & imbellia privatim Martius animus præter exiguam mercedem, qua venalem animam exteris nationibus addicere ea gens conſuevit, nullum virtutis præmium capit.

Quos habeat vicinos.

§. 10. Sed ob id ipſum non alius gentis melior aut tutior vicinitas eſt. Ab Helvetiis enim, modo ne ultro laceſſas, non ſolum nihil cuiquam metuendum eſt; verum etiam auxilium eorum, ſi opus eſt, redimi pecunia poteſt. Nihilo plus ipſis a finitimis, ſi paucos exceperis, periculi imminet. Ad eos enim oppugnandos, damnisque afficiendos, Principibus & Rebusp. Italiæ poteſtas, Germaniæ univerſæ voluntas deeſt. Quod ſi Auſtriaci eos adoriri parent, ad eos repellendos,

dos, avitamque libertatem defendendam, & domi vires ſuppetunt, nec foris Gallorum utique auxilia deerunt. Solus itaque Gallus reformidandus Helvetiis eſſe: videtur: enimvero mirantur multi omnem eos ſecuritatis & tranquillitatis ſuæ ſpem in promiſſis & fœderibus Gallicis repoſitam habere, nec ad majora munimenta contra creſcentem indies potentiam Galliæ & præſidia comparanda animum adjicere. Nec minus mirum videtur multis, quod Burgundiæ Comitatum Gallis occupandum ac diripiendum reliquérunt: quæ tamen terra non ſolum in Helvetiorum fines aditum expeditum, verum etiam in iis militis pro lubitu conſcribendi facultatem Gallis præbet. Itaque e re Helvetiorum eſſe videtur, ut ab omni Galli injuria abſtineant, nec eum in ſe irritent: ſimul tamen prohibeant, ne ea loca, qua aditus ad ipſorum fines patet, in ſuam redigat ditionem: cujuscemodi ſunt Geneva, Neocomum ad Lacum, quatuor Civitates Sylveſtres, (de Woudſteden) & Conſtantia. Id quoque caveant oportet, ne nimis multi e ſuis milites a Gallo conſcribantur, & ipſi eo pacto robore armatorum nudentur: eos autem, qui ſtipendia faciunt in Gallia, ita obſtrictos tenere expedit, ne pietatis & officii patriæ debiti unquam obliviſcantur; & ut ipſi, ingruente bello, domum revocari queant. Ceterum, dum nihil ad conſilia Gallorum impedienda miſcetur ab Helvetiis, illis cauſſæ nihil eſſe videtur, cur hos ultro adoriantur, aut bello perſequantur. Nam ubi Gallus votorum omnium compos factus fuerit, Helvetia cauſſæ nihil dixerit, quin eadem, qua reliqui victi, conditione utatur. Quin immo ſi non plus, ſaltem non minus commodi, ex benevola Helvetiorum ſocietate, quam ex impoſita invitis ſervitute percipiet. Nam

quum obſtinatos & jugi impatientes magnis præſidiis in officio continere neceſſe habeat: ſumtibus autem, quos facere ad milites præſidiarios ſuſtentandos oportet, rependendis incolæ propter egeſtatem impares ſint; nullum operæ pretium facturus eſſe videtur.

CAPUT VIII.

DE IMPERIO GERMANICO.

Antiquiſſimus Imperii German. ſtatus.

PRiſcis temporibus Germania non una continebatur Republica, ſed in plures ac modicos Principatus diviſa fuit, ſeparatos invicem & disjunctos, & ſimul ſuprema ſigillatim poteſtate deſcriptos, ita tamen, ut maxima ex parte populari regerentur imperio. Quanquam initio nonnulli populi etiam Reges habebant, quorum tamen major ſuadendi auctoritas, quam imperandi poteſtas fuit. Ad ultimum, ſub Francorum imperio, in unum omnes populi corpus coaluerunt. Quosdam ex iis Reges ex ſtirpe Merovingica orti, compluribus in Germaniam expeditionibus ſuſceptis, perdomuerunt. Univerſam autem Germaniam Carolus Magnus in ditionem ſuam redegit. Is, quum eadem tempeſtate Franciam, Italiam, Romam & aliquam Hiſpaniæ partem teneret, eis provinciis Præſides ſeu Gubernatores (ii Comites aut Marchiones, Graben of Markgraben dicebantur) præfecit: ita tamen, ut majora libertatis ſimulacra Saxonibus relinque-

Carolus M.

querentur. In Saxonia, ut populus efferatus in officio eo facilius contineretur, Epiſcopos complures conſtituit, qui imbutas Chriſtiana Religione mentes ad manſuetudinem traducerent. Ludovicus Pius, Carolo genitus, tres habuit filios, Lotharium, Ludovicum & Carolum. Ii quum imperium Francicum inter ſe dividerent, Ludovico tota obvenit Germania cis-Rhenana, & aliqua item portio Germaniæ trans-Rhenanæ, ob vitiferos (ut a nonnullis perhibetur) colles. In ea Ludovicus ſummum tenuit & nullis legibus definitum imperium: ut ſuperiorem neminem, non fratrem natu maximum, nedum minimum, cui Gallia obtigerat, agnoſceret. Atque eo primum tempore, res Germana in Regni peculiaris, nec niſi unius imperio obnoxii, formam radacta eſt.

Ludovicus Pius.

Ludovicus Rex Germaniæ.

§. 2. Poſteaquam Carolus Calvus, Rex Franciæ, idemque titulo Imperatorio inſignis, exceſſit e vita, Carolomannus, Ludovici filius, Italiam infeſtis copiis ingreſſus, eam ſubigit, & ſimul Imperatoriam ſibi dignitatem vindicat: quanquam idem ſibi nomen Ludovicus, Caroli Calvi filius, Rex Franciæ, ſumſerat, inſtinctu Pontificis. Carolomanno in Regno Carolus Craſſus, frater natu minimus, ſucceſſit, qui Regnum Italiæ & Imperatorium nomen juxta tuebatur. Sed abrogato ei Imperio, Proceres Germaniæ Arnulphum, ejus, quem dixi, Carolomanni filium, Regem creant anno ɪↃᴄᴄᴄʟxxxvɪɪ. Is, in Italiam profectus, nomen & inſignia Imperatoris ſibi adſcivit anno ɪↃᴄᴄᴄxcɪv. de quibus graviſſima inter Berengarium, Forojulienſem Ducem, & Vidonem, Spoleti Ducem, contentio ad id usque tempus fuerat. Arnulpho anno ɪↃᴄᴄᴄxcɪx. exſtincto, ejus filius Ludovicus, cognomento *Infans*, ſubrogatus eſt. Eo regnante, incubans Germaniæ cala-

Carolomannus.

Carolus Craſſus.

Arnulphus.

Ludovicus Infans.

calamitas omnem a rebus Italicis curam & cogitationem avertit. Arnulphus quippe, quum Suenteboldum, Bohemiæ & Moraviæ Regem, tum temporis rebellantem ſolus perdomare haud poſſet, Hungaros, feram ac barbaram gentem, in auxilium evocavit: atque eorum ope Suenteboldum in ordinem quidem coegit: verum ea res male vertit. Hungari amœnitate Germaniæ capti, eam infeſto cum exercitu invadunt, ac fœda & immani populatione longe ac late deformant. Ludovicum quoque Regem acie victum ad Auguſtam Vindelicorum ſtipendiarium fecerunt anno ICCCCCV. Tanti dedecoris cauſſa fuit, & immatura Regis ætas, & publica Primorum Germaniæ diſcordia, & privatum cujusque amplificandæ potentiæ ſtudium. Hungari, quanquam eis tributa quotannis penderentur, tamen populationibus Germaniam longe ac late vaſtare haud deſtiterunt.

Conradus. Ludovico vita functo, Conradus, Dux Franconiæ, Rex ſublegitur. Eo regnante, Lotharingiæ, Sueviæ, Bavariæ & Saxoniæ Duces viribus aucti, ſuæ quisque, cui præerant, terræ ſummum ac perpetuum imponere Principatum inſtituere; Rege ad obſequium eos redigere nequidquam conante. Sed Henricus maxime, Saxoniæ Dux, opibus inter ceteros eminebat. Conradus, ne is ſeceſſione facta tandem ſeorſim a reliquis Germaniæ Proceribus conſilia caperet, veritus, jam morti vicinus auctor Principibus fuit, ut Henricum Regem crearent. Ejus conſilio obtemperatum eſt. Itaque Imperium a Carolingis ad Saxones tranſiit anno ICCCCCXIX.

Henricus Auceps. §. 3. Henricus cognomento Auceps Hungarorum furorem compeſcuit. Eos namque, quum ingenti manu irruptionem in fines Germaniæ feciſſent, tributum exigentes, Henricus, cane ſcabioſo

bioſo per ludibrium miſſo, cruento prælio vincit ad Merſeburgum: eo prælio octoginta hoſtium millia ceciderunt. Hoc Rege, oppida cis-Rhenana maxima ex parte aut a fundamentis exſtructa, aut mœnibus circumdata ſunt. Sorbes & Vandalos (gentem Sarmaticam ſeu Slavonicam) qui magnam Germaniæ partem ad Albim tenebant, domuit Henricus, & ex Miſnia, Luſatia, & Marchia Brandenburgica profligavit. Rebus in Germania pacatis, & compoſito Reip. ſtatu, moritur anno ɪↄcccccxxxvɪ. Henrico ſucceſſit Otho Magnus, filius. Is inter rudimenta Imperii, domi cum diverſis Germaniæ Principibus, quum rebellionem feciſſent, bella atrociſſima geſſit, cum iis maxime, qui, quum ſe ſtirpe Carolingica ortos eſſe prædicarent, Regiam dignitatem in Saxones tranſlatam eſſe ægre ferebant. Proſpere quoque pugnavit cum Slavis & Danis. Hungaros, Germaniam denuo populationibus pervagari auſos, acie vicit ad Auguſtam Vindelicorum, ac tanta affecit clade, ut ex eo tempore ne hiſcere quidem contra Germaniam auderent. Jamque diu Italia magnis agitabatur turbis, dum alii atque alii principatum & tyrannidem occuparent: quum Otho evocatus venit, atque Italiæ Regno & Imperio Romano juxta potitur: ea quidem lege, ut utraque dignitas in perpetuum penes Regem Germaniæ foret, nec ad eam in ſucceſſores tranſmittendam novis ſuffragiis aut electione opus eſſet: neve ſine conſenſu & auctoritate Regis Germanorum Pontifex crearetur. Otho inſignibus Imperatoriis decoratur Romæ anno ɪↄccccclxɪɪ. Sed novæ dignitatis acceſſio haud magnum Germaniæ fructum attulit, quum motus alios ſuper alios Pontifices excitarent: qui quidem evitari eo minus potuere, quod ibi nec caſtel-

Otho. I.

caſtellis arcibusque munitis, nec firmis ac perpetuis præſidiis licentia rebellium refrænabatur. Itaque exercitum eo duci, quotiescunque Italis res novas moliri, aut miſcere aliquid in mentem veniebat, ac robur Germanici militis juxta & pecuniam fruſtra conteri, neceſſe fuit. Exiguos enim fructus Reges ex Italia percepiſſe videntur: niſi quod, quum in Italia eſſent, hoſpitaliter excipiebantur, omnibus rebus, quæ ad cultum victumque Regis ac totius aulæ pertinebant, gratis ſubminiſtratis. Otho anno ıɔcccclxxiv. moriens
Otho II. Othoni II. filio Regnum per manus tradidit. Ei inter initia imperii quidam turbulenti Germaniæ Principes multum negotii exhibuerunt. Secundum hæc, Lotharius, Rex Franciæ, Lotharingiam ſubigere nitebatur, jamque parum aberat quin Cæſarem ex improviſo opprimeret Aquisgrani: at vero Otho Galliam valido cum exercitu ingreſſus, per Campaniam Lutetiam Pariſiorum usque penetrat. Inde tamen regreſſus magnam in itinere calamitatem accepit.

Pax tandem Rhemis conficitur, ea lege, ut Lotharingiam Cæſar retineret. Exinde in Italiam cum exercitu profectus, Græcos, qui Italiam ſubegerant, initio quidem acie vicit fuditque; ceterum, eam calamitatem hoſtes ingenti clade rependerunt; Imperator quippe, a Romanis & Beneventanis copiis per ſummam imbelliam & perfidiam in acie ſubito deſertus, ipſe in hoſtium venit poteſtatem. Sed fuga elapſus, quum graviſſimum ſupplicium, ob perfidiam, de utroque populo ſumſiſſet, paulo poſt mœrore exſtinguitur
Otho III. anno ıɔcccclxxxiii. Otho III. ejus filius tempus, quo imperium tenuit, maxima ex parte in ſedandis turbis Romanis exegit. Creſcentium Conſulem Romanum, quia principatum affectaverat, capi-

capitis damnatum, ex infelici arbore ſuſpendi juſſit. Ipſe autem poſtea per inſidias viduæ Creſcentii, quum venenatas ei chirothecas dono miſiſſet, exſtinguitur anno cIↃI. Is quum ſine liberis deceſſiſſet, ad Henricum II. cognomento Claudum, Saxonica ſtirpe prognatum, eundemque Bavariæ Ducem, Imperium defertur. Cum eo contendit de Imperio Egbertus, Thuringiæ Landgravius; verum is, dum Regnum affectat, vitam amiſit. Henricum tumultus Italici vehementer exercuerunt. Boleslaum Poloniæ Regem, magnis cladibus affectum, in ordinem coegit. Effuſis in Clericos Monachosque largitionibus id conſecutus eſt, ut poſt obitum in numerum Cœleſtium referretur. Moritur anno cIↃXXIV. Henricus II.

§. 4. Henrico II. ſine ſobole mortuo, Conradus Saliquus, Franconiæ Dux, a Principibus Germanicis ſubrogatur. Ea res, inflammatis invidia Saxonibus, magnum bellorum incendium excitavit. Germaniæ & Italiæ motus Imperator, multis magnisque moleſtiis ac laboribus defunctus, tandem feliciter ſedavit. Regnum a Rudolpho, Regum Burgundicorum & Arelatenſium ultimo, qui ſine prole deceſſit, legatum occupat, & cum Germaniæ Imperio conjungit: poſteaquam Eudonem, Campaniæ Comitem, jure ſuo, quod ſibi in illud Regnum vindicabat, cedere coegiſſet anno cIↃXXXIV. Bella cum Polonis & Slavis fortiter & proſpere geſſit. Obiit anno cIↃXXXIX. In ejus locum ſuffectus eſt Henricus Niger, filius. Is, quum multum ei negotii faceſſerent Hungari, & Pontifices turbulenti, Imperatoriam majeſtatem adverſus omnes egregie ac fortiter tutatus eſt. Rebus humanis eximitur anno cIↃLVI. Ejus filius Henricus IV. diuturnum quidem, ſed varia rerum viciſſitudine magnisque moleſtiis exercitum, tenuit Conradus II. Henricus III. Henricus IV.

tenuit imperium. Cauſſa tantorum malorum inter alias hæc fuit, quod tenera ætate (ſex enim annorum puer erat) & patre orbatus, non ſolum nullis bonis artibus ac virtutibus ad ingenii cultum tanto faſtigio parem, inſtituebatur a tutoribus, ſed ipſum etiam Imperium ab iisdem male adminiſtrabatur. Sacerdotia maxime & munera Eccleſiaſtica nundinantes, dignis & indignis juxta vendebant. Henricus quum adulta jam ætate intellexiſſet, Imperii opes in manibus Eccleſiaſticorum eſſe, prædam tam opimam iis ſe ereptu rum eſſe, haud obſcure indicavit: eam ob cauſſam inexpiabili ejus odio univerſus Clericorum Ordo flagrare cœpit. Nec minus infeſto in eum animo fuerunt Saxones, propterea quod diuturnam ipſorum licentiam multis ſceleribus infamem, caſtellis paſſim exſtructis refrænare inſtituerat: item quod, Imperii ſede in Saxonia conſtituta, e Saxonibus tamen perpaucos ad munera Reip. adhibebat. Denique multorum quoque Principum animos a ſe abalienavit, quum, ipſorum ſpreto conſilio, negotia publica maxima ex parte ad ſuum ipſius arbitrium adminiſtraret. His aliisque cauſis impulſi primum Saxones, rebellione facta, quum diuturna & cruenta bella cum Imperatore geſſiſſent, victi tandem domitique ſunt. Sed multo majorem tempeſtatem Hildebrandus ſeu Gregorius VII. ejusque ſucceſſores excitarunt. Ii quum pridem ægre tuliſſent, Pontificis ac reliquorum Clericorum ſacroſanctam auctoritatem Auguſti Imperio obnoxiam eſſe: Hildebrandus belliſſimam ſibi occaſionem Eccleſiaſticæ libertatis vindicandæ ſibi datam exiſtimabat, Cæſare jam graviſſimis in Saxonia bellis implicito, atque omnibus pene Principibus Germanicis inviſo. Specioſum rei tegendæ obtentum præbebat

cum

cum adoleſcentia Cæſaris, probris vitæ anteactæ & luxu infamis, tum in muneribus Eccleſiaſticis mandandis, non tam pietatis & eruditionis, quam gratiæ aut largitionis, habita ratio. Igitur edictum a Pontifice promulgatum eſt, ne vel Epiſcopos, vel alios Clericos (id enim jus ſolius Pontificis eſſe contendebat) Imperator conſtitueret. Romam quoque Auguſtus citatus eſt, ut cauſſam diceret: ni pareret, anathematis fulmine percuſſum iri. Imperator contra Pontificem munere ſuo indignum judicat, eique abrogare ſacram poteſtatem inſtituit. Itaque Pontifex Auguſtum diris devovit, populum inſuper ſacramenti & obſequii vinculo ſolvit. Ejusmodi fulminis Pontificii ea tempeſtate tanta vis fuit, ut & apud plerosque omnes Imperatoria Majeſtas evileſceret, & ipſe Auguſtus in ſummas calamitates & ærumnas conjiceretur. Indicto anno CIↃLXXVI. omnium pene Principum conventu Treberæ, Imperium Henrico abrogatur. Sententia tamen poſtea mitigata eſt, ut ad arbitrium Pontificis tota cauſſa referretur. Inter hæc Henricus, paucis comitibus, adulta jam hieme, in Italiam profectus, Canuſii ad portam, ſub dio, vulgari & laneo habitu, nudisque pedibus, per triduum ſubſtitit, veniam ſupplex a Pontifice petens. Eam quum ægre tandem impetraſſet, haud magnum Imperator operæ pretium fecit. Italos enim tam indecora Auguſti moderatio, dicam, an imbellia, vehementer offendit. Ad eos ſibi reconciliandos Henricus priſtinam ſibi majeſtatem, quaſi ex intervallo, circumpoſuit, opesque in Italia firmavit. Interea dum hæc geruntur, inſtinctu Pontificis, a Proceribus Germaniæ Rex ſalutatur Rudolphus, Dux Sueviæ, anno CIↃLXXVII. Henrici tamen partes ſequebantur Bavari & Franci & reliqui Rheni fluminis

nis accolæ. Igitur re ad cruentum bellum deducta, Rudolphus duobus præliis victus a Saxonibus, tertio ipſe, dextra truncatus manu, cecidit. Exin Henricus, indicto Epiſcoporum conventu, Hildebrando ſede Pontificia moto, alium ſurrogari Pontificem jubet. Capta deinde Roma, Hildebrandum exegit anno CIↃLXXXIV. Sed tamen Saxones averſari Imperatorem & tumultuari haud deſtiterunt. Ei Pontifex iterum ſacris interdixit. Saxones, quum Hermannum, Ducem Luxemburgicum, & eo mortuo, Egbertum, Saxoniæ Marchionem, nequidquam ad Regium faſtigium extuliſſent; ad ultimum, Henricum, Imperatoris filium, in patrem incitant. Is parentem magno cum exercitu contra ſe venientem inſidiis & fraude circumvenit. Simulata pœnitentia veniam a patre ſupplex petit; ſimul ei perſuadet, ut dimiſſis copiis, paucis comitatus miniſtris, comitia, quæ erant Moguntiæ indicta, obiret. Ibi tum infortunatus ſenex in itinere comprehenſus, ab adminiſtratione rei Germanicæ ſubmovetur anno CIↃXCI. Nec ita multo poſt in ſummis miſeriis miſere periit is, qui præliis ſex & ſexaginta inſignes utplurimum victorias deportaverat.

Henricus V. §. 5. Henricus V. ut primum Imperium capeſſivit, non minore, quam pater, ſtudio Auguſtalem Majeſtatem tutari inſtitit. Rebus Germaniæ conſtitutis ordinatisque, infeſto agmine Romam contendit, ut & Imperii titulos ac inſignia a Pontifice acciperet, & antiquum Imperatorum jus creandi conſtituendique Epiſcopos redintegraret. Re cognita Paſchalis II. Pontifex tantum Romæ tumultum concitavit, ut ipſe Imperator capitis diſcrimen adiret. Verum repreſſis victisque tandem ſeditioſis, Imperator Pontificem comprehenſum & in cuſtodiam traditum, in poſtulata con-

ſentire invitum coegit: pactorumque fides horrendis exſecrationibus & ſacramentis ſanciebatur. Sed vixdum diſceſſerat Imperator, quum Pontifex non modo pacta irrita eſſe declaravit, verum etiam Saxones Epiſcoposque Germaniæ ad arma contra Imperatorem capienda incitavit. Cum his bellum ingenti animorum armorumque contentione geſtum eſt: ad ultimum Imperator, quum expedire ſe in tanta fortunæ iniquitate haud poſſet, poſtulatis Pontificis annuit, & jus inſtituendorum Epiſcoporum remiſit in Comitiis Wormatienſibus anno cıɔcxxii. Quo facto, & Imperatoria Majeſtas vehementer eſt imminuta, & Pontificia auctoritas ac potentia mirifice aucta. Imperator exceſſit e vita, nulla relicta prole, anno cıɔcxxv. Eum excepit Lotharius, Dux Saxoniæ; cui quum Conradus, Dux Franconiæ, de Imperio controverſiam moveret; brevi Regni æmulus veniam pacemque petere coactus eſt. Duabus in Italiam expeditionibus ſuſceptis, exortas per eam occaſionem turbas non ſine magna gloria ſedavit. Quum auribus Pontificibus nonnihil daret, ejusque animum blanditiis demulceret, magnam iniit gratiam ab univerſo Eccleſiaſticorum Ordine. Diem obiit anno cıɔcxxxiix. Ei ſublectus eſt a Proceribus Conradus III. Franconiæ Dux, adverſantibus Henrico, Saxoniæ & Bavariæ Duce, & Guelfone ejus fratre. Ea re diuturna & atrociſſima bella conflata ſunt. Iis confectis, Imperator, quum expeditionem ſuſcepiſſet in Palæſtinam, magnis moleſtiis & laboribus perfunctus eſt. Quanquam, perrupta Saracenorum acie, armis ſibi viam fecit, Hieroſolymamque pervenit, tamen, re infecta, domum reverti coactus eſt, maxima militum parte deſiderata. Ad extremum, quum in procinctu fere eſſet ad motus Italiæ ſedan-

Lotharius Saxo.

Conradus III.

dos, animam efflavit anno CIↃCLII.

Fridericus I. §. 6. Conrado in Imperio ſucceſſit Fridericus I. Ænobarbus, (Barbaroſſam Itali dicunt) Dux Sueviæ. Is inter rudimenta Imperii, pacata Germania, Italos tumultuantes armis compeſcuit. Sed otium haud diuturnum fuit. Mediolanenſes, quum novas concitaſſent turbas, omnibus belli cladibus coercuit, urbe ſolo æquata. Acriter quoque & ſæpe cum Pontifice contendit: & contractis undiquaque auxiliis eum ſæpenumero acie vicit fuditque. Sed bello fatigatus pacem denique cum eo fecit: maxime, quod a Venetis captus Otho filius erat. Dum ea tenet pacificatio, Alexander III. Pontifex Imperatoris collum pedibus calcaſſe perhibetur: quod, quia a multis commentitium eſſe creditur, ego ponere pro vero non auſim. Ultimus inter Imperatores Germanici Imperii majeſtatem tutatus eſt in Italia. Ad extremum, ſuſcepta in Palæſtinam expeditione adverſus Saladinum, Ægypti Sultanum, qui Hieroſolymam expugnaverat, ſignis cum hoſte aliquoties collatis, victorias quidem compluresreportavit; ceterum, ipſe, dum equo flumen tranſit in Cilicia, vel, ut alii tradunt, ſeſe lavat in amne, aqua ſubmerſus interiit anno CIↃCLXXXIX. Quanquam Fridericus ejus filius, patre mortuo, multis Syriæ oppidis potitus eſt, miſerum tamen exitum ea expeditio habuit: pleriſque omnibus (inter quos ipſe Fridericus Dux numeratur) aliis peſte, aliis

Henricus VI. fame abſumtis. Friderico I. ſurrogatur Henricus VI. filius. Is, Conſtantia in matrimonium ducta, Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ principatum adipiſcitur. Romæ quum a Cœleſtino Pontifice ſedente Imperator ad genua provolutus diadema acciperet, Cœleſtinus coronam capiti Auguſto impoſitam mox pede dejecit; ſignificaturus, penes Pontificem

tificem deferendi adimendive Imperii poteſtatem eſſe. Moritur anno cIↃCXCIIX. quum in expeditionem in Palæſtinam ſuſcipiendam intentus, jamque præmiſſo exercitu, ipſe ſubſecuturus eſſet.

§. 7. Henrici VI. mortem ingentes in Germania turbæ & contentiones conſecutæ ſunt. Fridericus enim II. filius, quinque admodum annorum puer, immatura imperio ætate erat. Itaque Philippus patruus poſtulavit, ut, dum fratris filius adoleſceret, ipſe Imperium ſuæ tutelæ commiſſum Vicarius adminiſtraret: idem quoque Cæſar proxime defunctus præceperat. Verum Pontifex ei obnitendum ratus, nonnullos Germaniæ Principes ad Imperium Othoni Saxoniæ Duci deferendum impulit. Ita Germania fœdum in modum lacerata abiit in partes, Philippo aliis & quidem plurimis, aliis Othoni faventibus. Pace poſt diuturnum bellum facta, tandem inter factioſos convenit, ut Philippi filiam Otho uxorem duceret, ea tamen lege, ut Regio abſtineret titulo: Philippo autem mortuo, jus nomenque Regni libere uſurparet. Philippo paulo poſt inſidiis Othonis Vitelſpachii Palatini interemto Bambergæ, Otho, quem ſupra demonſtravimus, Regnum capeſſivit anno cIↃCCIIX. Is Romæ Auguſti diademate & titulo decoratus, quum ea loca, quæ ab Imperio Germanico Pontifices avulſerant, redigere in poteſtatem, & quaſi poſtliminio conjungere cum Imperio ſtatuiſſet, fulmine anathematis ictus eſt a Pontifice, hortante inſuper Germaniæ Proceres, ut in ejus locum alium ſurrogarent Auguſtum: plurium ſuffragiis eligitur Fridericus II. Henrici VI. filius. Itaque Otho in Germaniam regreſſus, quum nequidquam reſtitiſſet, Imperium depoſitum in Fridericum II. Siciliæ & Neapolis Regem, eundemque Sueviæ Ducem,

Philippus.

Otho IV.

Fridericus II.

cem, anno cIↃccxII. transferre cogitur. Is per annos aliquot in Germania ad Reipubl. ſtatum componendum ordinandumque commoratus, in Italiam contendit, & a Pontifice Auguſtalia accepit inſignia. Anno cIↃccxxIIx in Palæſtinam profectus, Hieroſolymam ex Saracenis recepit. Magnæ cæteroquin contentiones ei cum Pontificibus fuere: quum hi ſoli dominari in Italia inſtitiſſent; hic a jure ſuo ne latum quidem unguem recedere decreviſſet. Igitur in Imperatores, anathematis fulmine ſæpius ictos, quoscunque poterant, inſtigare Pontifices conſueverant. Inde ingentes in Italia factiones exſtiterunt: qui Pontificis cauſſæ favebant, *Guelphi*: qui Imperatoris ſequebantur partes, *Gibellini* dicebantur: utraque factio, quum diu incredibili animorum armorumque contentione inter ſe decertaret, magnorum cauſſa malorum exſtitit. Fridericus etſi Pontificis ſociorumque ejus injuriis fortiter a ſe defendebat, eam tamen vim brutum anathematis fulmen, temporibus denſa ſuperſtitionum caligine tunc involutis, habuit, ut, abrogato ei poſtmodum Imperio auctoritate Pontificia in Concilio Lugdunenſi, nonnulli Germaniæ Proceres Henricum Thuringiæ Landgravium Regem crearent anno cIↃccxlv. Is per ludibrium *Rex Papalis* vulgo appellabatur. Altero, quam regnare cœperat, anno moritur.

Guilielmus. Exin Guilielmus Hollandiæ Comes a nonnullis ad Regium faſtigium evehitur, nulla re admodum memorabilis: cum eo de Principatu contendit Conradus Friderici II. filius, Cæſar deſignatus. Hæc inter, pater ipſius, adverſa uſus fortuna in Italia, deceſſit e vita anno cIↃccl. Conradus inde e Germania in Neapolim ac Siciliam, Regna hereditaria, ſe contulit, ibique diem obiit ſupremum anno cIↃcclIv. Guilielmus Hollandiæ Co-

Comes, acie victus a Friſiis, occiditur anno ciↄccLvi.

§. 8. Friderico II. exſtincto, Germanicorum Imperatorum majeſtas penitus exolevit in Italia. Ea ne denuo effloreſceret, Pontifex Carolum Ducem Andegavenſem ad Regnum Neapolitanum capeſſendum evocat. Is, inſtinctu Pontificis, Conradinum, Conradi filium, (is paternum Regnum ad ſe trahebat) prælio victum capit, & vinctum deinde capite plecti jubet. Eo cæſo, ſtirps Ducum Sueviæ penitus exſtinguitur. Inter hæc, Germaniæ Proceres de Imperatore eligendo vehementer inter ſe diſſentiunt: alii Richardum Cornvalliæ Ducem, eundémque Joannis, Angliæ Regis, filium: alii AlphonſumX. Caſtellæ Regem; utrumque anno ciↄccLvii. Imperatores creant. Ac Richardus quidem ad Rhenum venit, delatum ſibi Imperium initurus: ſed pecuniæ inopia circumventus, domum revertitur inglorius. Alphonſus ne inſpexit quidem Germaniæ fines. Ibi tum ad Interregnum res rediit, &, quod dicitur, cœlum terræ miſceri cœpit, omni imperantium parentiumque diſcrimine ſublato. Atque eo major rerum omnium perturbatio fuit, quod, tribus florentiſſimis Germaniæ familiis, Ducum Sueviæ, Marchionum Auſtriæ, & Landgraviorum Thuringiæ, eadem tempeſtate ſimul exſtinctis, permulti eorum poſſeſſionibus ac provinciis inhiabant. Quid quæris? divina humanaque jura omnia confuſa erant, & ut quisque opibus armisque erat validior, ita inferiorem per ſummam injuriam opprimebat: nec jam latrociniis ac rapinas inerat ulla infamia; tamque impune hæc ſcelera ab omnibus paſſim perpetrabantur, ut publica quaſi auctoritate permiſſa ſancitaque eſſe viderentur. Ad tantam prædonum licentiam compri-

Interregnum magnum.

mendam quædam civitates ad Rhenum poſitæ fœdus percuſſerunt anno CIↃCCLV. ei fœderi deinceps complures Principes Dominique ſe junxerant; qui, iſtis prædonum receptaculis, arcibus, caſtellisque everſis, itinera a latrociniis tuta reddiderunt.

Rudolphus I. §. 9. Ad ultimum, Rudolphus Habſpurgicus, Landgravius Alſatiæ, (ab eo hodierni Archi-Duces Auſtriæ genus ducunt) cunctis Procerum ſuffragiis Auguſtus appellatur anno CIↃCCLXXIII. Is, ut novum Imperium ſibi firmaret, filias tres præpotentibus Germaniæ Principibus, Ludovico Comiti Palatino ad Rhenum, Alberto Duci Saxoniæ, Othoni Marchioni Brandenburgico, in matrimonium dedit. Poſt Friderici Marchionis Auſtriaci mortem, (erat is una cum Conradino capitis ſupplicio affectus Neapoli) Ottocarus, Bohemiæ Rex, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, Vinidorum Marchiam, & Portenavium ditionis ſuæ fecerat. Eas provincias Rudolphus ſuæ familiæ peropportunas eſſe ratus, Ottocaro ademit, & Alberto filio hac lege dedit, ut ſe Imperatoris clientem fiduciarium in perpetuum profiteretur. Rudolpho alteri filio Sueviæ Ducatum conceſſit. Albertus, Alberti nepos, ſuperioribus terris Carinthiam, & Tiroliam adjecit. Hoc modo Rudolphus, Imperatoriæ dignitatis beneficio, mediocres familiæ ſuæ opes ingenti divitiarum & dignitatis acceſſione cumulavit. In Italiam, etſi multis rebus invitaretur, proficiſci tamen nunquam voluit, idem ſubinde, quod vulpes in apologo, dictitans, *Quia me veſtigia terrent.* Quin immo multæ Italiæ civitates ab eo volente libertatem immunitatemque pretio mercatæ ſunt. Qua re factum, ut Regnum Italiæ in partes diſtractum penitus concideret. Rem autem Germanicam, vehementer

ter convulſam, Imperator admodum recreavit compoſuitque, permultis arcibus, prædonum receptaculis, everſis. Linguæ quoque Germanicæ uſum, in omnibus publicis privatisque actis, (Latina enim lingua antea conſcribebantur) introduxit. Eo mortuo, anno cIↃccxcI. Albertus filius ſibi vindicare Imperium inſtituit: ſed Archiepiſcopus Moguntinus effecit, ut Adolphus, Naſſoviæ Comes, quem cognatione attingebat, Imperator crearetur, in ſpem erectus fore, ut ad præſcriptum ipſius & nutum omnia adminiſtraret. Ceterum, Adolphus, quum ex ejus voluntate pendere nollet, in odium ipſius incurrit. Sunt qui vitio vertere Imperatori velint, quod accepta pecunia fœdus cum Anglo percuſſit adverſus Gallum. At vero factum iſtud excuſari facile poteſt, propterea quod ei Anglus viciſſim promiſerat, operam ſe daturum, ut Regnum Arelatenſe, per turbas Germaniæ occupari cœptum a Gallo, Imperator recuperaret. Gallus autem Albertum ſibi adjunxit, effecitque, ut ad eum cum exercitu ire pergeret. Is quum ad Rhenum veniſſet, nonnullos Electores, qui alieno animo ab Adolpho erant, Moguntinus accerſit. Ii Adolpho a regimine Germaniæ amoto Albertum ſurrogarunt. Signis collatis quum prælium conſereretur ad Spiram, Adolphus cecidit anno cIↃccxcIIx. manente penes Albertum Imperio. Ejus Imperium nec felix admodum nec gratum Proceribus reliquisque Ordinibus fuit: quod ad opes corradendas animum unice Imperator intendebat. Enimvero exitium ei attulit nimia lucri cupiditas. A Joanne, Sueviæ Duce, eodemque fratris ſui filio, quum ademptum principatum reddere recuſaſſet, interficitur ad Rhenofeldam anno cIↃcccIIx.

Adolphus.

Albertus I.

§. 10. Eo exſtincto, Philippus Franciæ Rex Imperio

Henricus VII.

perio inhiavit. Verum ejus conſiliis prævertunt Electores, qui inſtinctu Pontificis Henricum VII. Comitem Lucelburgicum, Auguſtum feſtinanter crearunt. Is, compoſito ordinatoque Germaniæ ſtatu, quum in Italiam ad motus ſedandos, & Imperatoriam majeſtatem reſtituendam, profectus eſſet, initio tam proſpere rem geſſit, ut exoptatum exitum omnes ſperarent. Jamque, ut ille ait, *dimidium facti*, adſpirante fortuna, *habebat*, quum eum Monachus, a Florentinis, Cæſaris inimicis, pecunia corruptus, ſacro cruſtulo venenato necavit anno CIƆCCCXIII. In novo Imperatore creando diviſa Electorum ſtudia fuerunt: ſuffragantibus aliis Ludovico Bavaro, aliis item Friderico Auſtrio faventibus. Uterque Imperator creatur, & Auguſtalibus ornatur inſignibus; ille Aquisgrani, hic Bonnæ. Jamque nonum annum de Imperio uterque inter ſe, non ſine magno rei Germanicæ detrimento, contendebat, quum Fridericus in acie captus anno CIƆCCCXXIII. Ludovicum æmulo, Germaniam turbis, liberavit. In Italiam profectus, ad firmandas Gibellinorum, qui ipſius partes ſequebantur, opes, etſi initio ſecunda fortuna utebatur, tamen & anathemate ictus, & factioni Pontificiæ impar, expedire conſiliorum rationem haud potuit. In ipſa quoque Germania quamvis ſe fortiter ab inimicorum injuria defenderet, ii tamen, qui Pontifici favebant, ejus conatibus vehementer obſtiterunt. Ad ultimum, Pontifex eo rem deduxit, ut, Imperio Ludovico abrogato, Electores Carolum IV. Marchionem Moraviæ, Joannis Bohemiæ Regis filium, in ejus locum ſufficerent. Is tamen, quoad Ludovicus vixit, auctoritate parum valebat. Ludovicus ceſſit e vita anno CIƆCCCXLVII Illud obſervatione dignum eſt, quod, quum ſuperiores Impe-

Ludovicus Bavarus.

Imperatores, omnes Germaniæ provincias fere circumeuntes, reditibus Imperii ſuſtinerentur, Ludovicus primus ſedem Imperii in ſuis ipſius terris in perpetuum locavit, & ſe ſuamque aulam domeſtico proventu ſuſtentavit. Ejus exemplo admoniti inſequentes Imperatores idem factitarunt: maxime quum poſtea reditus Imperii indies magis magisque imminuerentur.

§. 11. Poſt Ludovici obitum multi Imperium Carolo delatum irritum facere nitebantur. Eduardus, Angliæ Rex, Imperator a nonnullis ſalutatus, accipere dignitatem noluit. Fridericus item, Marchio Miſnicus, oblatum Imperium repudiavit. Poſtremo Guntherus, Comes Suartzenburgicus, Auguſtus appellatur. Eum Carolus e medio tollendum veneno curavit: ſibique Imperium tandem magnis largitionibus firmavit. Enimvero, dum ad clavum Reip. ſedit, donationibus opes Imperii vehementer imminuit afflixitque. Fama tenet, ab eo vicariam Regni Arelatenſis poſſeſſionem Franciæ Regi in perpetuum conceſſam eſſe. In Italia utique omnia, modo emtor inventus ſit, venalia habuit. At vero Bohemiæ, Regni hereditarii, fines proferre haudquaquam neglexit, Sileſiam quoque inter alias regiones cum iſto Regno conjunxit. Civitatibus inprimis maxima incrementa dedit, ut opibus auctæ reſiſtere Principum potentiæ poſſent. Operum ejus præſtantiſſimum fuit *Aurea*, ut vocant, *Bulla*. Hac lege inita eſt ratio, qua rite atque ordine Imperatores crearentur, præcluſo omni diſſenſionum aditu. Moritur anno CIϽCCCLXXIIX. Ante obitum muneribus ampliſſimis perpulit Electores, ut Wenceſlaum filium Regem Romanum crearent: ſed homo inertia & flagitiis infamis, neglecta Imperii cura, nihil præter nomen Cæſaris

Carolus IV.

Wenceslaus.

habuit. Quam ob cauſſam ab Electoribus Imperium ei abrogatur anno CIϽCCCC. verum quum ea ignominia parum moveretur, Behemiæ Regnum hereditarium per multos annos obtinuit. Venceslao Imperatoria dignitate dejecto, Jodocus, Moraviæ Marchio, ſublegitur. Is paucis interjectis menſibus, quum necdum Imperium capeſſiviſſet, deceſſit e vita. Ei Fridericus Brunsvicenſis ſubrogatus, quum Francofurtum tenderet, in itinere interimitur a Comite Valdeccio, quem ei percuſſorem Elector Moguntinus immiſerat. Poſtremo ad Rupertum Palatinum delatum

Rupertus. eſt Imperium. Is quum rem Germanicam bene adminiſtraret, in Italiam expeditionem fruſtra ſuſcepit. Obiit anno CIϽCCCCX.

Sigismundus. §. 12. In Ruperti defuncti locum Sigismundus Rex Hungariæ, Venceſlai frater, ſufficitur, virtutibus omnibusque animi dotibus inſignis; ceterum, infelix bellator. Antequam gubernaculis rei Germanicæ admoveretur, ſignis ad Nicopolin collatis, ingentem cladem accepit a Turcis, ob præcipitem Gallorum, qui auxilio ei venerant, & præfervidum ardorem, anno CIϽCCCXCV. Is, fide, quam dederat, violata, Joannem Huſſum in Concilio Conſtantienſi vivum comburi juſſit. Ejus mortem ſectatores (Huſſitæ dicebantur) ulti ſunt, ingenti cum Germaniæ malo. Imperatorem quippe maximam temporis partem, quo geſſit Imperium, Huſſiticum bellum exercuit diſtinuitque. Fatis conceſſit anno CIϽCCCCXXXVII.

Albertus II. Eum excepit Albertus II. gener idem ac Dux Auſtriæ, & Hungariæ Bohemiæque Rex. Is altero, quam imperare cœpit, anno, quum bellum adverſus Turcam pararet, morte intercipitur

Fridericus III. anno CIϽCCCCXXXIX. Succeſſit in Imperio Fridericus III. propinquus ejus, idemque Auſtriæ Dux:

ex eo tempore Imperium penes familiam Auſtriacam perpetuum & quaſi hereditarium manſit. Eo imperante complures in Germania motus exſtiterunt: quos fere Imperator nihil morabatur. Ipſe eum Ladiſlao, Alberti II. filio, de Auſtria armis contendens: item in bello, quod ei Matthias Hunniades, Rex Hungariæ, intulerat, majora patientiæ, quam fortitudinis ac virtutis bellicæ, documenta dedit. Ceſſit e vita anno cıɔccccxciii. Maximiliano I. filio Imperio per manus tradito. Is non alia re felicior fuit, quam quod Maria, Caroli Audacis Burgundiæ Ducis filia, in matrimonium ducta, univerſum Belgium Imperio domus Auſtriacæ adjecit. De cetero, ut ipſe erat mobili ingenio, ita magnam fortunæ varietatem & inconſtantiam expertus eſt. Bella cum Helvetiis Venetiſque geſta triſtem habuerunt exitum. Operum, quæ edidit, pulcherrimum fuit, quod praviſſimam Germaniæ conſuetudinem, qua de jure armis diſceptabatur, abolevit, pace publice privatimque ſtabilita. Deceſſit anno cıɔıɔxix. Maximilianus I.

§. 13. Cæſar inde creatus eſt Carolus V. Maximiliani nepos; qui & Hiſpaniæ Regnum & Belgii Principatum obtinebat. Sub ejus Imperio magnam rerum converſionem in Germania fecit Religio. Diplomata, quibus peccatorum in multos annos dabatur venia, (vulgo *Indulgentias* appellant) Pontifex, non ſine magno hominum ſaniorum offendiculo, paſſim vendi juſſit in Germania. Igitur Lutherus, Theologus Wittebergenſis, in tam peſtilentem nundinationem invehi palam cœpit anno cıɔıɔxvii. Ei quum multi ſe oppoſuiſſent, brevi ingens partium contentio exſtitit, jamque cœlum, quod ajunt, terræ miſceri cœptum eſt. Ac initio quidem Pontificis ſe judicio Carolus V. Reformatio Religionis per Lutherum.

Lu-

Lutherus ſubmiſit. Verum quum is, Luthero damnato, ſecundum *Indulgentiarum* nundinatores litem dediſſet, ad Concilium liberum Lutherus provocavit, & longius inde progreſſus, ipſam Pontificis auctoritatem, aliosque errores & labes, quibus infecta Eccleſia a priſtini cultus caſtitate deſciverat, impugnare cœpit. Ejus inſtitutum confeſtim approbatum eſt a multis, magno ſectatorum numero indies confluente: jamque Principes ac Liberæ Civitates paſſim exigere Sacerdotes & Monachos cœperunt, bonis eorum in publicum redactis. Etſi Imperator, proſcripto Luthero, in Comitiis Vormatienſibus, ne quid in Religione novaretur, edictis prohibere conatus ſit, tamen bello Gallicano diſtentus, animum ad inteſtinas res intendere haud potuit: itaque major indies multitudo ad Lutheri partes impune ſe aggregavit. Quin immo veriſimile eſſe videtur, Imperatorem haud ægre eſſe paſſum, ingraveſcere indies morbum, ut majores ex curatione fructus perciperet. Anno CIↃIↃXXIX. quum promulgatum in Comitiis Spirenſibus Edictum Principes Germaniæ ægre ferrent; nihil ſe eorum, quæ Edicto continebantur, facturos palam denuntiarunt: ea re vulgatum *Proteſtantium* eis nomen eſt inditum. Inſequente anno Religionis ſuæ capita litteris conſignata exhibuerunt Imperatori, in Comitiis Auguſtanis. Exin, ut ſaluti ſuæ magis etiam conſulerent, fœdus inter ſe ad mutuum ferendum auxilium, percutiunt Smalcaldii. Ei fœderi complures Germaniæ Principes, & Civitates nomina ſua dedere. Renovatum eſt anno CIↃIↃXXXV. Societas iſta Imperatorem vehementer habuit ſollicitum. Itaque dirimere eam omni ope nitebatur, ſed fruſtra. Fœderati quippe, qui jam confidere ſuis viribus incipiebant, haudquaquam committebant,

bant, ut diſcordia diſſiparentur opes. Poſtremo ex occultis odiis ſuſpicionibusque res, ut fit, ad arma venit. Et Proteſtantes, exercitu ad centum hominum millia conſcripto, caſtra communiunt anno CIƆIƆXLVI. ducibus Joanne Friderico Electore Saxonico, & Philippo Haſſiæ Landgravio. Ii ſi primo ſtatim impetu, quum necdum vires contraxiſſet Imperator, hoſtilem exercitum, illatis ſignis, invaſiſſent; caſtris exutum haud dubie profligaturi fuiſſe videbantur. Verum prima hoſtis debellandi occaſione dimiſſa, Imperator, comparatis interim copiis, quum jam bello ſuſtinendo par eſſet, exercitum Proteſtantium diſſipavit fugavitque. Electori domi per Mauritium propinquum negotium faceſſit, ut eum a bello externo inteſtinæ turbæ averterent. Exin Civitatum Imperialium pleræque ſupplices veniam petere coguntur, & ingenti pecuniæ ſumma mulctantur. Inſecuto anno Cæſar Saxoniam infeſtis copiis ingreſſus, Electorem acie victum ad Muhlbergum capit. Eum quum capitis primum damnaſſet, poſtea mitiori ſententia lata, in carcerem conjici juſſit. Philippus quoque, quum ſe in poteſtate Cæſaris futurum declaraſſet, præter opinionem & datam fidem captivus adducitur. Itaque inclinata jam Proteſtantium Religio eo tempore nutare cœpit. Dignitas Electoralis Joanni Friderico adempta, una cum terris ejus ditioni ſubjectis, in Mauritium Saxoniæ Ducem transfertur. Ad extremum Mauritius, haud ſibi diutius ferendum ratus, ut Religio & Libertas juxta opprimerentur, & Landgravius, ſocer ejus, qui ipſius inductus auctoritate ad Cæſarem veniſſet, diutius in ſqualore carceris eſſet: citato agmine in Imperatorem ducit exercitum, ut parum abeſſet, quin ipſum Oenoponte opprimeret anno CIƆIƆL. Henricus

cus II. autem Rex Galliæ infeſto exercitu tranſgreſſus in Germaniam, Metim, Tullum, & Verdunum ex improviſo capit. Inter hæc Pacificatoris perſonam ſuſcepit Ferdinandus Rex, idemque Cæſaris frater, eoque rem deduxit, ut tandem pax coïret Paſſaviæ, anno CIƆIƆLII. hac lege, ut, dum certa rei componendæ ratio proximis Comitiis ineatur, ſalva interim Religio eſſet. Landgravius inde e cuſtodia dimittitur: quum Joannes Fridericus, Elector, paulo ante carceri exemptus ab Imperatore eſſet. Ad ultimum Comitiis Auguſtæ Vindelicorum indictis, de ſumma Religionis pax conficitur anno CIƆIƆLV. his conditionibus, ut ſua utrique parti ſacra ſarta tecta relinquerentur, neu controverſiam eo nomine alteri altera moveret, aut injuriam inferret: bona Eccleſiaſtica, quæ ad Pacificationem Paſſavienſem uſque alienata eſſent, Proteſtantes retinerent. Porro Caroli V. Imperium ingentes turbæ a ruſticis in Germania concitatæ nobilitarunt. Per eum tumultum ad centum agreſtium rebellium millia cæſa ſunt anno CIƆIƆXXV. Subinde Vienna obſidione cingitur a Solymanno, Turcarum Imperatore, anno CIƆIƆXXIX. Verum is, magna accepta clade, obſidionem ſolvere coactus eſt. Eidem majoribus inde copiis in Auſtriam iterum tendenti Cæſar occurrit, hoſtemque turbatum a finibus ſuis feliciter ſubmovit. Anno CIƆIƆXXXIV. Anabaptiſtæ novum condere Regnum in Weſtphalia inſtiterant, anteſignanis, Joanne Leidenſi, ſartore, & Knipperdollingio. Ceterum, homines fanatici dignum furore exitum habuerunt. Ad ultimum, Carolus V. Imperator virtute & rebus præclare geſtis nulli ſecundus, Imperium depoſitum Ferdinando fratri, eidem Hungariæ & Bohemiæ Regi, per manus tradit.

Ferdinandus I.

tradit. Is Anna, Ludovici, Hungariæ & Bohemiæ Regis, (qui in prælio cum Turcis commiſſo ad Mohatzium oppidum cecidit) ſorore, in matrimonium ducta, Auſtriacæ domus opes utriusque Regni acceſſione cumulaverat. Sub ejus Imperio pacata & quieta fuit Germania. Rebus humanis eximitur anno CIↃIↃLXIV. Maximilianus II. inde filius Cæſar creatus eſt. Eo imperante, otium ab armis fuit: niſi quod a Guilielmo Grumbachio & ſociis ejus nonnihil turbatum eſt in Germania, qui, Melchiore Lobelio, Epiſcopo Herbipolitano, interfecto, & ipſa urbe, Epiſcopi ſede, direpta, Nobiles ad ſeditionem concitare, & paſſim res novas moliri nefarium in modum inſtiterunt. Grumbachium, quum proſcriberetur ab Imperatore, Joannes Fridericus, Saxoniæ Dux, defendendum ac protegendum ſuſcepit, magno ſuo malo. Gotha namque, oppido munitiſſimo, everſa, ipſe captivus abducitur, anno CIↃIↃLXVII. Maximilianus vita fungitur anno CIↃIↃLXXVI. Succeſſit ei Rudolphus II. Eo Imperatore quieta itidem res Germanica fuit: niſi quod bella Hungarica ſubinde exercendæ virtutis materiem Germanis præbuerunt: & quod de Principatu Juliacenſi quædam contentiones exortæ ſunt: quod Matthias denique, Archidux Auſtriæ, Cæſaris frater, diuturnioris moræ impatiens, Imperii hereditatem, fratre adhuc vivo, ſibi aſſerere haud obſcure indicaret. Ei Hungariam & Auſtriam Rudolphus conceſſit. Moriens anno CIↃIↃCXII. fratri una cum reliquis poſſeſſionibus Imperium per manus tradidit.

Maximilianus II.

Rudolphus II.

§. 14. Matthia Imperatore, gliſcentes diſcordantis Germaniæ ſcintillæ, quum indies magis inflammarentur, tandem ſub ejus exceſſum horrendum illud belli tricennalis incendium pepererunt.

Matthias.

Motuum per Germaniam & belli origo.

Ejus cauſſa potiſſimum hæc fuit: Pacis, quæ de Religione componebatur, formula duarum tantummodo partium mentio eſt facta, eorum videlicet, qui ſe aut Catholicæ, aut Auguſtanæ Confeſſioni addictos nuncupabant: reliquis Sectis omnino ſacris interdicebatur. Verum enim vero quum ex Ordinibus Germanicis nonnulli ad Calvinianorum, ut vocant, ſeu Reformatorum Religionem deſciviſſent, (principes inter eos fuere Comes Palatinus & Landgravius Heſſo-Caſſellanus) Catholici nullam eorum in Pacificatione iſta rationem habendam eſſe contenderunt. Illi autem contra tendebant, æque ſe ac reliquos Proteſtantes Auguſtanam Confeſſionem amplecti, nec niſi in paucis Religionis capitibus ab illis diſſentire, dictitantes. At vero reliqui Proteſtantes, qui quaſi in verba Auguſtanæ Confeſſionis juraverant, Reformatos eandem ſecum ſectam ſequi, negarunt quidem, ceterum, nequaquam exagitandos ob leve diſcrimen exiſtimarunt. Poſtea vero diſſentientium de quibusdam Religionis capitibus animi ita uſque adeo a Sacerdotibus accendebantur, ut Proteſtantibus non minus Calvinianorum quam Pontificiorum nomen exoſum eſſet. Eam diſcordiam Catholici ſuam eſſe occaſionem rati, blanditiis veteres Proteſtantes demulcent, Reformatos autem iis ita depingunt, ut ex æquo utriusque partis hoſtes eſſe videantur. Hæc eo faciebant conſilio, ut, ubi data occaſio fuerit, Reformatos a reliquis Proteſtantibus deſtitutos labefactare poſſent. Quo facto, reliquos deinde everti & percelli nullo negotio poſſe credebant. Ea re cognita, Reformati, ſaluti ſuæ conſulendum rati, fœdus ineunt: quibuscum multi etiam Proteſtantes ſe conjunxerunt. Id fœdus *Unio Evangelica* ab iis dicebatur. Pontificii autem aliud ei fœdus oppo-

ſuerunt: ei *Ligæ Catholicæ* nomen inditum. Princeps ſuorum fœderatorum & anteſignanus fuit Bavarus, perpetuus Palatini æmulus. Aliæ quoque nec leves iræ & mutuæ offenſionis cauſſæ acceſſerunt: ſcilicet, ægre ferebant alii, poſt Pacificationem Paſſavienſem multa bona Eccleſiaſtica a Proteſtantibus occupata; alii, Aquisgranenſes & Donaverdenſes injurioſius tractatos eſſe; alios denique alia male habebant, quæ internecinum utriusque partis odium ſatis declarabant.

§. 15. Hoc modo præparatis animis, quum jam utraque pars bellum ſpectaret, eaque, quæ ad eam rem uſui ſunt, compararet; evenit, ut, turbata Bohemia, tam repente ex parvis initiis ingens belli flamma exarſerit. Bohemi, jura ſua ac privilegia labefactata a Matthia Cæſare conqueſti, quum tumultum facere cœpiſſent; viros illuſtres tres, qui ad eos Imperatoris nomine verba faciebant, e feneſtra in ſubjectam aream præcipites dederunt Pragæ anno CIↃIↃCXIIX. Mox comparato exercitu caſtra communiunt: & in Auſtriam inde irrumpunt. Inter hæc Matthias Imperator moritur: quo vivo, Ferdinandum, fratris ejus filium, (is Imperator inde creatus eſt) Regem elegerunt. Ceterum, conditiones, quas in deferendo Regno Ordines ei tuliſſent, ab eo haud eſſe ſervatas contendebant. Itaque obſequium Ferdinando renuntiant: Regnumque ad Fridericum, Electorem Palatinum, deferunt. Juvenilem Principis animum Miniſtri, homines partim turbulenti, partim impares tantæ rei, perpulerunt, ut oblatum accipere Regnum prius decerneret, quam aut jacta tantæ rei perficiendæ fundamenta, aut circumſpectæ rationes eſſent. Ipſi Bohemi perfidi erant & inconſtantes. Gabriel Bethlemius, Tranſylvaniæ Princeps, ingenio mobili fuit: Anglus

Motus per Bohemiam.

Ferdinandus II

glus immiſcere ſe ei bello omnino nolebat: nihilo plus auxilii ferebatur a Belgis Fœderatis: Societas, quæ vulgo *Unio* appellabatur, corpus erat multorum capitum, nullo animi robore, nullo certo conſilio fultum. Adhæc Gallus inter alios laborabat, ut iſta diſſolveretur *Unio*, veritus, ne Palatinus ceterique Reformati viribus aucti Hugenotis auxilium ferrent: ad quos opprimendos omnem curam & cogitationem per id tempus Gallus intenderat. Initio haud ſecunda fortuna Ferdinando fuit; jamque in ſummum diſcrimen adducta res Auſtriaca videbatur, quum Bethlemius, Tranſylvaniæ Princeps, Hungariam ſubigere moliretur; ipſe quoque populus Auſtriacus, indignatione commotus, a ſeditione non alienum habere animum videretur. Ceterum, Ferdinandus opibus Maximiliani Bavari fultus, reſpirare nonnihil & mox vires recreare cœpit. At vero res Palatina, infelici prælio (quod ad Pragam in monte, qui vulgo *Albus* appellatur, commiſſum) labefactata, repente ruit. Victoria tam illuſtri parta, Ferdinandus Bohemiam, Moraviam & Sileſiam, quæ ſe ab ipſius imperio abruperant, nullo fere negotio recuperat. Ambroſius Spinola Palatinatum ad Rhenum, ab *Unione* deſtitutum, infeſtis copiis populabundus ingreditur. Bavaro Palatinatus ſuperior & Electoris dignitas operæ navatæ præmium fuit. Ob eandem cauſſam Electori Saxonico, qui in recipienda Sileſia præſto Imperatori fuerat, Luſatia attributa, ea lege, ut Regni Bohemiæ cliens fiduciarius in perpetuum eſſet. Ceterum, quum Marchio Durlacenſis, Chriſtianus Dux Brunsvicenſis, Comes Mansfeldius, aliique partes Palatini ſequi necdum deſiſterent, Imperator, per ſpeciem hoſtis perſequendi profligandique, copias per Germaniam indies longius latius-

latiusque diffudit. Ad eorum injurias a finibus ſuis propulſandas, Inferioris Saxoniæ Principes, exercitum comparant, Circuli, ut vocant, duce creato, Chriſtiano IV. Daniæ Rege. Is a Tillio acie victus funditur fugaturque ad Lotteram, (Konigs-Lutter) anno CIↃIↃCXXVI. Exin Imperator, diſperſis per omnem Saxoniam Inferiorem copiis, Chriſtianum Regem in tantas redegit anguſtias, ut pacem facere cogeretur Lubecæ anno CIↃIↃCXXIX. Ibi tum arma victricia Cæſariani etiam ad Mare Balthicum circumferre cœperunt.

§. 16. Imperator proſpero rerum ſucceſſu elatus, quum jam ad nutum ſuum circumagi Germaniam poſſe exiſtimaret, Edicto propoſito cavit, ut, quæ poſt Pacificationem Paſſavienſem occupata eſſent a Proteſtantibus, bona Eccleſiaſtica Catholicis reſtituerentur. Sperabat autem fore, ut, reliquiis Proteſtantium eo pacto labefactatis & everſis, Catholici deinceps vel inviti ſe ad nutum ipſius & voluntatem accommodarent. Ad Cæſaris potentiam reprimendam Proteſtantes ſocietatem ineunt Lipſiæ. Verum enim vero parum eo fœdere profectum foret, ni Guſtavus Adolphus, Suecorum Rex, valido cum exercitu in Germaniam ſubinde veniſſet. Ad eam expeditionem ſuſcipiendam Regem multæ graviſſimæque cauſſæ impulerunt. Ac primum quidem omnium, metuebat, ne, ſi opes ſuas ad Mare Balthicum Imperator firmaſſet, in magnum diſcrimen res Suecica veniret: itaque, ut ſuos tutaretur fines, in illius terras arma inferre ſtatuit. Accedebant complurium Germaniæ Principum, opem ipſius implorantium, preces; tum injuria a Cæſare illata animum vindictæ cupidum exſtimulabat: Cæſar enim, quum Suecorum Rex bel- Edictum bona Eccleſiaſtica concernens.

lum gereret in Boruſſia, Polono hoſti ejus auxilia miſerat. Denique movit eum amicitia cum Gallo & Batavis, qui creſcentes Auſtriacæ domus opes ægre ferebant, juncta. Is igitur Germaniam cum exercitu ingreſſus anno CIƆIƆCXXX. Cæſarianos ex Pomerania & finitimis provinciis expellit. Jamque inſequente anno, Tillius, Magdeburgo fœdum in modum everſo, de labefactando Electore Saxonico cogitabat, quum Guſtavus, copiis cum Saxone conjunctis, Tillium memorabili prælio profligavit ad Lipſiam. Ea clade accepta, omnium ſpes fructuum, quos ex victoriis per duodecim annos uno tenore partis capturum ſe Imperator credebat, ad nihilum recidit. Inde ad Rhenum iter inflexit; & brevi temporis ſpatio, adſpirante fortuna, res incredibiles geſſit. Ceterum, dum ſegniter rem gerit in terris hereditariis Imperatoris Saxo, interim comparandi exercitus numeroſi ſpatium hoſtibus eſt datum. Iis copiis Vallenſteinius præficitur. Adverſus eum Rex cum exercitu profectus, quum diu caſtris caſtra oppoſita habuiſſet ad Norimbergam anno CIƆIƆCXXXII. prælio tandem haud procul Lutzena commiſſo, victor cecidit. Poſt ejus mortem duces bellum quidem ſatis proſpere perſequuntur, ſub auſpiciis Axelii Oxenſtirnii, Regni Cancellarii; ceterum, quum hoſtem ad pugnam temere elicuiſſent, acie victi profligatique ad Nordlingam, omnem pene tot victoriarum fructum amiſerunt. Accepta tam inſigni calamitate, Saxo pacem cum Imperatore facit Pragæ anno CIƆIƆCXXX. ejus pacis conditiones non admodum gratæ Proteſtantibus acciderunt. Jamque in ſpem venerat Imperator, fore, ut Succorum copias per vim ex Germania expelleret. Verum enim vero collapſas Succorum vires ducum prudentia juxta & vir-

virtus bellica paulatim recreavit; a quibus tandem in ipſius Imperatoris fines converſum eſt bellum. Ad ultimum, ſummo utriusque partis ſtudio ad pacem res deducitur. Imperator enim & Ordines Imperii tot belli diuturni malis feſſi otium expetebant. Jamque Gallia inteſtinis agitari turbis cœperat: Hollandia ſeorſim a ceteris pacem cum Hiſpano fecerat: Sueci denique verebantur, ne quid aut Germani (ex iis enim exercitus potiſſimum conſtabat) malorum, quæ ſe adnitentibus patriæ inferrentur, pertæſi, ad ultimum turbarent, aut fortunæ variantis iniquitas aliquando omnem victoriarum fructum eriperet. Pax igitur compoſita eſt, cum Suecis Oſnabrugæ, cum Gallis Monaſterii anno CIƆIƆCXLIIX. his legibus, ut Suecis pars Pomeraniæ, Brema & Viſmaria concederentur, & ſimul quinquagies centena Imperialium millia ad ſtipendium militibus ſolvendum numerarentur: Gallus Briſacum, Sundgaviam, Præfecturam Alſatiæ, & præſidium Philippiburgi teneret. Ea pace uti Principum Germaniæ auctoritas, & Religio maxime Proteſtantium conſtabilita eſt: ita Cæſaris Majeſtas, ne per eam Ordines Imperii vexaret, vehementer eſt circumſcripta: præſertim quum aliquam Germaniæ partem Suecus Gallusque inſideant, qui præſto ſint ad fines, ſi quis eos, contra quam in Pacificatione conventum eſt, tranſilire velit, regendos. Inter armorum ſtrepitum Ferdinandus II. moritur anno CIƆIƆCXXXVI. Ei ſucceſſit Ferdinandus III. qui diem obiit ſupremum anno CIƆIƆCLVII. In ejus locum anno inſequente Leopoldus ſurrogatus eſt. *Ferdinandus III.*

§. 17. Poſt Pacificationem Weſtphalicam admodum diuturnum ab armis otium Germaniæ fuit: niſi quod, Suecis bello Danico implicitis, Imperator & Elector Brandenburgicus infeſto *Leopoldus.*

agmine Pomeraniam ingreſſi ſunt anno CIↃIↃCLIX. Sed ea res compoſita eſt pacificatione Olivica. Anno CIↃIↃCLXIII. bellum cum Turcis exortum eſt. Eo bello etſi Neoheuſelium Turcæ ceperunt, ingentes tamen clades, maxime ad Fanum S. Gothardi, acceperunt. Et ſunt, qui exiſtimant, Turcas, ſi eam victoriam Cæſar ſtrenue perſecutus eſſet, univerſo Hungariæ Regno exui potuiſſe, quod & a Perſis bellum inferentibus, Præfectisque (*Baſſas* vulgo vocant) rebellionem facientibus, ſibi metuebant, & per id tempus Veneti in obſidione Candiæ nihil ad ſummum terrorem incutiendum reliqui faciebant: ſed Imperator pacem facere maturavit, Galli, ut nonnulli exiſtimant, metu compulſus. Anno CIↃIↃCLXXII. denuo inter Germanos & Regem Gallorum bellum eſt ortum, propterea quod Belgis Fœderatis, quos bello Gallus petierat, Imperator & Elector Brandenburgicus ſubſidio venire aggrediebantur. Quanquam enim, anno ſuperiori Imperator, icto cum Gallo fœdere ſeſe a bello affore ſpoponderat, ſi quando Rex aliquem ex iis, qui *triplici illo fœdere* juncti eſſent, invadere inſtituiſſet: tamen copias proficiſci ad Rhenum juſſit, officii ſui eſſe dictitans, providere, ne quid detrimenti ex vicino incendio res Germanica capiat. Adhæc Brandenburgicus terram Clivienſem Gallorum populationibus miſerandum in modum vexatam eſſe conquerebatur. Iis igitur Gallus infeſtis copiis occurrit, ut, bello in Germaniam tranſlato, Imperatorem a bello Belgico averteret. Ceterum, quum non ſolum Germaniam Gallicus miles fœde popularetur, ſed etiam Auguſtam Trevirorum ditionis ſuæ feciſſet; Imperator Ordines Imperii perpulit, ut ab iis Gallus in hoſtium numero haberetur. Exin Suecia quoque in iſtud bellum implica-

plicatur. Ad ultimum, pax coiit Neomagi anno cIↄIↄCLXXIX. in has conditiones, ut Gallus pro Philippiburgo Friburgum Briſgaviæ retineret: Suecus in provinciarum ſibi eo bello ademptarum poſſeſſionem reſtitueretur.

§. 18. Gentem, cujus ambitu tantum continetur Imperium, ipſam ſi contempleris, Germanos omni memoria fortes & bellicoſos exſtitiſſe deprehendes: ut adeo ex Germania, tanquam ex equo Trojano, infinita militum præſtantiſſimorum multitudo prodierit: nec eorum copia unquam deeſt, qui operam militarem pretio locent. Nec primum tantum impetum fortiter facere juxta & ferre poſſunt, verum etiam, ſi in diſciplina militari inſtituti fuerint, ad continuata & diuturna belli incommoda perferenda obdureſcunt. Non aliam gentem facile reperias, quæ magis venalem peregrinis vitam habeat. Nec ulla totius orbis Chriſtiani natio majores, qua equitum, qua peditum, exercitus conficere poteſt. Præterea mercaturæ & inprimis opificiorum varii generis non minore ducuntur ſtudio, quam pollent in iis tractandis ſolertia. Neque ad ea urbani ſolum homines, ſed etiam ruſtici, quaſi inito certamine, incumbunt: nec ullus fere agreſtium re paulo lautiore eſt, quin filium in officinam aliquam artis mechanicæ peritia inſtruendum non tradat. Quanquam ex iis multi ſunt, qui poſtmodum ſigna militaria ſequi, quam in ſuſcepto vitæ genere perſiſtere, malint. Candida gens & fraudis expers antiquam & vere Germanam fidem mirifice prædicat. Denique rebus novis haud temere ſtudent Germani, nec Reip. formam, cui ſemel inſueverunt, facile mutant.

Nationis Germanicæ indoles.

§. 19. Germania quanquam extra fines ſuos haud protulit imperium, (niſi in provinciarum exte-

Quæ ſit regionis & terræ natura.

exterarum numerum Hungariam, Auſtriacæ domus imperio ſubjectam, referas,) vaſto tamen ambitu longe lateque patet, majoribus minoribusve urbibus, oppidis, & vicis frequentiſſima. Terra maxima ex parte fœcunda: nec facile terram ampliorem paulo reperias, quæ nihil, quod ad vitæ uſum pertineat, proferat. Quin immo Germania ubique ingenti alimentorum copia abundat. Metallis varii generis dives, argentum maxime, cuprum, ſtannum, plumbum, ferrum, argentum vivum, aliaque id genus, e viſceribus terræ largiter effundit. Fontium quoque, ex quibus ſal coquitur, ingens copia. Flumina, quæ Germaniam interfluunt navesque pati poſſunt, magnam ad merces ultro citroque deportandas opportunitatem habent. Exportantur autem merces hæ: ferrum, quæve ex eo affabre conficiuntur inſtrumenta varii generis, plumbum, argentum vivum, vinum, frumentum, cereviſia, pannus condenſus & craſſiori filo textus, varia telæ ex lana & lino genera, equi, oves, & ſimilia. Quod ſi Germani merces & opera artificioſe concinnata, quæ importare in Germaniam peregrini conſueverunt, aut pari induſtria ipſi domi conficere ſtuderent, aut patriis contenti bonis a mercibus importatis, quantum fieri poſſet, ſe abſtinerent; mercium, quæ exportantur, multitudo, earum, quæ importantur, numerum haud dubie multis partibus ſuperaret. Itaque non poſſet non divitiis affluere Germania, maxime quum tanta argenti vis e terræ viſceribus effodiatur.

Forma regiminis. §. 20. Reipubl. Germanicæ forma non ejusmodi Regni faciem præ ſe fert, ubi unus omnia poſſit, & Regni opibus ad ſuum arbitrium utatur, a cujus denique nutu ac voluntate, qui in Regno degunt, ad unum omnes pendeant, ita ut

ut adverſus ejus imperium nemo ne hiſcere quidem audeat. Nec Regia poteſtas in Germania iis circumſcripta finibus eſt, quibus quorundam Europæ Regum imperium coercetur; quibus ſine Ordinum auctoritate, de nonnullis rebus ad Reip. ſummam & majeſtatem ſupremam pertinentibus, decernere quidquam aut agere fas non eſt. Verum peculiarem plane Reip. formam Germania præ ſe fert: qualem in nulla Chriſtiani orbis Republica reperias, niſi quod Gallica olim cum ea fere congruiſſe videatur. Caput equidem Germania habet, titulo Romani Regis inſigne; ejus nominis ea olim vis & ſignificatio fuit, ut nihil aliud, quam urbis Romanæ imperium, & Eccleſiæ patrimoniique ſacri tutelam contineret. Eam dignitatem Otho I. cum Imperio Germanico in perpetuum conjunxit: tametſi Pontifices jam pridem in eum locum rem deduxerunt, ut jam præter inane nomen Reges Germanici nihil haberent. Ordines autem Germaniæ, quorum aliqui multas & amplas regiones tenent, iis ſupremæ poteſtatis partibus utuntur, ut, quamvis clientes fiduciarii Cæſaris & Imperii ſint, ſubjecti tamen aut illuſtres Reipubl. cives (ſi calculum bene ponas) dici nequeunt. Summo enim cum imperio ſuæ quisque terræ præſunt, (id vulgo *Jus Superioritatis* vocant:) & omnia fere Majeſtatis jura exercent: penes ipſos quippe vitæ necisque, legum civilium ac rerum Eccleſiaſticarum, (apud Proteſtantes utique) poteſtas eſt: iidem reditus omnes ex vectigalibus ſuæ quisque terræ capiunt: fœdera inter ſe & cum exteris Principibus pro lubitu ineunt, dummodo ne quid contra Cæſarem aut Imperium moliantur: arces caſtellaque exſtruunt, præſidiisque firmant: ſuas domi copias conſcriptas habent: ſuis auſpiciis bella gerunt:

monetam cudunt, &c. Quæ quidem Procerum Majeſtas obſtat, quo minus Cæſaris in Imperio Germanico, ſi a terris hereditariis diſceſſeris, poteſtas ſit. Verum tamen uſu comprobatum eſt, Proceres, quo major Imperatoris auctoritas & potentia ipſa per ſe eſſet, eo magis ad ejus nutum accommodare ſe neceſſe habuiſſe. Illud utique conſtat, Procerum amplitudinem (niſi quod de dignitate Electorali quædam *Aurea Bulla* diſerte cavit,) conſuetudine inveterata potius, quam ſcripta lege, ſubnixam fuiſſe, antequam pacificatione Weſtphalica majeſtas eorum & ſuprema poteſtas plane, dilucide, ac diſtincte ſtabilita fuit & confirmata.

Quæ ſint ejusdem vires. §. 21. Etſi viribus Germania uſque adeo pollet, ut terrorem incutere finitimis omnibus poſſet, dummodo conjunctis viribus & ſatis firmatis rem bene gerat: multæ tamen nec leves in tanto corpore labes notantur, quæ virium uſum aut impediunt, aut minuunt. Inter eas haud poſtremum locum obtinet *irregularis Reipublicæ forma*, quæ nec Regnum dici nec ſyſtema ſociorum poteſt: ſed media inter utrumque utriusque naturam participat quodammodo. Nec enim aut Imperator in ſumma Reip. Germanicæ, aut Proceres in ſua quisque terra, infinitam & omnibus numeris abſolutam poteſtatem habent. Uterque tamen ea majeſtatis jura tenet, quæ nec Præſidi alicui aut Præfecto, nec ſubjectis aut civibus quamvis illuſtribus, attribui ullo modo poſſunt. Atque hanc ob cauſſam potiſſimum Imperatores deſeruiſſe Italiam & Regnum Arelatenſe videntur, quod eis Principes Germaniæ opibus ſubnixi, & turbulenti Epiſcopi, vocibus Pontificum inſtincti, tantum negotii domi exhibebant, ut, omiſſis fere longinquis regionibus, ad ſuam in Germania majeſtatem tutan-

tandam, & inteſtinas turbas ſedandas, animum unice intendere cogerentur. Sed tamen apud Hiſtoricos haud reperio, ex vetuſtis Imperatoribus quemquam, labefactatis Principibus, ad dominationem Germaniæ adſpiraſſe. Carolus V. primus tam peſtilenti ambitione ab Hiſpanis, vel, ut alii volunt, a Nicolao Perenotto Granvellano infectus eſſe creditur. Equidem, easdem ob cauſſas, Carolum a ſpe Imperii excludi ab Electoribus oportebat, ob quas Franciſcum I. Gallorum Regem, Auguſtum creari haud e Republica eſſe videbatur. Docet enim ipſa ratio, populo, penes quem ſuffragiorum poteſtas eſt, non eum Regem eſſe eligendum, qui amplum & hereditarium imperium a majoribus relictum teneat: cuive avitæ poſſeſſiones majori curæ ſint, quam quod recens ſuffragio delatum eſt Regnum. Nam fieri haud poteſt, quin ejusmodi Rex novum Regnum aut ſegniter adminiſtret, aut ipſius commodis eatenus ſerviat, quatenus avito imperio expediat, aut ad hoc firmandum illius vires transferat, aut denique Regnum ſuffragiorum libertate fultum æterna ſervitute opprimere, & hereditario adjicere imperio, omnibus modis ſtudeat. Hæc, quæ commemoravi, mala, ſimul omnia, Carolo imperante, in Imperium Germanicum incubuere. Nam in Germania raro, nec niſi quum iter per eam faceret, Cæſar conſpiciebatur: conſilia factaque non ad Germaniæ ſalutem & utilitatem, ſed ad familiæ ſuæ gloriam ſplendoremque & opes omnia referebat. Ad ultimum, eo progreſſa eſt dominandi libido, ut per cauſſam Religionis Procerum libertatem labefactare penitus & evertere conaretur. E contrario, ſi Imperatorem habuiſſet Germania præter Imperii fines, parum aut nihil poſſidentem, ipſa Reip. ſalus & utilitas monuiſſet,

ut

ut nec Gallis nec Hiſpanis, potentiſſimæ utrique & ferociſſimæ genti, ſe adjungeret Imperator: ſed medium ſe, & velut arbitrum inter utramque gerendo, ſineret decertantes inter ſe mutuis atteri cladibus; de cetero, prout res poſtularet, modo hos, modo illos juvando, par virium momentum inter utrosque faceret; prohiberetque, ne vel alter alterum funditus everteret, vel alterutra pars ex alterius calamitate formidabiles Germaniæ vires ſibi compararet. Magni quippe refert, utrum in aliorum contentionibus arbitri perſonam ſuſtineas, an cum alterutra parte ita te conjungas, ut quaſi litem tuam facere videaris. Nam ſi prius eligas, longius, quam libitum fuerit, progredi neceſſe non habes: ſaltem illud caveri poteſt, ne quid ex ea re detrimenti capias. Sin poſterius; quomodocunque res cadat, male mulctaberis; aut ſaltem laboris tui fructum alius intercipiet: itaque, ut obnoxio & Germaniæ pernicioſo obſequio honeſtus titulus prætenderetur, Carolus V. Proceres Imperii (neque enim ea tempeſtate quisquam, Proteſtantibus oppreſſis, vel hiſcere contra eum audebat) perpulit, ut *Circulum Burgundicum* defendendum ſuſciperent. Id eo conſilio factum eſt, ut bellis quæ cum Gallis Hiſpani gererent, Germani ſe immiſcere, & pro Belgicis provinciis, Hiſpanico imperio ſubjectis, vitam opesque profundere ne recuſarent. Equidem fateor, haud e re publica Germanorum eſſe, eas provincias in ditionem Gallorum venire: ſed tamen cauſſæ nihil video, cur Germaniæ Proceres ideo ſummum ſalutis ſuæ diſcrimen adire, aut ruere in perniciem ſuam præcipites debeant: quum aliorum etiam, qui ad ſumtus ſuſtinendos majoribus pollent opibus, majoris aut ſaltem æque magni interſit, ne iſtæ provinciæ opprimantur ab hoſte. Porro, hu-

hujus quoque conſilii architecti fuerunt Hiſpani, quod exorientis in Germania Evangelicæ doctrinæ lumen reſtinguere Carolus V. in animum induxit. Nam ut de manifeſta Pontificiæ Religionis falſitate nihil dicam, cauſſæ nihil video, cur Imperator, qui præter Germaniæ ſalutem ob oculos nihil habeat, conſentienti totius nationis voluntati manibus pedibusque obniti debeat. Quin potius oportebat eum exoptatiſſimam tyrannidis Pontificiæ, quæ per tot ſecula Germanorum libertatem conculcavit, propulſandæ, & ſimul ſuas & Imperii opes, redundantibus Eccleſiaſticorum bonis, cumulandi, occaſionem ambabus, quod ajunt, ulnis amplecti. Quod ſi Epiſcopis adimere vectigalia & proventus fas non putaret, ſaltem connubii ineundi poteſtatem eis facere per eam occaſionem oportebat. Et ſane, ſi Imperator operam ei rei dare voluiſſet, non minus in Germania, quam in Suecia, in Anglia, in Dania, caſtitas Divini cultus, ſuperſtitione ſuperiorum temporum inquinati, reſtitui nullo negotio potuiſſet. Poſt Caroli V. obitum quum iſta Hiſpanorum peſtis aliquamdiu remiſiſſet, poſtea tamen, imperante Ferdinando II. denuo graſſari violentius cœpit. Ea quum alias easque innumeras calamitates, tum hoc inprimis malum peperit, quod Proceres neceſſitate compulſi, ad libertatem tutandam, exterorum opem implorarunt, & ſervitutem quidem eorum auxilio fulti a cervicibus ſuis propulſarunt: verum magno ipſis libertas ſtetit: & magis e Rep. Germanica fuiſſet, ſi ejusmodi auxiliatoribus, qui e rebus turbidis ſuum quæſiverunt commodum, nunquam indiguiſſet. Quod ſi igitur illud tenendum eſt, malum Hiſpanicum etiamnum viſceribus Germaniæ quodammodo inhærere, dici vix poteſt, quot quantisve ſuperbæ æmu-

æmulationis, diffidentiæ, odii, machinationum, diſſenſionum, contentionumque malis Imperium Germanicum agitetur. Quanquam autem mutua Imperatoris & Procerum conſpiratione occurri quodammodo his aliisque malis poteſt, tamen ipſi Proceres tot tantisque imbecillitatibus affliguntur, ut conſilia ſaluberrima & publice utiliſſima aut perfici omnino, aut ſaltem facile explicari nequeant. Ac primo quidem loco occurrit Religionis Pontificiæ & Evangelicæ diverſitas. Neque enim de rebus divinis tantum inter utramque partem certamen animorum eſt; ſed etiam ſua quemque utilitas & rerum humanarum reſpectus in diverſum trahit. Pontificii enim ea, quæ amiſerunt, bona recuperare: Proteſtantes contra retinere, quæ poſſident, pari contentione laborant. Itaque ſæpius uſu venit, ut Pontificii majorem utilitatis & cupiditatum Clericorum, quam publicæ libertatis, rationem habeant. Quin immo periculum eſt, ne, ſi quando Germaniam peregrinus hoſtis, opibus pollens, ſumma vi invaſerit, nonnulli, qui Clericis plus ſatis favent, Pontificii peregrinum jugum haud gravate ſubeant, &, ut ita loquar, alterum ſibi oculum erui facile patiantur, dummodo utroque lumine ſimul Proteſtantes orbentur. Præterea Proteſtantes ipſi inter ſe de nonnullis Religionis capitibus diſſentientes in partes abierunt. Has diſſidii ſcintillas præfervida Paſtorum ingenia usque adeo inflammarunt, ut parum abeſſet, quin utraque pars in exitium præceps rueret. Procerum quoque multitudo Imperium Germanicum vehementer labefactat. Fieri enim nequit, quin inter tot Ordines aliqui exiſtant, qui aut imprudentia, aut pertinacia, aut cupiditatibus, in diverſa trahantur, aut pravis aliorum conſiliis auferri ſe patiantur: ut

pro-

prodigii ſimile eſſet, ſi quando tam diverſa corporis male cohærentis membra uno conſenſu conſpirarent. Super hæc Proceres viribus opibusque non omnes ſunt pares. Ea re fit, ut ex potentioribus nonnulli ſoli pene dominari, & ad arbitrium omnia agere, ſeparatim a ceteris conſilia capere, & quaſi ſuam ſibi Remp. peculiaribus ſubnixam fundamentis conſtituere nitantur; quin etiam facile ſe adduci patiantur, ut inferiores Imperii Ordines omnibus modis vexent, aut bonis & poſſeſſionibus evertant. Qui, ubi nihil ſibi præſidii in legibus poſitum eſſe animadverterint, majorem denique ſuæ ſalutis, quam boni publici, rationem habere, ſibique perſuadere coguntur, nihil ipſorum intereſſe, quo nomine appelletur, qui injuſta eos ſervitute opprimat, indigena an peregrinus. Superbam trium Collegiorum Imperii æmulationem & occultum odium, item privatas, quæ inter Procerum pleroſque intercedunt, contentiones & controverſias conſulto prætereo. Nec magis quidquam opto, quam ſicuti mala iſta enumerare ordine & eorum indicare peſtilentiam haud difficile mihi eſt, ita præſens eis remedium excogitare & in medium afferre queam.

§. 22. Germania Turcarum fines attingit ab ea parte, qua Stiria, Croatia & Hungaria ei prætenduntur. Croatia quidem & Hungaria, quanquam ad fines Imperii Germanici non pertinent, tamen, quia in ditione domus Auſtriacæ ſunt, & Germaniæ quaſi propugnaculum exiſtunt, magni ejus intereſt, ne iſtæ regiones ſubigantur a Barbaris. Quanquam enim Turca in vaſtiſſimo Imperio & reditus majores percipit, & numeroſiorem haud dubie exercitum conficere poteſt, quam Germania, tamen ei non admodum reformidandus eſt. Nam in Hungaria Turcis bellandi rationem

Quos agnoſcat vicinos.

nem vehementer impeditam reddit, & milites ex Aſia transportandi & commeatus ſubvehendi difficultas. Adde, quod nec hiemis inſolitum frigus, nec in tanta finitimarum provinciarum egeſtate inevitabilem famem tolerare poſſunt. Præterea ipſum Turcam, ubi omnes vires Imperii, ſedibus ſuis excitas, in Hungariam averterit, in perpetuo metu verſari neceſſe eſt, ne ab altera parte vel Perſarum Rex in terras Orientales irruptionem faciat, vel, qui provinciis ad Orientem vergentibus præſunt, Præfecti, (*Baſſas* vulgo vocant) ſeditione facta, tyrannidem invadant. Denique, Turcarum adventus bene compoſito ordinatoque Germanorum exercitui haud magnum terrorem injecerit: quin immo, ſi omnibus eniti viribus Germania velit, Turcam usque adeo in ordinem redigere poſſet, ut bellum Germanis inferre ei ne in mentem quidem veniat. Italia nec copiis Germaniam nec opibus adæquare poteſt: in multas præterea Respublicas & Principatus diviſa, ad quemvis peregrinum hoſtem invadendum, nec virium ſatis nec voluntatis habet: tantum abeſt, ut Germanos, gentem præpotentem, quæve omnes Italiæ aditus obſeſſos habeat, &, quam olim tenebat, Italiam ſibi vindicare aliquando facile queat, bello petere in animum inducat. Helvetiorum vicinitas Germaniæ nihil affert mali. Nam ad bellum ei inferendum voluntas, & quia equitatu non valent, poteſtas deeſt. Nec Poloniæ vires conferri cum opibus Germaniæ poſſunt. Quanquam enim equitum numero præſtet, haud magnum tamen operæ pretium fecerit, ſi cum exercitato Germanorum equitatu prælium conſertum fuerit: pedeſtri autem militia multo inferior eſt, nec ad urbes oppugnandas admodum idonea. Quod ſi Polonus, armis cum aliquo Germanorum

rum hoſte ſociatis, eos a tergo aggreſſus in ſe convertere inſtiterit; par pari referre Germani nullo negotio poſſunt. Etenim, & fines Poloniæ ad incurſiones hoſtiles ubique patent, nec ad hoſtium validorum impetum ſuſtinendum locis munitis ſatis eſt inſtructa. Germania contra complura, eaque opere & natura munitiſſima propugnacula hoſtibus oppoſita habet. Quin fieri etiam poſſet, ut Polonis, dum in bellum Germanicum intenti ſunt, a tergo Ruſſi immitterentur: quanquam ad bellum aliis inferendum eæ Reſpublicæ perquam difficulter adducuntur. Magni tamen intereſt Germaniæ, ne vel a Turca, vel ab alio quovis Polonia aut labefactetur, aut penitus ſubigatur. Quod ſi Polonus & Germanus, conjunctis viribus, ubi de oppugnando hoſte inter eos primum convenerit, Turcam ſimul armis perſequi aggrederentur, mutuam ſibi invicem & perutilem haud dubie operam navare poſſent. Nihilo plus damni inferre Germaniæ Danus poteſt, maxime, quum terreſtrem militiam, quæ quidem aliquo in numero aut pretio ſit, conſcribere e Germanis neceſſe habeat, quæ, ſi quando bellum Rex Danorum moveret, milite Germano diplomatis Imperatoriis domum revocato, labefactari & diſſipari facile poſſet. Nec crediderim, Germanos, & maxime duos illos *Superioris* & *Inferioris Germaniæ Circulos*, tam ſocordes & ſalutis ſuæ incurioſos fore, ut Hamburgum & Lubecam, urbes, a Dano in ſuam ditionem redigi patiantur. Ab Anglo Germanis periculi nihil impendet, nec aliud, quam Hamburgenſium naves infeſtare poteſt. Quanquam magis ad rem ejus facere videtur, ne, quæ cum ea civitate habet gens Anglicana, commercia unquam interturbentur. Ceterum, ſi quando mari Fœderatis Belgis Anglus bellum

faciat, Germani, copiis in Belgium deductis, terra rem gerere, & Anglorum commodis inſervire poſſunt. Batavis ad bellum Germaniæ movendum nec poteſtas ſuppetit, nec voluntas. Nam ſi omnes, qui ſub eorum ſignis ſtipendia faciunt, milites Germanos Imperator, ingruente bello, domum revocaverit, omne militiæ terreſtris robur ſua ſponte corruat neceſſe eſt. Nec e Rep. eſt, ut fines Imperii longius proferant: quin potius eos amicitiam colere cum Germanis oportet, ut, ſi quando a finitimis terreſtri laceſſantur bello, eorum implorare auxilium poſſint. Hiſpanus ad bellum Germaniæ inferendum, dummodo caput & membra inter ſe uno conſenſu juncta ſint, haudquaquam par eſſe poteſt. Quod ſi vero ipſe cum capite in membrorum perniciem conſpiret, ſi non armis, ſaltem argento & conſilio rem Germanicam vexare nonnihil poteſt. Quanquam non deerunt eo tempore, qui ſuas vires Hiſpanorum conatibus opponant. Suecia per ſe tantis viribus nequaquam pollet, ut univerſæ Germaniæ terrorem incutere poſſit: & ſi maxime poſſet, haud tamen luberet Imperii fines latius propagare in Germania: etenim novarum provinciarum acceſſio plus oneris, quam firmamenti, habere videtur: nec enim fieri poteſt, quin, quum ad externas provincias tutandas vires diffundas, internæ Regni opes diſſipentur. Ceterum, permagni Suecorum intereſt, ut rei ſacræ juxta & publicæ ratio in Germania eodem in ſtatu perpetuo maneat, in quem per Pacificationem Monaſterienſem ſuperioribus temporibus collocata fuit: denique, ne quis ſolus in Germania rerum potiatur. Gallus tamen paucis abhinc annis tantas ſibi vires comparavit, ut non alius ex finitimis plus negotii faceſſere Germaniæ, aut majorem incute-

cutere terrorem poſſit. Ipſa porro Imperii forma, infinita poteſtate ſtabilita, facit, ut hac in parte Germaniæ Reip. Gallicana multum prævaleat. Rex enim & fortiſſimos viros ad nutum ſuum circumagere, & opibus immenſis ad arbitrium uti poteſt. Quanquam eæ quoque Germaniæ vires ſunt, ut ſi conjunctæ in unum hoſtibus opponerentur, Gallus ei non admodum extimeſcendus eſſe videatur. Nam & exercitus, ſi non majores, ſaltem pares conficere, & ſupplementa ſcribere diutius, quam Gallia, poteſt. Nec Gallo Germanus miles, ſi cetera ſint paria, virtute aut robore multum conceſſerit. Nec deſunt opes, quibus exercitus ſatis validus contra Gallum in Germania ſuſtentetur. Ceterum, veriſimile haud eſſe videtur, fore, ut ſi Germaniam Gallus ſumma vi aggrederetur, univerſa Europa quieſcat. Quod ſi vero aut ipſi Germaniæ Principes in partes abirent, & alii Cæſari, alii Gallo ſe adjungerent; aut dum Gallus proximos quosque & finitimos in ditionem ſuam redigit, reliqui Ordines ſederent, non poteſt non cœlum terræ miſceri, & in præceps ſumma Reip. ruere.

CAPUT IX.

DE DANIA.

Inter antiquiſſima totius Europæ Regna numeratur Dania: cujus Regni initia longe ante natum Chriſtum repetuntur. Ceterum, quo primum tempore conditum ſit, quamdiu unusquisque ex priſcis Regibus imperaverit, quasve res geſſerit, in tanta temporum *Reges Daniæ omnium antiquiſſimi.*

 obſcu-

obſcuritate & litterarum penuria, haud conſtat. Itaque inanibus recenſendis nominibus ſuperſedebimus: ea tantum, quæ certis litterarum monumentis ſunt prodita, breviter attingemus. Inter

Frotho III. priſcos Reges maxime celebratur Frotho III. qui ſub Chriſti natalem vixiſſe memoratur, Rex longe potentiſſimus Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ, Britanniæ, Hiberniæ, & finitimarum provinciarum tenuit imperium: plane, ut ejus fines ab Oriente Ruſſia, ab Auſtro Rhenus terminaret. Vandalis (quorum ſedes nunc Pomerani & Mecklebürgenſes incolunt) perdomitis, primus Regis Vandalorum nomen adſciviſſe perhibetur. Gotricus ingentes copias Witekindo, Saxonum Regi, ſub-

Ericus I. ſidio adverſus Carolum M. miſiſſe fertur. Ericus I. qui Regnum iniit anno ıɔcccxlvı. primus e Regibus Danorum ad Chriſti fidem adjunctus fuiſſe creditur, quanquam alii Haraldum, qui ante eum imperavit, primum Regem Chriſtianum extitiſſe, auctores ſunt. Erico imperante, Angarius, Epiſcopus Bremenſis, primus Chriſtianæ Religionis myſteria propagavit in Dania. Ceterum, quum Chriſtianorum ſacra abolere deinde Gormo II. Rex niteretur, Henricus Auceps, Imperator, Rege in ordinem coacto, effecit, ut ea libere colendi poteſtas in perpetuum fieret. Haraldo, Gormonis filio, bellum intulit Otho I. Imperator. Ab eo mare, quod inter Jutiam & Hallandiam intercedit, *Fretum Othonis* dictum eſt, propterea quod Imperator eo haſtam emiſerat, ut expedi-

Sueno Otho. tionis ſuæ finis quaſi ac terminus eſſet. Sueno Otho, Haraldi filius, Regnum iniit anno ıɔccccLxxx. Eum a Julinenſibus captum mulieres aureo argenteoque mundo & cultu redemerunt. Rex tantam munificentiam aliquo beneficio remuneraturus ſancivit, ut fœminæ ex hereditate dimidiam

par-

partem ejus portionis, quam mares caperent, in poſterum haberent. Nam antea certa pecuniæ ſumma ab hereditatis cernendæ facultate ſubmovebantur. Sueno quoque bonam Angliæ partem ſuæ ditionis fecit. Moritur anno CIↃXII. Succeſſit in Regno Canutus II. filius, cognomento Magnus. Canutus II.
Is tria ſimul Regna, Daniam, Norvegiam, & Angliam, (hanc atrociſſimis domuit bellis) obtinuit. Sed haud diuturna Angliæ poſſeſſio fuit. Poſt Suenonis obitum præter Haraldum & Hardiknutum nemo deinceps ex ſtirpe Danica imperitavit in Anglia: iis mortuis, omnes ad unum Dani expulſi ſunt ex Anglorum finibus. Daniam quoque Magnus, S. Olai filius, Rex Norvegiæ, ſubegit. Ceterum, eo mortuo, Regnum ad Suenonem II. rediit: verum tamen de eo cum Haraldo Haardrodio, Norvegiæ Rege, armis primum contendere neceſſe habuit. Obiit anno CIↃLXXIV. Regno Haraldo VII. (is altero, quam imperare cœpit, anno mortuus eſt) & Canuto IV. filiis per manus tradito. Canutus Epiſcoporum opes ac dignitatem vehementer amplificavit: Eccleſiaſtico Ordini decimas totius Regni donavit. Ea re Jutii commoti Regem in civitate Othonia interficiunt anno CIↃLXXXVII. Ceterum, ut aliquam gratæ voluntatis ſignificationem darent, Clerici in Divos eum retulerunt; memoriamque in ſolennibus ſocietas, quæ ab eo nomen traxit, (Cnutsgulden) poculis liberaliter hauſtis, celebrare conſuevit. Eum Olaus IV. & hunc anno CIↃXCV. vita functum Ericus II. fratrum alter, excepit. Is Julino florentiſſima per id tempus Pomeraniæ civitate capta, quum Religionis ergo Hieroſolymam contenderet, moritur in itinere in Cypro inſula anno CIↃCV.

§. 2. Magnis exinde turbis Regnum agitatum

eſt, maxime, quum tres ſimul, Sueno videlicet III. Canutus VI. & Valdemarus, de Regno multos per annos contenderent: inter eos ad ultimum ita convenit, ut in tres partes Regnum divideretur. Sed paullo poſt Canuto per inſidias interemto a Suenone; Suenone item a Valdemaro in acie victo cæſoque; Regnum Valdemarus ſolus obtinuit anno CIƆCLVII. Is ubi Rugios & Vandalos, qui ad hoc usque tempus incurſionibus Daniam infeſtarant magnisque cladibus affecerant, perdomuit, Julinumque urbem evertit anno CIƆCLXIV. Gedani urbis fundamenta jeciſſe memoratur. Eo regnante, Abſalon quoque, Epiſcopus Roskildenſis, Hafniæ condendæ initium fecit. Deceſſit Valdemarus anno CIƆCLXXXII. Eum excepit Canutus VI. filius. Is multa cum Vandalis bella geſſit; & tandem eos cladibus fractos in ordinem coegit, ut eorum Principes ſeſe Beneficiarios (*Vaſallos* vulgo dicunt) Regis profiterentur. Regium inſuper Vandalorum ſeu Slavorum titulum ſibi Canutus adſcivit. Adolpho, Holſatiæ Comiti, inter alia loca Hamburgum ademit anno CIƆCC. verum ea civitas annis XXVII. poſt, jugum Danorum excuſſit. Eſthonia quoque & Livonia ſubactis, primus ibi Chriſtianæ Religionis fundamenta poſuit. Ceſſit e vita anno CIƆCCII. Succeſſorem habuit fratrem Valdemarum II. Is initio Regni proſpero rerum ſucceſſu & opibus ingentibus floruit. Præter Daniam, Eſthoniam quoque, Livoniam, Curlandiam, Boruſſiam, Pomeraniam, Rugiam, Mecklenburgum, Holſatiam, Stormariam, Ditmarſium & Wagriam, item Lubecam & Lauenburgum in ditione ſua, ac poteſtate tenuit. Sed bonam tanti imperii partem ademit libido. Henricus, Comes Suerinenſis, quum in Palæſtinam diſcederet, uxorem ter-

Valdemarus I.

Canutus VI.

Waldemarus II.

terramque ſuam fidei ac tutelæ Valdemari commiſit Verum quum interea Rex ſtupri conſuetudinem cum uxore Comitis habuiſſet, Henricus redux factus, re cognita, Regem ad ignominiam iſtam & injuriam ulciſcendam, per inſidias capit, captumque per triennium in vinculis habuit; donec ad extremum, XLV. millibus marcharum argenti puri pro libertate perſolutis, dimiſſus eſt. Per eam occaſionem Pomerania, Meckleburgum, Lubeca, & Gedanum a Valdemaro defecerunt, Holſatia & Stormaria ab Adolpho Comite Schaumburgico, Eſthonia & Livonia ab Equitibus Teutonicis Regi ademta ſunt. Ea loca quum recipere ab hoſtibus conaretur anno CIƆCCXXVII. a Comite Schaumburgico acie victus fugatusque eſt ad Bornhoviam: Revaliam tamen & Eſthoniam recuperavit. Diem obiit ſupremum anno CIƆCCXLI.

§. 3. Ei ſucceſſit in Regno Ericus V. filius, quanquam reliquis etiam filiis aliquas provincias attribuit; Abeli Sleſvicum, Canuto Bleckingam, Chriſtophoro Lalandiam & Falſtriam. In iis regionibus quum ſummo cum imperio dominari filii niterentur, Ericus, ut clientum fiduciariorum obſequia præſtarent, poſtulavit. Ea re ingentes turbæ exſtiterunt in Regno, quæ tandem eo evaſerunt, ut Ericus ab Abele fratre miſerandum in modum trucidaretur anno CIƆCCL. Abel ipſe, necdum ſecundo Regni anno circumacto, occiditur a Friſiis & Ditmarſis anno CIƆCCLII. In ejus locum ſucceſſit Chriſtophorus I. frater. Ei quum multum negotii faceſſeret Archiepiſcopus Lundinenſis, ad comprimendam hominis audaciam eum Rex in carcerem conjecit. Quo facto, Regem Regnumque reliqui Epiſcopi proſcripſerunt. Ad ultimum, Rex veneno, ut fertur, ſub Euchariſtiæ ſpecie, necatur a Clericis anno CIƆCCLIX. Poſt

Ericus V.

Abel fratricida.

Chriſtophorus I.

Ericus VI. ejus mortem Ericus VI. Regnum iniit: variis turbis exercitus ab Epiſcopis, Suecis & Norvegiis; tandem ab Erico, Holſatiæ Duce, acie victus capitur. Ad ultimum, a quibusdam Regni Proceribus nefario ſcelere occiditur anno CIↃCCLXXXVI.
Ericus VII. Succeſſit filius, Ericus VII. Ei multum certaminis fuit cum Rege Norvegiæ, quod is patris illius interfectores tutandos ſuſceperat. Cum reliquis quoque vicinis leviores nonnullæ contentiones ei fuerunt. Exceſſit e vita anno CIↃCCCXIX.
Chriſtophorus II. Chriſtophorus frater, qui ei ſucceſſit, Ericum filium juxta ſecum Regiis decorandum inſignibus curavit. Hunc Regem populares, tributorum magnitudine commoti, exegerunt e Regno, Valdemaro Duce Sleſvicenſi in ejus locum ſurrogato. Sed paullo poſt Dani, novi Regis pertæſi, Chriſtophorum revocarunt in Regnum. Prælio exin cum Valdemaro commiſſo, Ericus Chriſtophori filius lethale vulnus accepit, nec ei diu ſuperſtes fuit. Moritur anno CIↃCCCXXXII. Chriſtophoro regnante Scania ob Holſatorum, quorum in ditione per id tempus fuit, ſævitiam ad Magnum, Sueciæ Regem, defecit. Eam quum Joannes, Holſatiæ Comes, vi recuperare ſe haud poſſe intellexiſſet, jus ſuum Sueco vendidit millibus ſeptuaginta marcharum argenti puri. Atque ſub eo Rege in tot partes diſtracta fuit Dania, ut ipſi Regi perpauca loca reliqua fierent. Vitam cum morte commutavit anno CIↃCCCXXXIII. Ejus obitum interregnum annorum ſeptem conſecutum eſt. Per id tempus intolerabili ſervitutis jugo totam fere Daniam oppreſſerunt Holſati: donec Dani, rebellione facta, jugum quatere, & Holſatos expellere Regno niterentur; Valdemaro, Chriſtophori II. filio, qui in Ludovici Bavari Imperatoris aula educatus fuerat, ad ſpem Regni evocato. §. 4. Val-

§. 4. Valdemarus III. collapſam rem Danicam reſtituit, Holſatis paulatim aut vi ejectis, aut pecunia delinitis. Eſthoniam autem & Revaliam Equitibus Teutonicis vendidit octodecim millium marcharum argenti puri anno cIↃCCCXLVI. eam pecuniam maxima ex parte iter, quod in Palæſtinam fecit, abſumſit. Scaniam vero pactione ſubdola recipit de Magno Smeeckio, Suecorum Rege, anno cIↃCCCLX. Pactionem quoque cum Alberto Suecorum Rege fecit de Gothlandia aliisque regionibus Suecorum imperio ſubjectis, tradendis. Multis denique cum civitatibus Hanſeaticis certaminibus defunctus, moritur anno cIↃCCCLXXV. Eum ſecutus eſt Olaus IV. ejus ex Margarita filia, quæ Hacquino Norvegiæ Regi nupſerat, nepos. Is, quoniam nondum matura Regno ætate erat, penes matrem, dum filius adoleſceret, regimen fuit. Hacquino patre mortuo, Olaus Norvegiæ quoque Rex declaratur anno cIↃCCCLXXX. Porro, quod pater ejus Magno Smeeckio Rege genitus erat, Olaus pro herede Regni Suecici ſe geſſit. Adoleſcens admodum exceſſit e vita anno cIↃCCCLXXXVII. In ejus locum Margaritam matrem Dani Norvegiique ſuffecerunt. Ea Ericum Pomeranum, ſororis ex filia nepotem, conſortem imperii adſcivit. Paullo poſt bellum cum Alberto Suecorum Rege ortum eſt. Eo bello Sueci, quorum ab Rege abalienata per id tempus voluntas erat, maxima ex parte ad Margaritam Reginam deficiunt. Albertus quum rem prælio commiſiſſet, acie victus una cum filio capitur. Eum ſeptimo demum anno Margarita dimiſit, ea conditione, ut aut ſexaginta millia marcharum argenti puri dependeret, aut Regno Sueciæ cederet. Itaque quum ſe Regno Albertus abdicaſſet, (nam id optimum factu viſum

Waldemarus III.

Olaus IV.

Margarita.

Ericus Pomeranus. ſum eſt,) Margarita Ericum Pomeranum Regem Sueciæ, impoſito diademate, creandum curavit, anno CIↃCCCXCVI. Inſequente anno, conventu omnium Ordinum e tribus iſtis Regnis Borealibus indicto Calmariæ, Ericus Rex declaratur, fitque omnium Ordinum conſenſu decretum, ut ea Regna poſthac ſub unius tantum Regis imperio eſſent. Margarita, poſtquam rem Danicam magnis acceſſionibus amplificavit, fatis conceſſit anno CIↃCCCCXII. Poſt ejus obitum Ericus tria Septentrionis Regna ſolus obtinuit. Cum Comitibus Holſatiæ de Ducatu Slesvicenſi diu multumque contendit: ad ultimum, quum eorum cauſſam civitates Hanſeaticæ defendendam ſuſcepiſſent, res compoſita eſt. Anno CIↃCCCCXXXIII. Rugiam inſulam, quæ diu ſub imperio Danorum fuit, Ducibus Pomeraniæ, propinquis ſuis, conceſſit. Inter hæc Sueci perinfeſto in Ericum Regem animo eſſe cœperunt; etenim jurisjurandi, quod, antequam Regnum iniret, Proceribus conceptis verbis dederat, parum memor, in populares per miniſtros peregrinos debacchatus eſt; ut libertatem omni modo defendere cogerentur. Dani quoque obſequium ei renunciant, propterea quod, neglecta fere imperii cura, nimis diu in Gothlandia commoraretur. Maxime autem eos movit, quod dum Bogislaum, Pomeraniæ Ducem, Ericus adhuc vivus ad Regnum evehere conabatur, poteſtatem ſuffragii ineundi, & Regis libere eligendi violari vehementer cernebant. Itaque Regno ad Chriſtophorum, Bavariæ Ducem, Erici ſororis filium, delato, Ericus omnibus exutus Regnis anno CIↃCCCCXXXIX in Pomeraniam ſeſe contulit: ibi quod reliquum erat vitæ in obſcuro & privatus exegit. Chriſtophorus regnavit ad annum CIↃCCCCLIIX. populo imperium ejus admodum adprobante.

Chriſtophorus Bavarus.

§. 5. Poſt

§. 5. Poſt ejus obitum Dani Regnum ad Adolphum, Ducem Sleſvicenſem & Holſatiæ Comitem, detulerunt. Verum is, ætatis & imbecillitatis excuſatione uſus, oblatam dignitatem repudiavit, commendato interim Proceribus Chriſtiano, Comite Oldenburgenſi, ſororis illius filio. Is igitur a Danis Norvegiisque juxta Rex declaratur: ita ad Oldenburgicam familiam utrumque Regnum tranſiit; & penes eam ad hunc uſque diem permanſit. Bellum mox inter Chriſtianum I. & Suecos, qui Carolum Canuti filium Regem crearant, exortum eſt. Belli cauſſa fuit Gothlandia inſula: ex ea quippe quum Ericum Regno exutum Sueci expellere conarentur, Chriſtianus Rex ei auxilio veniens, inſulam ditionis ſuæ fecit. Accedit, quod Proceres nonnulli Sueciæ, a Carolo Canuti filio averſi, ad Chriſtianum defecerant: ea res belli incendium vehementer inflammavit inter utrumque Regem. Eo bello quum contra Carolum etiam Archiepiſcopus Upſalienſis ſtetiſſet, Rex omni ex parte adverſam fortunam expertus, in Boruſſiam ſe recepit. Chriſtianus exin, Rex Sueciæ, Regiis inſignibus, more majorum, inauguratur anno CIƆCCCCLIIX. Verum quum magnæ de Chriſtiani regimine querelæ exortæ eſſent, Carolus Canuti filius in Regnum revocatur anno CIƆCCCCLXIII. Ibi tum denuo ad arma itum eſt. Quanquam autem Carolus Canuti filius anno CIƆCCCCLXX moriens vacuum reliquit Regnum, & Chriſtianus Rex ingenti cum exercitu in Sueciam venit, tamen, quum ad Holmiam magnam calamitatem accepiſſet anno CIƆCCCCLXXI, vindicare ac tueri Regnum Sueciæ nullo modo potuit. Regi Ditmarſiæ poſſeſſionem fiduciariam (*feudum* vulgo vocant) Fridericus III. Imperator dedit: Holſatiam titulo *Ducatus* inſignivit. Chriſtianus I.

Mar-

Margaritam filiam Rex Jacobo III. Scotorum Regi in matrimonium dedit: dotis nomine Orcades & Schetlandicas inſulas, Norvegiorum ad id tempus imperio ſubjectas, attribuit. Rex rebus humanis eximitur anno CIↃCCCCLXXXI. In ejus locum a Danis Norvegiisque Joannes filius ſufficitur. Is cum Friderico fratre Ducatum Holſatiæ partitus eſt. Joannes, quum diu ab armis quietum ei imperium fuiſſet, tandem Suecos bello petere ſumma ope aggreditur. Dalekarliis victis profligatisque, quum Stenonem Sturam, Holmiæ Præfectum, deditionem facere coegiſſet, Regiis Sueciæ inſignibus decoratur anno CIↃCCCCXCVII. Ceterum, quum Ditmarſios vi domare contenderet, inſignem ab iis calamitatem non ſine ſummo dedecore accepit anno CIↃIↃ. Exin ex Suecia quoque expellitur a Stenone Stura. Cum eo, &, qui ei ſucceſſit, Suenone Stura, item cum Lubecenſibus, qui per id tempus cum Suecis ſtabant, multum ei certaminis fuit. Sed tamen, omnibus ad extremum controverſiis compoſitis, paullo poſt vitam cum morte commutavit anno CIↃIↃXIII.

Joannes.

Chriſtianus II.

§. 6. Ei ſucceſſit filius, Chriſtianus II. Magnam ei apud Danos invidiam conciliavit, quum Duvecka, infimæ ſortis puella, genere Belgica, quam in concubinæ locum duxerat, & puellæ mater Sigbrita, maligna vetula, ad cujus nutum Rex circumagebatur; tum injuſta, ut volunt, nex Torbernio Oxio, arcis Præfecto, allata. Interim diſſenſione inter Stenonem Sturam juniorem, Præfectum, & Guſtavum Trollium, Archiepiſcopum Upſalienſem orta, hujus arcem Steckum Steno penitus evertit. Archiepiſcopo quum Chriſtianus Rex ſuppetias tuliſſet, eumque ſecum in Daniam deduxiſſet, nova contra Sueciam conſilia

lia agitari cœpta ſunt. Atque eo res deducta eſt, ut decretum a Pontifice fieret, quo Sueci de vi Guſtavo Trollio illata condemnati ſunt, graviſſimaque in eos ſupplicia ſtatuta. Ad ea Suecis irroganda Chriſtianus copias primo miſit in Sueciam. Signis collatis quum Steno Stura in acie cecidiſſet, magna ejus mortem rerum omnium perturbatio conſecuta eſt in Suecia. Ad ultimum, Chriſtianus ipſe, in Suecos profectus, ad Holmiam urbem tradendam, Chriſtinam, Sturæ viduam, vi compulit: amneſtia inde promiſſa, Rex Sueciæ ſolenniter inauguratur. Hoc pacto quum Suecos rerum omnium ſecuros reddidiſſet, Primores, per cauſſam injuriæ Guſtavo Trollio illatæ, capitis ſupplicio affici, miſerandum in modum, juſſit: præterea omni crudelitatis genere in miſeros populares debacchatus eſt, anno CIƆIƆXX. At vero Guſtavus, Erici filius, captivus inter ceteros abductus in Daniam, quum e cuſtodia elapſus in Sueciam revertiſſet, collecta Dalekarliorum manu, Danos ad unum omnes e Suecorum finibus ejecit: ex eo tempore Sueci libertatem ſuam ſalvam & incolumem a Danis tutati ſunt. Inter hæc Chriſtianus in majori indies odio apud Danos eſſe cœpit: adeo ut ejus ſe obſequio eximerent Jutæ, anno CIƆIƆXXIII. Ea res Regis animum uſque adeo perculit, ut una cum uxore & liberis in Belgium profugeret. In ejus locum ſurrogatus eſt patruus ejus, Fridericus, Dux Holſatiæ. Ceterum, Regnum recuperare quidem Chriſtianus, terreſtri exercitu coacto, inſtituit, ſed fruſtra: copiis enim, antequam ulla res geſta eſſet, dilapſis, exercitus ad nihilum redactus eſt. Carolus V. quoque, cujus ſororem in matrimonio habebat, bellis Gallicis implicitus, valida ei auxilia ſubmittere haud potuit. Ad ulti-

timum, ipſe cum claſſe in Norvegiam appulſus, quum ſe Canuto Guldenſternio dedidiſſet, fidem de ſecuritate ab eo datam accepit. Eam autem quum liberare Fridericus recuſaret; Chriſtianus comprehenſus, Sunderburgum deducitur in carcerem anno CIↃIↃXXXII. Exinde, jure, quod in Regnum habebat, remiſſo anno CIↃIↃXLVI. Callenburgum traductus eſt. Obiit captivus anno CIↃIↃLIX.

Fridericus I. §. 7. Fridericus I. fœdere & amicitia cum Guſtavo, Suecorum Rege, & civitatibus Hanſeaticis, adverſus Chriſtianum exſulem facta, Hafniam & Malmogiam (eæ civitates adhuc cum Chriſtiano ſteterant) ad deditionem compulit. Nobilitatem inſignibus immunitatibus & commodis donavit. Vita fungitur altero, quam Chriſtianum II. ceperat, anno, CIↃIↃXXXIII. Eum ſecutus eſt

Chriſtianus III. Chriſtianus III. Ei initia imperii inauſpicata extiterunt: multis enim magnisque turbis eum exercuerunt Chriſtophorus, Comes Oldenburgenſis, & Lubecenſes, qui Chriſtianum captivum in Regnum reſtituere nitebantur. Jamque complures provinciæ ad Chriſtianum deficiebant: verum tamen ex iis ſeſe difficultatibus tandem expedivit Fridericus, auxilio Guſtavi, Suecorum Regis, haud leviter ſuffultus; ad extremum, Hafniam quoque perdomuit anno CIↃIↃXXXVI. Ceterum, quum Epiſcopos acerrimos inprimis adverſarios habuiſſet, in pace, quæ inter omnes conveniebat, nulla eorum habita ratio eſt, & eodem anno ſacra eis poteſtate abrogata, Evangelicæ Religionis cultus in Daniam Norvegiamque publica auctoritate introducitur. Exin Rex tranquillum geſſit imperium. Fatis conceſſit anno CIↃIↃLIX.

Fridericus II. §. 8. Fridericus II. filius idem & ſucceſſor, Ditmarſios domuit anno CIↃIↃLX. Bellum inde Erico

co Suecorum Regi intulit, quod quum magnis utrinque cladibus datis & acceptis novem circiter annos geſtum eſſet, pacem tandem conciliarunt Imperator & Galliæ ac Poloniæ Reges: ea compoſita eſt Stettini anno CIↃIↃLX. Exin pacatum habuit Regnum. Moritur anno CIↃIↃLXXXVIII. Eadem tranquillitate acquieſcebat res Danica ſub ejus filio, Chriſtiano IV. donec anno CIↃIↃCXI. Carolo IX. Suecorum Regi bellum movit. Eo bello Calmaria & Elfoburgum Suecis ademta. Ceterum, pace cum Guſtavo Adolpho Caroli filio facta anno CIↃIↃCXIII. Chriſtianus, magna pecuniæ ſumma accepta, quæ ceperat, loca reſtituit. Turbis Germanicis quum ſeſe immiſcuiſſet, Præfectum Circuli, ut vocant, Saxoniæ Inferioris creari ſe paſſus bello implicatur cum Imperatore anno CIↃIↃCXXV. Sed eo bello res Danica inferior fuit, ingenti ad Lutream clade accepta, non ſolum excedere Germania Danus coactus eſt, ſed Holſatiam quoque & Jutiam Cæſareani infeſto cum exercitu ingreſſi ſunt. Pace tamen Lubecæ confecta, quæ Danus amiſit, omnia recepit anno CIↃIↃCXXIX. niſi quod Epiſcopatibus, quos filiis deſtinaverat, excidit. Exin quum ad bellum Germanicum Suecus in Germaniam deſcendiſſet, operam ſuam pollicitus eſt Danus in pace Cæſarem inter & Suecum concilianda, in ſpem erectus, fore, ut amiſſos Epiſcopatus hoc pacto recuperaret, & ſimul prohiberet, ne ſuas opes Sueci firmarent in Germania. Inter hæc Suecos damnis paſſim afficit, injuriisque & contumeliis laceſſit; ac omnibus modis ſtudet, & foris victricium armorum curſum ſiſtere, & domi florentiſſimorum commerciorum incrementum impedire. Ceterum, quum Dani navibus in freto Danico detinendis, & mercibus in fiſcum redigendis modum

Chriſtianus IV.

dum excederent: Sueci ſe ab iſtis vexationibus omnino ac in perpetuum liberare decreverunt. Itaque quum Danis haud obſcure ſignificaſſent, ſeſe iſtas injurias haudquaquam inultas paſſuros eſſe, infeſtis copiis Holſatiam primo & Jutiam, inde Scaniam ingreſſi ſunt, exeunte anno CIↃIↃCXLIII. Eo bello magnas calamitates terra marique Dania accepit: & ſane, niſi impulſam jam in præceps Rempublicam imperterritus Regis animus ſuſtinuiſſet, prope exitium res erat. Ad ultimum pax coiit Bromſebroæ anno CIↃIↃCXLV conciliatore Gallo, ea lege, ut Sueco Gothlandia, Oeſelia, & Jemptia cederent, & Hallandia item in annos triginta pignori daretur. Belgæ quoque Fœderati, ſuam eſſe occaſionem rati, effecerunt, ut portoria freti Danici, quorum immodicæ exactiones multum eis moleſtiæ ad eum diem exhibuerunt, ad juſtum modum revocarentur. Chriſtianus Rex obiit anno CIↃIↃCXLIIX.

Fridericus III.

§. 9. Fridericus III. filius in Regno ſucceſſit. Is Belgarum Fœderatorum inſtinctu Sueciæ bellum intulit anno CIↃIↃCLVII. omnibus in ſpem erectis fore, ut cœptis fortuna reſponderet: etenim, Guſtavi Adolphi vires fractas & debilitatas penitus eſſe in Polonia, plerique omnes crediderant. Verum Guſtavus exercitu exſpectatione celerius in Holſatiam & Jutiam ducto, præter alia loca Fredericodam vi expugnavit. Exin, ineunte anno CIↃIↃCLIIX. quum intenſiſſimum frigus aquas glacie adſtrinxiſſet, per eam primo in Fuhniam inſulam contendit: ibi copiis hoſtilibus, quæ in ſtativis erant, in deditionem acceptis, per Langolandiam, Lalandiam & Falſterum, in Selandiam ire pergit. Fridericum Regem tam inſperatus rerum Suecicarum ſucceſſus pacem facere coegit Roſchildiæ. Ea pace, præter alia commoda, Hal-

Hallandia, Scania, Bleckingia, Bornholmia, Bahuſium, & Dronthemium Norvegiæ Suecis conceſſa ſunt. Ceterum, ut primum Suecus e finibus Danorum egreſſus foret, & bello ſeu Polonico ſeu Germanico diſtineretur, Dani, neglecta pace, bellum renovare inſtituunt, Imperatore, Electore Brandenburgico, & Belgis Fœderatis, impulſoribus. Itaque Carolus Guſtavus ei rei prævertendum ratus, cum copiis confeſtim in Selandiam regreditur, Croneburgum capit, Hafniam obſidione cingere terra marique inſiſtit. Ad eam ſolvendam quum claſſis Batavica adventaſſet, acerrima ſubinde prælia cum ea Suecus conſeruit; ſequente autem anno CIↃIↃCLIX. Sueci, ſumma vi Hafniam undequaque oppugnantes, repulſi ſunt a defenſoribus: & ſimul acie victi fuſique ſunt in Fuhnia inſula: Bornholmia denique & Drunthemium rebellarunt. Quanquam autem poſt Caroli Guſtavi obitum Dani bellum perſequi, & acceptas clades rependere Suecis decreverant, tamen ex formula, quam inter ſe Galli, Angli, & Batavi compoſuerant, pax conficitur ad Hafniam: quæ fere cum Pacificatione Roſchildenſi congruebat, niſi quod Drunthemium & Bornholmia Danis relinquebantur: quanquam pro iis aliæ Scaniæ poſſeſſiones Suecis ſunt traditæ. Bello finito in Comitiis jus hereditarium, & infinita omnibusque numeris abſoluta poteſtas Regi defertur ab Ordinibus. Quo facto, & immenſa Nobilitatis commoda ac privilegia, quibus adhuc fruebatur, ad nihilum reciderunt; & nova Reip. forma introducta eſt, ut ab unius Regis nutu & arbitrio omnia penderent. Moritur Rex anno CIↃIↃCLXX. Succeſſit Chriſtianus V. filius. Is firmatis viribus, rebusque ordinatis, & ſocietate cum Imperatore, cum Batavis eorum- Chriſtianus V.

Ee que

que fœderatis inita, quum inſignem Suecis cladem in terris Brandeburgicis illatam eſſe intellexiſſet, belliſſimam belli neglecta pace redintegrandi occaſionem haud dimittendam eſſe exiſtimavit. Ac primum omnium Holſatiæ Ducem peſſum dedit anno CIↃIↃCLXXV. qui nihil mali ſuſpicans, quum Rensburgum ad Regem veniſſet, ſuo jure, quod pace Roſchildenſi obtinuerat, cedere, & Tonningam, oppidum munitiſſimum, Regi tradere coactus eſt. Tonningæ opera ac munitiones poſtmodum Rex demolitus eſt, & Viſmariam urbem inde in poteſtatem ſuam redegit. Inſequente anno Scaniam infeſtis copiis ingreſſus, ſine ſanguine fere ac certamine Helſingburgum, Landscronium, Chriſtianiam, & Gothlandiam inſulam ditionis ſuæ fecit. Verum, quas ad Halmſtadium obſidendum miſerat copias, Carolus Rex Suecorum ex improviſo oppreſſas acie vicit profligavitque; quosve ferrum reliquos fecerat, captivos abduxit. Dein univerſus Danorum exercitus cruento prælio victus fugatusque caſtris exuitur ad Londinum. Anno CIↃIↃCLXXVI. Malmogiæ urbi exercitum Chriſtianus Rex admovit; ceterum, quum in oppugnatione ingens accepta clades eſſet, irrito incœpto diſceſſum eſt. Paullo poſt Danus iterum a Sueco acie victus fugatusque eſt. Dein Bahuſii obſidionem ſolvere, & Chriſtianiam fame compulſam Dani dedere coacti ſunt. Ceterum, mari ſuperior eo bello res Danorum fuit. At vero pace cum Suecis facta, adempta eis loca Dani reſtituerunt.

Nationis Danicæ indoles.

§. 10. Poſtquam res geſtas viciſſitudinesque Regni Danici ſtrictim perſecuti ſumus, indolem quoque gentis, & reliqua, pro inſtituti ratione, breviter attingere operæ pretium eſt. Priſcis temporibus bellicoſam eam nationem fuiſſe, & rerum geſta-

ſtarum magnitudine inclytam, ex vetuſtis Hiſtoricorum monumentis ſatis apparet. Verum eam gloriam, ſuperioribus temporibus, Nobilitatis imbellia vehementer deformavit obſcuravitque, quum prædiis opimis in otio paceque frui, quam belli pericula & incommoda ſubire mallet. Ejus exemplum reliqui quoque populares ſecuti ſunt. Nec parum ad virtutem bellicam remittendam momenti habuit diuturna armorum intermiſſio: ſuperioribus enim ſeculis nulla, præterquam cum Suecis; (ſi quidem res a Chriſtiano IV. in Germania geſtas exceperis, quanquam ibi quoque Rex Germanorum potiſſimum opera uſus eſt) bella geſſerunt Dani. Sed quum ea nec diuturna eſſe, aut in multos annos duci poſſent, factum eſt, ut rei militaris ſtudium apud Danos fere elangueſceret. Huc acceſſit opportunitas mercenaria Germanici militis opera utendi. Ipſa denique gens, pro modo terræ, quam incolit, haud late patet, nec numeroſa admodum eſt. Equidem Regia poteſtate omnibus, quibus ante circumſcribebatur, legibus ſoluta, & in perpetuum conſtabilita, ad rem militarem inſtaurandam ordinandamque Reges animum adjecerunt; verum tamen domeſtico milite, niſi Germanorum robore ſuffulciatur, ad terreſtrem militiam haud multum profectum iri videtur. Nec etiam in rem Regis eſt, ut bellica virtute Nobilitas præſtet, aut rerum geſtarum magnitudine famam ſibi opesque comparet: etenim periculum eſt, ne priſtini decoris & libertatis deſiderium Nobiles, opibus ſubnixos, ad res novandas levi momento incitaret. Norvegii, gens horrido aſſueta cœlo, ſoloque maxima ex parte inculto, quævis belli incommoda & ſubire alacrius & ſuſtinere fortius, quam Dani, conſueverunt. Quanquam Dani, ex quo rerum potiti ſunt

in Norvegia, tam grave cervicibus incolarum jugum imponere inſtituerunt, ut caput extollere nunquam poſſent, ſeduloque inprimis caverunt, ne quas virtutis bellicæ exſerendæ occaſiones haberent: adhæc perpaucæ in Norvegia familiæ illuſtres ſuperſunt. Ceterum, rei maritimæ peritia inſignes vulgo habentur Norvegii; eorumque opera navali Batavi perlibenter utuntur: eas porro Hollandiæ ſeptentrionalis urbes, quas halecum aliorumque piſcium captura nobilitat, complures ex Norvegia oriundi cives incolunt.

Regni qualitas & proventus.

§. 11. Dania etſi exiguo ſpatio in circuitu patet, tamen maxima ex parte fertilis eſt, & ad agriculturam remque pecuariam inprimis accommodata. Ingens quotannis boum & equorum multitudo exportatur ex Dania, magnus quoque frumenti numerus in Norvegiam & Islandiam devehitur. Circumfuſum Daniæ mare piſcibus admodum abundat, ita tamen, ut magis ad uſum incolarum ſufficiant, quam exportari propter nimiam copiam poſſint. Operum manu factorum, artificiorumque elegantiorum, nullus ibi, aut exiguus, eſt uſus: nec enim ad eam rem gentis indoles eſt accommodata, & ad commerciorum ubertatem non ſatis materiæ ſuppetit. Ipſi autem Dani, vino, ſale, cerevifia melioris notæ, & materia pretioſiori veſtibus conficiendis, utuntur importatis. Aromata ex India Orientali apportare ipſi cœperunt: exiguum ibi caſtellum in littore Coromandelico poſitum præſidio tenentes. Portoria freti Danici peropportunos Daniæ reditus ſuppeditant, quod ea peregrini præſenti pecunia dependere coguntur. Itaque permoleſte Dani ferunt, quod Sueci iſtud pendere vectigal, atque adeo Danorum ſtipendiarii eſſe recuſarunt. Norvegia maxima ex parte inculta eſt: ceterum, mercibus.

cibus, quæ exportari poſſunt, admodum abundat: in iis potiſſimum numerantur, aſellus qua vento ſiccatus, qua ſale conditus, (cujus generis ingens eſt copia) ligna, aſſeres, mali, adeps balænarum, pix, & id genus alia. Fodinis quoque argenti, æris, & ferri dives eſt Norvegia. E contrario frumentum, quantum & ad incolas alendos & ad cereviſiam coquendam ſatis ſit, haud ſuppetit: ut de earum mercium penuria, quæ ipſi cum Dania communis eſt, taceam. Situs, comparatione ceteræ in Europa oræ maritimæ, ad merces exportandas importandasve peropportunus eſt. Iſlandia piſces, aliquid carnis ſale conditæ, plumasque pertenues ſuppeditat, quas merces cum reliquis rebus, quæ, præter pecudes piſcesque, ad vitæ humanæ uſus commoditatesque pertinent, permutare neceſſe habent Inſulani. Ferroenſes maxima ex parte pecoribus & piſcibus vitam ſuſtentant. Præterquam quod ad exercitum numeroſum & validum conficiendum domeſticus miles deeſt; illud quoque inter Regni Danici nævos numerandum eſt, quod non ſolum Norvegia terreſtri itinere interſepta eſt a Dania, nec niſi mari ullum inter utrumque commercium intercedere poteſt; verum etiam, quod ipſa Dania in tot inſulas eſt diviſa, ut, ſi quando rerum in mari potiatur hoſtis, infeſtare eam magnisque afficere cladibus nullo negotio poſſit.

§. 12. Quod attinet ad finitimos populos, ab una parte ad Germaniæ fines Dania pertinet. Nam Holſatiæ quoque, quæ hoc tempore in ditione Regiæ familiæ eſt, nomine beneficiarium ſe Imperatoris Germanici profiteri Rex Danorum neceſſe habet. Quanquam autem, quod ad terreſtrem militiam attinet, cum Germania ne com- **Quibus Dania gaudeat vicinis.**

parari quidem Dania poteſt, & ab ea parte Jutia ad incurſiones hoſtiles expoſita patet; inſulis tamen haud multum periculi impendet a Germania: niſi ſi quando utrumque fretum Danicum (quod tamen raro uſu venit) glacie adſtringatur. Nam viribus maritimis Germania haudquaquam pollet. Nec multæ magnæque cauſſæ eſſe videntur, quibus cum Dano Germanus collidatur: niſi quod in Hamburgum urbem Danus ſibi arrogat, ac mordicus tuetur jus, bellum inter utrumque conciverit. Et ſane bolus tam opimus facile alicui ſalivam, quod ajunt, moverit. Ceterum, vi aperta Danus haud multum profecerit, nedum inſtitutæ rei exitum expediverit, niſi inſignis animorum temporumque inclinatio & converſio ejus conatibus faveat, aut inteſtina civium diſcordia ac proditio exitium eis ultro arceſſat. Sed tamen ſi quid loci relictum eſt conjecturæ, urbem tantis opibus pollentem in peregrini Principis ditionem venire, finitimi Germaniæ Principes haudquaquam permittent. De cetero magni intereſt Dani, ut amicis utatur Germanis, e quibus terreſtrem comparare militiam ad Suecorum impetum reprimendum cogitur. Plurimum Dano negotii a multis annis faceſſivit Suecus. Enimvero internecino & inveterato odio utraque gens inter ſe diſſidet, quod Danorum dominandi libido potiſſimum peperiſſe videtur: ii quippe Sueciam olim ſubigere, & æque ac Norvegiam, in provinciæ formam redigere conati ſunt. Ac quum id non procederet, commercia inde Suecorum navigationemque turbare, &, ut in pauca rem conferam, creſcentem rem Suecicam peſſum dare inſtiterunt. Eorum conatibus Suecus quum omni tempore pro virili parte reſtitit, tum ſuperioribus annis magnas ex Danorum cladibus utilitates ſibi comparavit. Scaniam

niam quippe ex Danis recepit, Bahuſio, loco munitiſſimo, in poteſtatem redacto, Weſtrogothiam ſuo firmavit præſidio: & per provincias Germanicas aditum ſibi in Jutiam in perpetuum patefecit. Danus contra, ſocietatem inire aut cum apertis Succiæ hoſtibus, aut cum Principibus ei diſſimulanter infenſis, & omnibus, quæ ſibi Suecus comparaverat, commodis eum exuere ad hoc uſque tempus inſtitit. Ceterum, reputantibus fines utriusque Regni ab ipſa natura terminatos eſſe (qui ne unquam moveantur, Galliæ, Angliæ, & Bataviæ juxta intereſt:) ac quantum humana ratione provideri poteſt, nec a Dano Sueciam per vim ſubigi, aut ſubactam retineri perpetuo poſſe, nec reliquos Europæ Principes paſſuros eſſe, Daniam in Suecorum poteſtatem venire; æquum, nec a rationibus utriuſque Regni alienum eſſe videtur, mutuam ab utroque Rege amicitiam coli, & ad communem utriuſque tranquillitatem ſecuritatemque ab hoſtibus tutandam, auxilia invicem ſubmitti. Batavi, ſi quando in magnum diſcrimen res Danica venerit, ei haud dubie præſto futuri ſunt: ipſorum quippe ad rerum ſuarum proſperitatem magni intereſt, liberum ſibi maris Balthici aditum patere; qui ſi ad unum orbis iſtius Arctoi imperium veniret, impeditus admodum & difficilis reddi haud difficulter poſſet. Quanquam Danis haud latet; non nimium pro ſe periculi adituros eſſe Batavos, idque eos agere, ut tantum ad mediocritatem res Danica revocetur, ne, ubi juſto majores ſibi vires comparaverit, poſtea vectigalia freti Danici pro lubitu augere in animum Dani inducant. Quod ſi vero a partibus Danorum Batavi ſteterint, Anglus equidem haud multum eorum cauſſa laboraturus eſſe videtur, quin potius ſe cum diverſa parte haud dubie con-

junget; neque enim ipſius æque magni, ac Hollandorum, intereſt, rem Danicam ſalvam eſſe & maris Balthici aditum patere. Moſcovia utilem Danis operam navare adverſus Suecos poteſt. Sed tamen quum in tanto locorum intervallo conſilia cum ea gente communicari difficulter poſſint, ſocietate ejus unice niti Dani nequeunt: maxime ſi Suecorum res Polonus foveat. Adde, quod Moſcovitis in more poſitum eſt, ut, ubi ad conſiliorum ſuorum exitum pervenerint, fœderatorum commodis haud magnopere inſerviant. Nec ad opem Dano ferendam Polonus facile reſpexerit, niſi ſi quando bello Polonus cum Sueco implicitus fuerit. Gallus, quia Danus diverſæ ſemper partis fuit, ei adhuc nulla in re gratificatus eſt. Sed tamen labefactari rem Danicam aut everti, haud æquo animo laturus eſſe videtur: neque enim ulla Europæ Reſpublica optare aut poteſt aut debet, ut in unius ditionem orbis Arctous veniat. Ceterum, quodnam operæ pretium Gallus, fœdera cum Dano ad alios impugnandos percutiendo, facturus ſit, non video. Hiſpanus ſtudium potius quam operam Danis navaturus eſſe videtur, niſi ſi bellum Suecus cum Auſtriaca gente, aut ceteris Hiſpaniæ ſociis & amicis geſſerit.

CA-

CAPUT X.

DE POLONIA.

PRiſcis temporibus gens Polonica Sarmatorum nomine continebatur: qui & Slavi deinceps ſunt dicti. Nomen ei impoſitum eſt a terræ, quam armis occupatam incolit, in planiciem porrectæ, natura & facie. *Pole* namque apud Polonos *planitiem* ſignificat. Quanquam alii vocabulo *Polaki*, *poſteros Lechi* denotari putant. Is populus antiquiſſimis temporibus propius ad Tartarorum fines incoluit. Poſtea vero quam magna populorum Germaniæ multitudo in provincias Romanorum irruptiones paſſim fecerunt; illorum ſedes ab iis, qui proximi colebant, occupatæ ſunt. Hoc pacto quoque Polonia, *Venedis* antiquis incolis nudata, vacuas novis advenis ſedes præbuiſſe videtur. Hi ſub annum a nato Chriſto IↃL. ductu Lechi veniſſe eo, & novam Rempublicam condidiſſe memorantur. Imperii ſedem Lechus conſtituit Gneſnæ, inventi ibi nidi aquilæ, felice, ut interpretabatur, omine inductus. Itaque aquilæ figuram in novæ Reipublicæ inſignibus collocavit, & urbi nomen a nido indidit. *Gneſna* enim *nidum* Polonice ſignificat. In ea primum terra, quæ hodie *Polonia Major* & *Minor* dicitur, novus populus conſedit: nec longius imperium ea tempeſtate patebat: verum illud magnis deinde acceſſionibus auctum eſt.

Regni Polonici ortus.

Lechus.

§. 2. Primi ejus populi Principes non Regium ſibi titulum adſciverunt, ſed Ducum modo nomine ſeſe inſigniri voluerunt. Et initio quidem

Voyvodæ XII. primum re-

Digitized by Google

geminis moderatores. multis viciſſitudinibus obnoxia Reip. forma fuit. Lechica ſtirpe exſtincta, (ex ea quamdiu quisque, quotve eorum imperium obtinuerint, quasve res domi forisque geſſerint, juxta ignoratur,) ſumma rerum penes Palatinos XII. (Polonis Voyvodæ dicuntur) fuit. Ii initio quidem rudem & efferatum populum legibus ac præclaris inſtitutis manſuefecerunt: ceterum, inteſtina deinde diſcordia ex æmulatione orta, ſumma imperii ad Cracum defertur, ſub annum a Chriſto nato ıɔcc. Is collapſam Rempublicam reſtituit, & urbe (eam a ſuo nomine Cracoviam appellavit) condita, ſedem ibi imperii collocavit. Filius ejus erat natu minor, nomine Lechus II. Is fratrem majorem, ut Principatum ipſe invaderet, interfecit: ceterum, comperto facinore, in exſilium pulſus eſt. Ei ſucceſſit Venda, virgo, quæ de ſtirpe Craci ſola ſupererat anno ıɔccl. Ea, quum Ritigerum Principem Germanum, qui ipſius nuptias ambiebat, certamine ſuperaſſet, vana & cæca ſuperſtitione impulſa præcipitem ſeſe in Viſtulam amnem dedit. Poſt ejus mortem iterum Palatini duodecim aliquandiu rerum potiti ſunt, donec Premislaus, aurifaber, (is Leſcus I. quoque nominatur) Dux Poloniæ creatus eſt; propterea quod Moravos, in Poloniam irrumpentes, per inſidias vicit fugavitque. Is quum ſine ſobole deceſſiſſet, certari de Principatu, curſu equorum, placuit. Ex iis, qui ei certamini interfuerunt, unus murices ferreos paſſim humi diſperſerat, ut, ubi in eos reliqui ſe equi induiſſent, claudicarent. Hoc pacto primus quidem metam curſu attigit; ceterum, fraude poſtmodum detecta, confeſtim obtruncatur. Interea infimæ ſortis homo pedes ſtadium decurrit, & ſecundus ab impoſtore cito ad metam pervenit. Itaque Poloni ad eum detulerunt Principatum

Margin notes: Cracus. — Lechus II. — Venda. — Leſcus I.

tum anno ɪɔccʟxxvɪ. Nomen ei inditum Leſci II. Eum in bello, quod cum Carolo Magno geſſit, cecidiſſe, multi auctores ſunt, anno ɪɔcccɪv. Succeſſit ei Leſcus III. filius. Is Carolum M. donis coluit, & pacem cum eo fecit, ea, ut apparet, lege, ut iniquo fœdere ſocius eſſet, & majeſtatem Caroli perpetuo ſe comiter culturum ſponderet. Popielo filio, juſtis nuptiis genito, Principatum per manus tradidit, reliquis filiis, quos ex pellicibus ſuſceperat, finitimas provincias, Pomeraniam, Marchiam, Caſſubiam, aliaque loca, attribuit. Popielum excepit Popielus II. homo improbus. Is uxoris inſtinctu patruos nefario ſcelere occidit: ex eorum projectis cadaveribus mures enati Popielum una cum uxore & liberis devorarunt, cœleſti Numine dignas parricidio pœnas expetente.

Leſcus II.

Leſcus III.

Popielus I.

Popielus II.

§. 3. Popieli mortem turbulentum excepit interregnum: donec ad extremum Piaſto, ruſtico Cruſvicenſi, Principatus delatus eſt anno ɪɔcccxxx. De ejus nomine Reges indigenas *Piaſtos* appellare Poloni conſueverunt. Ejus poſteri diu regimen Poloniæ obtinuerunt: ab eo Duces Lignicenſes & Brigenſes, quorum ſtirps non ita pridem exſtincta eſt, originem traxerunt. Piaſtus ad centeſimum & vigeſimum ætatis annum perveniſſe dicitur. Secundum eum rerum potitur Ziemovitus filius, Princeps virtute bellica præſtantiſſimus anno ɪɔcccxcv. Ei ſucceſſit Leſcus IV. filius, placidiſſimo ingenio Princeps. Par erat indoles Ziemomisli filii, qui Principatum iniit anno ɪɔccccxxɪ. Is filium habebat unicum, luminibus captum. Hic quum pro more ejus gentis ſeptimo ætatis anno tonderetur, jamque nomen imponi oporteret, diſcuſſa repente cæcitate, oculorum uſum recepit: ea res in omen verſa, fore

Piaſtus.

Ziemovitus.

Leſcus IV.

Ziemomislus.

ſcili-

ſcilicet, ut Principem ſuperſtitione cæcatum Chriſtianæ doctrinæ lumen illuſtraret. Nomen ei fuit Miecislao I. Imperii gubernacula capeſſivit anno ıɔccccLXII. Chriſtiana ſacra ſuſcipiendi occaſionem præbuit uxorum (habebat autem multas in matrimonio) ſterilitas. Itaque nonnulli Germani ei perſuadere inſtituerunt, fore, ut ſi Gentilem ſuperſtitionem ejuraſſet, liberos haud dubie procrearet. Habita eis fide, quum uxores Ethnicas ad unam omnes domo ſua expuliſſet, Dambravvcam, Bogislai Bohemiæ Ducis filiam, in matrimonium duxit. Antequam nuptias celebraret, ſacro ſe lavacro ablui juſſit, & Chriſtianorum ſacra in univerſam introduxit Poloniam anno ıɔccccLXV ſancito more, ut dum in re divina facienda Evangelium cantaretur, mares dimidiam frameam vagina nudarent: quod eſſet indicium, ſeſe pro fide Chriſtiana pugnare paratos eſſe.

Miecislaus I.

Boleslaus Chrobrius.

§. 4. Eum excepit filius, Boleslaus Chrobrius, anno ıɔccccXCIX. Otho III. Imperator Regio condecoravit titulo, omni etiam, quod in Poloniam Imperatores habebant, jure remiſſo, ut hoc pacto aliquam grati animi ſignificationem daret, & hoſpitalitatem remuneraretur, qua Imperatorem, itinere, religionis ergo ad ſepulchrum Adalberti, Epiſcopi Gneſnenſis, miraculis ea tempeſtate clari, ad vota per morbum nuncupata exſolvenda, ſuſcepto, exceperat Boleslaus. Primus Polonorum Rex præclare adminiſtravit imperium, bellaque adverſus Ruſſos Rubros, Bohemos, Saxones & Boruſſos proſpere geſſit. Senatores conſtituit, quibus in Regno adminiſtrando adjutoribus uteretur.

Miecislaus II.

Verum Miecislaus filius provincias paterna virtute partas maximam partem amiſit. Inter ceteras Moraviam Dux Bohemiæ in ſuam ditionem rede-

degit. Regnum iniit anno cIↃxxv. Moriens anno cIↃxxxIv. quum Caſimirum filium unicum adhuc infantem reliquiſſet, imperii gubernacula Rixa mater, dum filius adoleſceret, capeſſivit. Verum muliebre regimen Polonis diſplicuit. Eam ob cauſſam mater cum filio in Germaniam quum profugiſſet; filius in itinere cœnobio ſeſe mancipavit in Gallia. Per ejus abſentiam, cœlum terræ miſcetur in Polonia: & Maslaus, inteſtinas turbas ſuam occaſionem ratus, Maſoviam occupat, quæ diu a Poloniæ Regno avulſa, ſeorſum a ceteris conſilia cepit, nec niſi magno temporis ſpatio interjecto in Poloniæ ditionem rediit. Ad extremum, Caſimirum magnis precibus exorarunt Poloni, ut vita monaſtica relicta Regnum ſuſciperet. Ceterum, ut Rex voti religione abſolveretur a Pontifice, Polonis (præter Nobilitatem & Ordinem Eccleſiaſticum) in ſingula capita denarius quotannis imperabatur, ut ea pecunia perpetuum lychni lumen aleretur Romæ in æde Divi Petri, & ſimul edicebatur, ut capillos ad aures usque, inſtar Monachorum, Poloni poſthac detonderent. Inito Regno, quum Maslaum, quem modo diximus, & Boruſſos acie victos profligaſſet, otium & tranquillitatem Regno reddidit. Boleslaus Audax filius, quum Regni gubernacula capeſſiviſſet anno cIↃLIIx. initio quidem feliciter bella geſſit adverſus finitimos Bohemos, Boruſſos, & Ruſſos: ceterum, in luxuriam poſtea ac libidinem prolapſus, quum a Stanislao, Epiſcopo Cracovienſe, ut reſipiſceret, admoneretur, & ad extremum, ubi monitis nihil loci relictum erat, ſacris interdiceretur; Epiſcopum acinace concidit ad aram. Itaque anathemate Pontificis ictus, quum ſe omnibus hominibus inviſum eſſe intellexiſſet, e Regno profugit: &

Caſimirus I.

Boleslaus Audax.

& violentas ſibi manus intuliſſe perhibetur.

Uladiſlaus I.

§. 5. Succeſſit ei Uladiſlaus I. frater anno CIƆLXXXII. Is metu Pontificis initio ſe Regio titulo abſtinuit. Quumque domi foriſque multis magniſque turbis jactaretur, tandem ex iis ſe feliciter expedivit.

Boleſlaus III.

Sufficitur ei Boleſlaus III. filius, impiger & militiæ inprimis peritus. Is, ut reliquas res geſtas omittam, Henricum V. quoque Imperatorem magno prælio vicit fuditque ad Uratiſlaviam in campo (Hundts-feldt) qui a canibus nomen traxit. Nec alius Polonorum Principum plura geſſit bella: quadragies ſepties juſto prælio conflixiſſe cum hoſte & perpetuo ſuperior diſceſſiſſe memoratur: niſi quod noviſſimo prælio, quod cum Nigris Ruſſis commiſerat, propter Palatini Cracovienſis imbelliam victus eſt. Ei quum Rex inde, ignaviæ exprobrandæ cauſſa, pellem leporinam columque & fuſum miſiſſet, adeo perculſus eſt ea contumelia Palatinus, ut confeſtim laqueo ſibi gulam frangeret. Rex quoque mœrore ob tantam cladem confectus moritur anno CIƆCXXXIX. relictis filiis quatuor.

Uladiſlaus II.

Inter eos Uladiſlaus II. cum nomine ac titulo Principis magnam quidem Regni partem adeptus eſt: ſed tamen etiam reliquis fratribus amplæ provinciæ paterno attributæ ſunt teſtamento. Ex ea provinciarum diviſione quum ingentes turbæ & inteſtina bella inter fratres eſſent orta, Uladiſlaus, dum aliena appetit, ſua amittit; quippe coactus ex Regno profugere.

Boleſlaus IV.

Poſt eum Boleſlaus cognomento Criſpus & Quartus Principatum iniit. Is bella cum Conrado III. & Friderico II. Imperatoribus, quod Uladiſlaum in priſtinum locum reſtituere conabantur, gerere neceſſe habuit. Ad ultimum, pax coiit in has leges, ut Poloniam Boleſlaus teneret, Sileſia,

quæ

quæ tum temporis in ditione Polonorum fuit, Uladiſlao concederetur. Ea Regio deinceps ad poſteros Uladiſlai transmiſſa, in multos diviſa Principatus eſt: donec ad extremum cum Bohemiæ Regno conjungeretur. Ceterum, ingentem calamitatem a Boruſſis accepit Boleslaus, exercitu ejus in paludem impeditam proditoris fraude deducto. Succeſſorem habuit Miecislaum Seniorem anno cIↃcLXXIV. Ei quod male adminiſtrabat Regnum abrogatur, Caſimiro fratre in ejus locum ſuffecto anno cIↃcLXXIIX. Operum bellicorum maximum fuit, quod Boruſſos perdomuit & in ordinem redegit. Obiit anno cIↃcXCIV. Ejus filius, Lescus IV. cognomento Albus, cum Miecislao exſule de Regno incredibili fortunæ varietate contendit: donec finem controverſiæ fecit Miecislai obitus, qui incidit in annum cIↃCCXIII. Sedatam jam controverſiam quum denuo nequidquam moviſſet, & ea re aliquandiu ſollicitum habuiſſet Leſcum Uladislaus, Miecislai filius, Regnum tandem Leſcus quietum & tranquillum obtinuit. Leſco regnante, Tartari primum Ruſſiam infeſtis copiis populabundi ingreſſi ſunt, a quibus magna deinde incommoda cladesque Poloni acceperunt. Leſco Suentopolcus, quem Pomeraniæ provinciæ Rex præpoſuerat, bellum quum intuliſſet, occupato Principatu, Pomeraniam ab imperio Poloniæ avulſit. Conrado Leſci fratri Maſoriæ & Cujavia obtigerant. Is quum ad incurſiones Boruſſorum a finibus ſuis arcendas impar eſſet, Cruciferorum, qui eo tempore e Syria expulſi a Saracenis erant, auxilium imploravit. Eis terram Culmenſem Boruſſi ea conditione tradiderunt, ut quidquid locorum ſubegiſſent in Boruſſia, cum ipſis bona fide partirentur. Ea res deinceps Poloniæ multorum cauſ-

Miecislaus II.

Caſimirus II.

Leſcus IV.

ſa

Boleslaus V. ſa bellorum exſtitit. Leſcum excepit filius Boleslaus, cognomento Pudicus, anno CIↃCCXXVI. Eo regnante, Tartari Poloniam immani populatione fœdarunt: inde converſis in Sileſiam armis, prælio ad Lignicium commiſſo tantam ediderunt ſtragem, ut deſectis cæſorum auribus novem ingentis magnitudinis ſaccos replerent. Regnum præterea omni fere vita turbulentum habuit. Succeſſit ei Leſcus Niger anno CIↃCCLXXIX.

Leſcus VI. qui eum cognatione attingebat. Is, etſi adverſus Ruſſos & Lithuanios bene pugnavit, & Jazyges, qui tunc Podelachiam incolebant, penitus delevit: inteſtinis tamen turbis & Tartarorum incurſionibus vehementer exercebatur. Exceſſit e vita anno CIↃCCLXXXIX.

§. 6. Poſt Leſci obitum diuturnum de Regno Poloniæ certamen fuit: donec Premislaus, Poloniæ Majoris Princeps, eo potiretur anno CIↃCCXCV.

Premislaus. Is Regium quoque titulum, per ducentos annos intermiſſum a Principibus Poloniæ, recepit: nam Boleslao Audace ſacris interdicto, Pontifex, ne Poloni Regem crearent, vetuerat: nec qui ſuccedebant Principes, quum in tot partes Regnum eſſet ſciſſum, inane nomen vehementer affectabant. Premislaus ſibi ad eam dignitatem tuendam ſatis eſſe terrarum exiſtimabat. Ceterum, ab emiſſariis Brandenburgicis interficitur, ſeptimo quam Regnum inivérat menſe. Subrogatus eſt Uladislaus Locticus ſeu Cubitalis,

Uladislaus III. qui ſe heredem modo Poloniæ, non Regem, nuncupari voluit. Ceterum, Regno male geſto privatur ab Ordinibus anno CIↃCCC. ſuffecto in ejus locum Venceslao, Bohemiæ Rege. Eo mortuo, anno CIↃCCCIX. Locticus, quum Regnum recepiſſet, graviſſimo bello urgetur a Cruciferis Equitibus; quos tamen ad extremum magno prælio de-

devicit. Eo Rege Principes Sileſiæ, qui ſe ad eum diem Beneficiarios Poloniæ profitebantur, in Bohemorum ditionem venerunt. Deceſſit anno cıↄcccxxxııı. Regnum inde ad Caſimirum Magnum defertur. Is Ruſſiam penitus perdomuit, & cum Poloniæ Regno tam arcte conjunxit, ut pari jure frueretur. Jus quoque Magdeburgicum invexit in Poloniam, eique ſeſe Maſuriæ Dux in clientelam fiduciariam dedit, ut perpetuus Regni Beneficiarius eſſet. Eo ſine prole mortuo, virilis Piaſti ſtirps, quæ adhuc rerum potiebatur, exſtinguitur. Caſimirus III.

§. 7. Caſimiro exſtincto, Regnum ad Ludovicum, Hungariæ Regem, illius ſororis filium, transfertur. Is dum Hungaros ſuos nimis extollit in Polonia, Polonorum animos ab ſe alienavit. Vita fungitur anno cıↄccclxxxıı. Regnum inde Sigismundus, Hungariæ Rex, invitis Polonis, nequidquam affectavit. Ad Zamovitum, Maſuriæ Ducem, nonnulli Regnum deferendum eſſe cenſebant: verum is, quum ei Hedwigis, Ludovici Regis filia, penes quam Regnum manere Ordines omnino volebant, nubere recuſaret, ſpe Regni excidit. Ad ultimum, Hedwigin Regiis primo inſignibus ſolenniter condecoratam Jagelloni Lithuaniæ Duci collocant, ea lege, ut una cum populo Dux Chriſtiana ſacra ſuſciperet, & Lithuaniam cum Poloniæ Regno conjungeret. Prior conditio ſtatim eſt impleta, & Duci, quum ſacro baptiſmate expiaretur, Uladislai IV. nomen impoſitum eſt. Altera vero in multum temporis extracta eſt, eo obtentu, quod eam ægre Lithuani ferrent; re autem vera, quod ſuo in Lithuaniam jure hereditario cedere Reges nolebant: ad ultimum, Sigiſmundo Auguſto Rege, etiam huic conditioni ſatisfactum eſt, & Poloniæ Ludovicus. Jagello, ſeu Uladislaus IV.

Regno Lithuania juncta. Jagello Equites Cruciferos magno prælio devicit: eo quinquaginta hominum millia cæſa eſſe memorantur: multæ eis deinde urbes ademptæ in Boruſſia. Ii tamen poſtmodum reſpirarunt nonnihil viresque recrearunt. Rex moritur anno CIↃCCCCXXXIV. Succeſſorem habuit Uladislaum V. filium. Is poſtmodum Hungariæ Rex factus, bello cum Turcis implicatur. Eo bello Turcas Joannes Hunniades primo ad Moravam amnem, deinde Uladislaus ipſe in finibus Macedoniæ acie vicit fuditque. Itaque inducias facere in decem annos Turcæ coacti ſunt. Verum inſtinctu Pontificis, qui Julianum Cardinalem ad Regem jurisjurandi religione ſolvendum miſerat, induciarum fides frangitur. Inde ſignis collatis nobiliſſimum illud ad Varnam prælium commiſſum eſt: quo prælio Rex ipſe cecidit. Ea clades ingens Chriſtianis dedecus ac detrimentum attulit anno CIↃCCCCXLV.

Uladislaus V.

§. 8. In ejus locum Caſimirus IV. ſufficitur. Is magnam Boruſſiæ partem, Cruciferorum dominationis pertæſam, in fidem accepit. Ea re atrox inter Cruciferos Polonosque bellum exortum eſt. Quumque diu ancipite Marte pugnatum eſſet, pacem tandem Pontifex Romanus conciliavit his legibus: ut Pomerelliam, Culmam, Mariæburgum, Stumam, & Elbingam Poloni, reliqua loca Cruciferi tenerent: ipſe Ordinis Magiſter Beneficiarius Regni Poloniæ, & Princeps, ejuſdem ac Senator eſſet. Eadem tempeſtate Princeps Vallachiæ ſe in clientelam Polonis dedidit. Hoc Rege, Nuncii ſeu Legati Comitiorum primum creati ſunt. Uladislaus Caſimiri filius Bohemiæ primum, & inde Hungariæ Regno potitur. Ei quum de Hungaria controverſiam movere ipſius frater germanus, Joannes Albertus, inſtituiſ-

Caſimirus IV.

Joannes Albertus.

tuiſſet, magna affectus clade deſiſtere ab incœpto coactus eſt. Fatis conceſſit Caſimirus anno cıɔcccc xcıı. Ei ſucceſſit Joannes Albertus filius, qui in Vallachia a perfidis ejus terræ incolis & Turcis ingentem calamitatem accepit. Turcæ quoque infeſto cum exercitu Poloniam ingreſſi ſunt: ceterum, diriſſimum ex improviſo frigus aliquot eorum millia abſumſit. Eo regnante Plaskovia, Maſuriæ Principatus, in poteſtatem Polonorum venit. Diem obiit ſupremum Albertus anno cıɔıɔı. Qui eum excepit Alexander frater haud diu ad clavum Reip. ſedit. Moritur quippe anno cıɔıɔvı. ſucceſſore relicto Sigismundo, qui inter potentiſſimos ejus temporis Principes numeratur. Is tria cum Moſcovitis bella geſſit: in bellis acie quidem ſuperior res Polonica fuit; ceterum, Smolensko Moſcovitæ, quam urbem per proditionem ceperant, tutati ſunt. Bello cum Cruciferis in Boruſſia perpetrato, pax convenit hac lege, ut eam Boruſſiæ partem, quæ ad orientem ſpectat, tanquam Dux, fiduciaria poſſeſſione obtineret: atque adeo Regni Poloniæ in perpetuum beneficiarius eſſet Albertus Marchio Brandenburgicus, idemque tum temporis Ordinis Teutonici Magiſter. Eo quoque Rege Maſuria recepta eſt, & cum Poloniæ Regno conjuncta. Adverſus Vallachos bene pugnatum eſt. Rex rebus humanis eximitur anno cıɔıɔxlııx, ſucceſſore relicto Sigismundo Auguſto filio. Sub eo Rege Livonia, quum Moſcovitarum, qui jam Dorptium, Felinum, aliaque loca in poteſtatem redegerant, impetum ſuſtinere, aut repellere per ſe non poſſet, in ditionem Polonorum venit. Et quanquam Eſthia, & Revalia, eo terrore compulſæ, ſeſe in poteſtatem Erici Suecorum Regis dediderint, Archiepiſcopus tamen Rigenſis, &

Joannes Albertus.

Alexander.

Sigismundus I.

Sigismundus Auguſtus.

Ordinis Teutonici Magiſter, ſe in fidem & clientelam Regis Polonorum contulerunt. Verum quum eos, niſi ſeſe in ditionem Poloniæ dedidiſſent, recepturos Rex negaret; Gothofredus Ketlerus, Ordinis Magiſter, abdicato magiſterio, arcem Rigenſem aliaque loca Polono tradidit. Ketlero Principatus Curlandiæ & Sem-Galliæ defertur. Eam ob cauſſam bellum Polonum inter & Moſcovitam ortum eſt: eo bello Pleskoviam Polono Moſchus ademit. Sigismundo Rege ſine prole demortuo anno CIƆIƆLII. virilis Jagellonicorum ſtirps ſimul exſtinguitur.

Henricus Valeſius. §. 9. Sigismundi mortem diuturna de novo Rege creando altercatio conſecuta eſt: in magna ſententiarum varietate tandem plurium animi in Henricum, Ducem Andegavenſem, Caroli IX. Gallorum Regis fratrem, inclinant. Is igitur quum anno CIƆIƆLXXIV. veniſſet in Poloniam, Regiis condecoratur inſignibus. Ceterum, vix quatuor menſes Regnum obtinuerat, quum, audita fratris morte, ad avitum patruumque Regnum ineundum profugit e Polonia, nocte concubia eaque nubila, veritus ſcilicet, ne ab itinere retraheretur a Polonis: itinere per Auſtriam & Italiam facto, Henricus ſalvus & incolumis venit in Galliam. Poloni, rei indignitate commoti, novum creare Regem inſtituunt. In Maximilianum Auſtriacum etſi multorum animi inclinabant, majoris tamen partis vicit ſententia, exiſtimantis, Stephano Batori, Tranſylvaniæ Principi, Regnum deferendum eſſe. Is, ut omni ſpe Regni Maximilianum excluderet, confeſtim in Poloniam ſe contulit, Annamque Sigismundi Auguſti ſororem matrimonio ſibi junxit. Operum bellicorum primum fuit, quod Gedanum urbem, quæ Maximiliani rebus ſtudebat, in ordinem

Stephanus Batori.

dinem coegit. Bello exin Moſcovitis illato, Pleskoviam & regiones circumjacentes, aliaque loca ſuæ ditionis fecit: ad ultimum, pax convenit in eas conditiones, ut Livonia Moſcovita decederet; Polonus ipſe contra, quidquid locorum ſubegiſſet in Moſcovia, ei reſtitueret. De cetero ad jura legesque conſtituendas, & militiam equeſtrem ordinandam Rex inprimis curam intendit. Equites iſti ordinarii & perpetui *Quartiani* vulgo dicebantur, quod de quarta redituum Regiorum parte ſtipendium ipſis perſolveretur: eos Rex in finibus, qua Tartariam ſpectant, ad Tartarorum incurſiones prohibendas diſpoſuit. Exin ea terra, quæ a Bario, Braclavio & Kiovia, inter Tyram (vulgo Dnieſter appellant) & Boryſthenem fluvios interjecta, ad Pontum Euxinum pertinet, frequentibus oppidis vicisque frequentari cœpta eſt, quum antea vaſta ſolitudine horreret. Hodie Ukrania appellatur. Coſaccorum quoque pedeſtrem militiam, rudem antea & incompoſitam, ordinavit, Techtmoravia (ea ad Boryſthenem amnem ſita eſt) eis attributa, ut ibi & armamentarium ipſorum & Ducum ſedes eſſet. Coſaccorum nomen ante id tempus e viliſſimorum hominum colluvie conſtabat, quæ ex provinciis Ruſſicis, Polonorum imperio ſubjectis, temere & promiſcue coalita, vaga paſſim errabat, & rapto vivere aſſueta, itinera latrociniis infeſta habebat: ceterum, in inſulis Boryſthenis fluvii, Kioviæ ſubjectis, hoc hominum genus maxima ex parte commorari conſuevit. Hi poſtquam a Stephano Rege diſciplinam militarem edocti, & in juſti exercitus formam redacti ſunt, utilem ac fidelem Poloniæ operam diu navarunt. Non enim ſolum Turcarum incurſiones prohibuerunt, verum etiam ultro ex Boryſthene fluvio in Pontum Euxinum inve-

invecti, procurſando in terram populandoque, magnas Turcis clades intulerunt. Nam, ut reliqua omittam loca, Trapezuntem & Sinopen urbes, quin ipſa etiam Conſtantinopolis ſuburbia diripere ſunt auſi. Rex rerum geſtarum magnitudine & virtute bellica inclytus ceſſit e vita anno CIƆIƆLXXXVI. eo ipſo tempore, quo bellum Turcis inferre parabat.

Sigismundus III. §. 10. Ei Sigismundus, Joannis Suecorum Regis filius, ſublectus eſt. Ei magnam apud populum gratiam maternum inprimis genus (erat autem Catharina mater Sigismundi Auguſti ſoror, adeoque ex ſtirpe Jagellonica orta) conciliavit. Quanquam Maximilianum Auſtriacum nonnulli Regem declararunt. Is Regnum vi occupare quum niteretur, acie victus capitur, nec niſi jure ſuo remiſſo dimittitur. Joanne Suecorum Rege mortuo anno CIƆIƆXCII. Sigismundus inſequente anno profectus in Sueciam Regia ſuſcepit inſignia. Verum, quum Sueciæ Regno Sigismundus deinde privaretur, bellum Suecum inter & Polonum ea res peperit. Eo bello Suecis initio ſecunda fortuna fuit, multaque Polonis loca Carolus II. Rex Sueciæ ademit in Livonia. Ea tamen Zamoſcius, Imperator idem & Cancellarius Regni, maxima ex parte recuperavit. Ceterum, Carolus magno prælio victus eſt ad Kirchholmium haud procul Riga, anno CIƆIƆCV. ipſe fuga ægre ſalutem quæſivit. Sed tamen, quum rem Polonicam inteſtinæ inter Regem & Nobilitatem diſſenſiones turbaſſent, Carolus Rex vires per eam occaſionem recreavit. Bellum quoque interea contractum eſt inter Polonum & Moſchum, ob eas, quas commemorabo, cauſſas. Erat in Polonia homo quidam, is ſe Demetrium, Joannis Baſilidæ Magni Moſcoviæ Ducis filium ferebat: atque

atque ut rei fidem faceret, dictitabat, ſibi adhuc puero Boriſium Gudenovium, ut poſt Theodori, Joannis Baſilidæ filii natu maximi, obitum ipſe in Regno ſuccederet, necem afferre voluiſſe: verum in ſuum locum alium ſubditum fuiſſe puerum, & pro ſe interfectum. Huic ſeu vero ſeu pſeudo-Demetrio fidem inprimis habuit Georgius Miniszeckius, Palatinus Sendomirienſis, cujus filiam ſe in matrimonium ducturum Demetrius promiſerat. Palatinus igitur, compluribus aliis adjunctis Proceribus Poloniæ, & confecto exercitu, una cum Demetrio ducit in Moſcoviam anno cIɔIɔcv. Boriſio Magno Duce paullo poſt repentina morte exſtincto, ingens Ruſſorum concurſus ad Demetrium factus eſt; quique reſiſtebant nec imperata facere volebant, victi cæſique ſunt; aditu hunc in modum præmunito, quum Moſquam veniſſet, Demetrius cunctis omnium vocibus Magnus Dux ſalutatur. Ceterum, mox in odium Ruſſis & fraudis ſuſpicionem venit: verum occulte id tulerunt, donec ſponſa Polonica adveniſſet. Interea Ruſſi, ducibus & anteſignanis Suiskiis (ii maternum genus ex vetere Magnorum Ducum ſtirpe ducebant) ad viginti hominum millia coegerant. Quum igitur nuptiæ ingenti magnificentiæ apparatu celebrarentur anno cIɔIɔcvI. Ruſſi, excitata ſeditione, impetum in arcem faciunt, & Demetrium una cum multis Polonis, qui ſponſam proſecuti erant, obtruncant; illuſtriores tamen ex iis vitam a ſeditioſis fortiter tutati ſunt. Exin Baſilius Suiskius, Magnus Dux appellatus, corpus Demetrii projici in forum, gratum populo ſpectaculum fore ratus, juſſit. Verum vulneribus deformatus vultus, confuſis lineamentis, haud agnoſcebatur: extemploque rumor in vulgus increbuit, Demetrium fuga ſalutem quæ-

ſiviſſe : & ſane mox prodiit in lucem, qui Demetrii & nomen & perſonam præ ſe ferebat. Utrum idem is, an alius fuerit Demetrius, quia in incerto res eſt, haud dixerim. Poloni utique, in ultionem & cædis ſuorum & contumeliæ intenti, eum pro vero agnoſcebant. Hic ſeu novus ſeu vetus Demetrius, ingenti exercitu e Polonis & Coſaccis coacto in Moſcoviam ducit CIↃIↃCIIX. quumque præliis identidem commiſſis Ruſſos ſæpenumero profligaſſet, Suiskius ſponſam, quam ad id locorum in cuſtodia aſſervaverat, dimiſit, & a Polonorum Rege, ut copias domum revocaret, petiit. Ceterum, ſponſa Demetrium ſuum agnovit maritum: tantusque ad eum non minus e Polonia, quam Moſcovia, factus eſt concurſus, ut, ni Suiskio copias auxiliares Suecus, Ponto de la Gardie Duce, miſiſſet, actum cum eo eſſe propemodum videretur. Sed Sigismundus Rex, eam Ruſſos premendi, aut ſaltem Smolensko & Severiam eis adimendi occaſionem haud dimittendam ratus, exercitum Smolensko urbi admovit anno CIↃIↃCIX. eam tamen poſt biennium demum, A. CIↃIↃCXI. vi expugnavit. Interim dum hæc geruntur, Poloni, qui ad id locorum cum Demetrio ſteterunt, Sigismundi Regis juſſu ſeſe ab eo averterunt, & ad Sigismundum redeunt: quippe qui moleſte ferebat, magnam copiarum ſuarum partem ſub alienis ſignis militantem alterius commodis inſervire. Earum diſceſſu Suiskius, reſpirandi loco & ſui recolligendi dato, confirmatus, & ſimul Suecorum auxiliis fultus, in Polonos, Smolenskum urbem per id tempus circumſedentes, ducit anno CIↃIↃCX. ſignis collatis, acie victus profligatusque eſt ad Cluſinum. Ea clades quum rem Ruſſicam in magnum denuo diſcrimen adduxiſſet, illud diſcu-

diſcutere Ruſſi fraude & aſtutia conniſi ſunt. Amoto a regimine Suiskio quem inviſum adverſa fortuna reddiderat, ad Uladislaum Poloniæ Principem imperium Moſcoviæ deferunt, in ſpem erecti, fore ut eo pacto & Demetrium labefactarent ac penitus everterent, & Polonorum ſibi amicitiam conciliarent: ceterum, ubi præſens periculum declinaſſent, in proclivi fore arbitrabantur, Principi Polono poſtea confictis cauſſis imperium abrogare. Nec fraudulentum conſilium fortuna deſtituit: miles Polonus confeſtim a Demetrio ſeceſſionem facit, Suiskius Polonis deditur, Ruſſi denique in Uladislai verba jurant. Poloni contra, qui tum erant in Moſcovia, Uladislaum quam primum venturum in Moſcoviam ſpondent, anno cIↃIↃcx. Ceterum, Sigiſmundus Rex perſuaderi ſibi paſſus, ut eas conditiones omnino repudiaret, ſatiusque eſſe putaret, vi armisque Moſcoviam ſubigi, extemplo tamen in Moſchos exercitum ducere, & primo eos impetu opprimere quum neglexiſſet, irritum incœptum fuit. Ruſſi, cognito quid animi Polonis eſſet, ab Uladislao eo alacrius audaciusque deficiunt, quod interea Demetrius a Tartaris, quibus cuſtodiam corporis commiſerat, interfectus erat. Ceterum, Poloni, qui in præſidio Moſquæ urbis erant, ad ſeptem millia, quum eos Ruſſi occidione occidere niterentur, fortiter ſeſe ab iis defenderunt, urbe, quæ tum temporis ex centum & octoginta domibus conſtabat, incenſa: quo incendio magna etiam hominum multitudo abſumta eſt. Sed tamen Ruſſi, recreatis viribus, præſidia Polonica, quæ arcem Moſquæ tenebant, circumſidere inſtiterunt. Obſeſſis Sigiſmundus Rex ſubſidio venire nullo negotio potuiſſet, & ſuas ibi opes conſtabilire, dummodo poſt expugnatam urbem Smo-

 lens-

lenskum eo ire extemplo perrexiſſet. Sed quum retro in Poloniam tenderet, nec obſeſſis pecuniæ ſatis & auxiliorum ſubmitteret, milites, etſi gazam Magni Ducis exſpoliaverant, tamen ad ſeptem millia coeunt, & e Moſcovia egreſſi, reliquum, quod ipſis deberi contendebant, ſtipendium ſolvere Regem coegerunt: nonnulli tamen eorum in præſidio remanſerunt. Ad extremum, Sigiſmundus Rex etſi omni ope connitebatur, ut collapſas in Moſcovia opes inſtauraret; tamen propter ſuperbam Ducum, quibus rei militaris ſumma demandata erat, æmulationem conſilii exitum explicare haud potuit. Inter hæc Poloni, qui in præſidio arcis erant, fame compulſi deditionem faciunt. Ita omnia quæ ceperat loca Polonus, amiſit in Moſcovia. Ea clades tanto gravior Sigiſmundo exſtitit, quod in ſpem potiundæ Moſcoviæ erectus, viam ſibi & aditum munire in Sueciam parabat. Super hæc magnam eodem anno calamitatem Poloni acceperunt in Moldavia. Anno CIↃIↃCVII. iterum in Moſcoviam expeditionem fecit Uladislaus Princeps: ſed ſucceſſu non admodum proſpero. Itaque inducias tandem cum Ruſſis in annos XIV. pactus eſt, hac lege, ut Ducatum Severienſem, Czernichovienſem & Novogrodenſem, quas terras eos per tumultus ceperat, interim Polonus haberet. Interea dum hæc geruntur, complura Livoniæ loca Guſtavo Adolpho, Suecorum Regi, Georgius Farensbachius tradidit, fraudulento, ut fama tenet, conſilio. Regem quippe inſidiis circumventum capere Farensbachius in animo habebat: nec ita multo poſt, Sigiſmundo Rege ſibi reconciliato, omnia præter Pernaviam oppida reſtituit Polono. Anno CIↃIↃCXX. bellum inter Polonum & Turcam eſt ortum, conciliatore, ut fertur, Betlemio Gabriele

briele Tranſylvaniæ Principe. Betlemius enim, quod adverſus eum Imperatori Sigiſmundus auxilia miſiſſet, bello Turcico implicare hac ratione Polonum & a ſe avertere nitebatur. Turcæ igitur Moldaviam infeſto exercitu ingrediuntur, eo conſilio, ut Principem ejus terræ, Polono ſocietate junctum, expellerent. Moldaviis contra auxilio venit Zolkieuskius, exercitus Polonici Imperator. Is longius, quam tutum erat, progreſſus in interiora terræ, quum pedem referret, a Turcis oppreſſus acie vincitur funditurque; ipſe framea conciſus cecidit. Inſequente anno Poloniam omnibus viribus invadere parabat Turcarum Imperator. Ei Poloni, Uladislai Principis ductu, obviam procedunt, caſtraque ad Chocimum ponunt. Polonorum non amplius quinque & ſexaginta millia erant: Turcarum & Tartarorum ad trecenta nonaginta duo hominum millia initus eſt numerus. Tanto exercitui Oſmanes ipſe Imperator præfuit. Ceterum, Polonorum caſtra quum vi capere, ſæpius oppugnando, Turcæ tentarent, magna cum cæde ſemper ſunt hoſtes repulſi: quanquam & Polonorum res in arcto erat, propter commeatus & earum rerum, quæ ad opera munitionesque pertinent, inopiam, & vulgatos per exercitum morbos, & crebras equorum ſeu fame enectorum, ſive peſtifera lue abſumtorum mortes, aliaque hiſce ſimilia mala. Ad extremum, pacem cum Polonis honeſtis conditionibus Turcæ componunt: hi in oppugnationibus caſtrorum Polonicorum ſupra ſexaginta hominum millia, in reditu vero majorem etiam numerum deſiderarunt. Dum bello Turcico Polonus implicatus eſt, Guſtavus Adolphus, irruptione in Livoniam facta, ſine magno certamine, Rigam urbem ditionis ſuæ fecit anno CIƆIƆCXXI. Reliqua Livoniæ loca, quæ

ad Duneburgum pertinent, Suecus poſtmodo itidem in poteſtatem ſuam redegit anno CIↃIↃCXXV. In Boruſſiam inde Guſtavus Adolphus infeſtum exercitum movet anno CIↃIↃCXXVI. Elbingam, Mariæburgum, aliaque loca capit. Id bellum poſtea ita geſtum eſt, ut juſtis majoribusque fere præliis abſtineretur: donec ſignis collatis Polonos Joannes Vrangelius inſigni calamitate affecit ad Gorzno oppidum, anno CIↃIↃCXXIX. Polonis exin Imperator aliquot hominum millia auxilio miſit. Prælio ad Stummam oppidum commiſſo cum Guſtavo, parum abfuit, quin Rex ipſe in hoſtium manus veniret. Poſt eam pugnam in magnum diſcrimen res Polonica venit, magnaque rerum omnium perturbatio fuit: itaque inducias Poloni cum hoſte paciſcuntur in menſem Junium anni CIↃIↃCXXXIV. conciliatoribus Gallo & Anglo. Conditionibus cautum eſt, ut, interea dum induciæ manerent, Elbingam, Memmeliam, Braunsbergum, & reliqua, quæ in Livonia cepiſſet, loca Suecus haberet poſſideretque. Sigismundus exceſſit e vita anno CIↃIↃCXXXII.

Uladislaus IV. §. 11. Uladislaus IV. inde filius Rex appellatur. Is altero, quam Regnum capeſſivit, anno inſignem de Ruſſis, Smolensko urbem circumſidentibus, victoriam retulit: non enim ſolum obſidionem ſolvit; verum etiam univerſum Ruſſorum exercitum uſque adeo in arctum coegit, ut deditionem facere cogeretur. Turcæ quoque, Polonum avertere ab hoſtibus conantes, fortiter repulſi ſunt. Ad ultimum pacem cum Ruſſis fecit Uladislaus, cum magna Poloniæ utilitate conjunctam anno CIↃIↃCXXXIV. Jure quippe ſuo, quod in Czernichoviam & Smolensko, ingentem utrumque Ducatum, habebant Ruſſi, ceſſerunt. Ea res tantam Polono auctoritatem comparavit,

ut

ut ei de noviſſima incurſione Turcæ ſatisfacerent, Præfecto, ſeu, ut vulgo vocant, Baſſa, qui eas copias duxerat, ſtrangulato. Anno cIↃIↃcxxxv. induciæ cum Suecis in annos XXIX. prorogantur Stumsdorffii in Boruſſia: loca, quæ in Boruſſia Suecus tenebat, Polono traduntur, quod & Suecorum res in Germania poſt pugnam Nordlingenſem peſſimo loco ſitæ erant, & Angli juxta ac Batavi vectigalia ac portoria Boruſſiæ periniquo ferebant animo. Anno cIↃIↃcxxxvII. belli cum Coſaccis jacta ſunt ſemina: quod bellum, incredibile dictu eſt, quanta Poloniæ mala pepererit. Res ita ſe habet. Quemadmodum Coſaccorum numerum, ruſticorum, qui, relictis patriis ſedibus, ſeſe ad eos aggregarunt, acceſſio vehementer auxit: ita complures Poloniæ Proceres multa magnaque in Ucrania bona ac prædia ſibi compararunt, rati, reditus ſuos mirificis auctibus amplificatum iri, ſi Coſaccorum in ea Regione libertas imminueretur. Itaque auctores Regi fuerunt, ut Coſaccos frænaret circumſcriberetque. Ad eos igitur coercendos Koniecpolskius, copiarum Polonicarum Imperator, Hudacum caſtellum condere ac munire eo loco, quo Zwumera amnis in Boryſthenem evolvitur, inſtituit. Id quum vi prohibere Coſacci conarentur, victi profligatique ſunt a Polonis, & Bauluccium Ducem, compluresque alios ex Principibus dedere hoſtibus coacti: hi, neglecta veniæ promiſſæ fide, ad unum omnes capite plectuntur. In Comitiis dein decretum, ut omni libertate & ſimul Techtimirovio, loco munitiſſimo, Coſacci exuerentur, & in eorum locum novus miles, eo tanquam in coloniam deductus, ſurrogaretur. Itaque Polonus exercitum movet in Ucraniam: cum eo etſi Coſacci compluribus & atro-

atrocibus præliis ſubinde contendebant; tamen ſi vetera eis relinquerentur jura ac privilegia, in fide ac poteſtate ſeſe futuros pollicebantur. Id quum eis Poloni promiſiſſent, non modo fidem non ſervarunt, ſed eos inſuper etiam miſere vexarunt. Nam ut reliquas injurias taceam, multa eis templa Græcanica adempta ſunt. Nec eorum Duci Chmielinskio, de inſigni, quam acceperat, contumelia, ſatisfactum erat. Ei quippe poteſtatem Rex fecerat, molas nonnullas exſtruendi; eas Nobilis quidam, nomine Jarinski, quum exuſſiſſet, uxorem etiam Ducis per vim compreſſerat, & una cum filio nefario ſcelere trucidarat.

Joannes Caſimirus. §. 12. Inter hæc demortuo Uladislao anno CIƆIƆCXLVIII. Joannes Caſimirus, frater, ſublegitur. Chmielinskius, in ultionem contumeliæ intentus, ad ſeditionem ſuos Coſaccos adhortatur. Hi igitur prædas agendo, agros exurendo, conjuges liberosque violando, ingentes Nobilitati Polonicæ clades intulerunt. Senatoribus urgentibus, ut ipſe Rex infeſto agmine in Coſaccos proficiſceretur, Rex non aliud, niſi non oportuiſſe eos molas Chmielinskii comburere, reſpondit. Id reſponſum fecit, ut Regis fidem Poloni ſuſpectam haberent: exercitus tamen ad millia hominum quinquaginta confectus eſt, qui deinde acie victus profligatusque eſt a Coſaccis: cæſi ſunt in eo prælio ad decem hominum millia. Kiovia urbs itidem capta. Eam cladem ut pari calamitate rependerent Poloni, ſine auctoritate Regis ſeptimum quemque virum ad militiam evocant, eamque manum in Coſaccos ducunt, ſed iterum ingenti prælio victi fuſique ſunt. Ceterum, dum Chmielinskius filii (erat enim filiam Principis Vallachiæ in matrimonium ducturus,) nu-

nuptias apparat Kioviæ, Poloni incurſione repente facta urbem diripiunt, & Græcum Patriarcham captivum abducunt. Legatos inde Coſacci ad Regem mittunt, ſciſcitatum, an ipſius juſſu hæc facta eſſent, nec ne? Rege negante, & Nobilitatis in ultionem intentæ auſpiciis patrata ea eſſe prædicante, Coſacci Tartaris juncti infeſto agmine in Poloniam proficiſcuntur. Eis Rex una cum Nobilitate occurrit, hoſteſque uno vicit profligavitque prælio. Pax inde cum Coſaccis confecta eſt, de qua Nobiles vehementer cum Rege expoſtularunt, nimis eum ea pacificatione Coſaccis indulſiſſe dictitantes. Cum inteſtina diſſenſione res Polonica jactatur, Moſcus quoque, quod dudum animo agitaverat, bellum propalam capeſſit anno cIↃIↃcLIII. Coſaccis ſibi adjunctis, Smolenskum obſidione cinctum altero anno per deditionem cepit, Lithuaniam inde populatione longe lateque fuſa vaſtat. Vildam aliaque loca expugnat, eaque omni crudelitatis genere fœdum in modum vexat. Anno cIↃIↃcLV. nova in Poloniam tempeſtas incubuit. Carolus Guſtavus Rex Sueciæ delecto exercitus robore Poloniam ingreſſus, primo Poloniam Majorem & Maſuriam, inde Minorem una cum Regni ſede Cracoviam ſuæ ditionis fecit: in Boruſſiam deinde deſcendit. Ibi omnes civitates in deditionem acceptæ, præter Gedanum: in qua urbe quum complures principio Suecorum rebus faverent; paullo poſt continuis Concionatorum vocibus repente immutati, in fide Polonorum omnes perſtiterunt. Ad reliqua incommoda haud leve momentum attulit unius urbis ad reſiſtendum pervicacia: ea enim factum eſt, ut lætiſſimus armorum Suecicorum ſucceſſus tandem ad nihilum recideret, nec Boruſſiam Sueci tutari & ſibi in per-

petuum aſſerere poſſent: quanquam non modo ordinarius Poloniæ miles, verum etiam reliquæ Lithuaniæ regiones, quæ necdum in ditione Moſcorum erant, in fidem ac clientelam Suecorum ſe contulerant; ipſe quoque Joannes Caſimirus Rex in Sileſiam ſeſe receperat. Poſtea vero quam Poloni a priori metu nonnihil reſpirarunt, Tartaris in partes ſuas pertractis, paſſim eos, qui per vaſtiſſimos agros vagi ac diſperſi degebant, occidunt. Lithuani quoque rebellione facta, qui apud eos paſſim collocati in hibernis erant, milites interficiunt. Nec mediocriter ſuas vires ipſe Carolus Guſtavus debilitavit, quod Jaroslaviam uſque cum exercitu progreſſus erat: eum quippe non ſolum itineris longinquitas, verum etiam Czarneskius, dum huc illuc cum expedito equitatu incurrit, vehementer fatigavit & afflixit. Inter hæc Poloni, Varſavia recepta, Vittenbergium, una cum multis illuſtri dignitate viris, contra datam fidem, captivum detinuerunt. Carolus Guſtavus Rex, exercitui Electoris Brandenburgici junctus, etſi Polonos & Tartaros, ſignis collatis ad Varſaviam, memorabili prælio, quod triduum tenuit, vicit fuditque; tamen ea res haud læta aut grata Europæis Principibus accidit, jamque Sueco paſſim negotium faceſſere incipiebant, ut eum ad ſua tuenda averterent. Moſcus Livoniam infeſto exercitu intrat: Rigam obſidione cingit, ſed irrito incœpto. Batavi haud obſcure indicarunt, ſeſe non paſſuros eſſe, a Suecis Boruſſiam teneri. A Danis quoque bellum moveri cœptum. Ragotſius contra, Tranſylvaniæ Princeps, exercitum duxit in Poloniam, ſi forte Regno potiri poſſet. Verum, poſtquam Rex Sueciæ e Polonia exercitum in Danos duxit, haud ſecunda fortuna Ragotſio fuit. Acie victus fuſusque a Polonis, prius-

uſquam ad ſuos perveniret fines, pacem iniquis conditionibus componere non ſine ſummo dedecore cogitur. Iſtud malum declinare Ragotſius facile potuiſſet, ſi ex conſilio Regis per Breſciam, Prinſcum, & reliqua deinceps loca iter feciſſet: præſertim quum Rex ei ſeſe, donec in tuto eſſet, præſto futurum in Polonia promiſiſſet. Sed Ragotſius obſtinato animo per Cracoviam iter facere maluit. Exin Poloni Cracovia & Thorunio receptis, Suecos ex Curlandia expellunt, cujus Principem antea in cuſtodiam tradiderant. Sed tamen exercitu inde ad Rigam urbem admoto, Poloni magnis acceptis cladibus ab Helmfeldio Suecorum duce ſubmoventur. Pace deinde cum Suecis facta Olivæ, anno CIↃIↃCLX. Poloni etſi totam recuperarant Boruſſiam, quum ipſi ſuum in Livoniam jus remiſiſſent: Smolenskum tamen, Severiam & Kioviam relinquere Moſcis coacti ſunt. Nec Coſaccos placare & ſibi reconciliare ullo modo potuere: ii quum pars ad Moſcum, pars ad Turcam ſeſe aggregaſſent, ad extremum bellum Turcicum adverſus Polonos concivere. Nec inteſtini motus diſſenſionesque ceſſabant. Itaque Joannes Caſimirus Rex, turbarum pertæſus, Regno ſeſe abdicavit, & in Galliam ſe conferens, in Abbatia (ut vulgo vocant) S. Germani ætatem exegit; & ibi paucos poſt annos vitam cum morte commutavit.

§. 13. Quum jam nemo ex Regia Poloniæ ſtirpe ſuperſtes eſſet, complures peregrini Regnum prenſare inſtiterunt. Poſt varias contentiones tandem Piaſtus quidam, nomine Michael Wieſnovizkius, Rex appellatur, ſuffragiis potiſſimum Nobilitatis minorum gentium electus. Is breve, ſed inteſtinis turbis perpetuo exercitum Regnum geſſit: nec interim Turcæ magnas Poloniæ clades inferre *Michael Wieſnovizki.*

 de-

deſtiterunt. Ii Caminieca Podoliæ, quæ inexpugnabilis antea habebatur, anno CIↃIↃCLXXII. expugnata, expeditam ſibi in Poloniam viam muniverunt. Pax inde compoſita eſt, hac lege, ut Caminiecam Turcæ haberent poſſiderentque, & annuum præterea ſtipendium ipſis perſolveretur a Polonis. Diem obiit ſupremum Rex Poloniæ anno CIↃIↃCLXXIII. In ejus locum ſuffectus eſt, anno inſequente, Joannes Sobieskius, exercitus Polonici Imperator. Is ſuperiori, ante quam Regnum inierat, anno Turcarum caſtra, ad Chocimum poſita, adortus, tantam edidit ſtragem, ut ex duobus & triginta hominum millibus vix mille & quingenti cædem effugerent. Bellum inde adverſus Turcas denuo movet; pax tamen confecta eſt anno CIↃIↃCLXXVI. his conditionibus, ut Caminiecam Turcæ tenerent, & ſtipendium remitterent. Egregia Regis hujus virtus pari cum prudentia conjuncta Polonos bene ſperare in poſterum jubet.

Joannes Sobieski

Nationis Polonicæ mores atque indoles.

§. 14. In gente Polonica, quod attinet ad mores, illud inprimis notatu dignum eſt, quod qui nobili loco natus non ſit, ruſticorum numero habeatur. Civium in oppidis haud magna eſt auctoritas, opifices plerique omnes ſunt peregrini. Ruſticorum non multo melior, quam ſervorum & mancipiorum, eſt conditio, & ſunt ſane agreſtes, quum omni vitæ genere inculti, tum moribus, ſupra quam dici poteſt, barbaris & inconditis præditi. Itaque Polonorum quando fit mentio, hoc nomine non niſi Nobilitas plerumque ſignificari creditur. Aperto fere & candido ſunt ingenio, & a ſubtilibus illis ac aſtutis ſimulandi diſſimulandique artibus alieno. Iidem tamen, ut ſunt gloriæ cupidi, ita ſe vehementer coli & obſervari ab aliis volunt. Quod ſi quem expetunt, hono-

honorem eis habeas, humanitate certant, nec minus, quam acceperint, honoris rependunt. In ſermone atque omnibus vitæ civilis officiis cerimoniisque incredibilem quandam ſpeciem & quaſi pompam adhibent. Adhæc liberales ſunt, vel, ut verius dicam, prodigi: nec ab inſana pecuniæ profuſione revocare eos immittens paupertas ac rerum omnium penuria poteſt. Ferox admodum & indomita gens eſt, & in effrænem libertatem vel potius licentiam & petulantiam vehementer proclivis. Ea re tot coitiones, tot conſultationes, tot adverſus Regem ſeditiones exiſtunt. Ejus publicas privatasque actiones quaſi cenſoriæ ſeveritatis nota inurunt, ac perpetuo metuunt, ne quid ab eo libertati ipſorum & immunitati derogetur. Ad bellum fortiter capeſſendum nec animus nec virtus eis deeſt; primo tamen impetu alacriores ſunt, nec ad continuatos labores & pericula durati. Quoniam non niſi Nobilitas animum ad rem militarem applicare conſuevit, quæ equeſtrem tantummodo militiam excolit & ſequitur, reliqui vero milites haud benigne tractantur; fit, ut peditatu parum valeat: itaque pedite uti mercenario neceſſe habent, vel e Coſaccis, quibus ſatis vel alacritatis vel temeritatis ineſt, delecto.

§. 15. De terræ magnitudine ac ſoligenio quædam attingere operæ pretium eſt. Polonia vaſtiſſimis finibus longe lateque patet, ubere ubique & fœcunda gleba, & ad agriculturam remque pecuariam inprimis accommodata. Batavi equidem Polonico potiſſimum frumento ad victum utuntur, & in Germania ingens boum Polonicorum copia quotannis ad uſum vitæ humanæ conſumitur. Nec exiguo in pretio habetur lana Polonica. Equorum perniciſſimorum copia abundat Polonia. Mel ſuppeditat Lithuania, ejus maximam partem ad *Terræ ubertas.*

mulſum conficiendum (ipſi Medonem vocant) Poloni adhibent, quod reliquum eſt, exportant; ut & ceram, cannabin, linum, alutam, cinerem, ſal, ligna, & ſimilia. Importantur tamen panni varii generis e lana & ſerico, tapetes & veſtes ſtragulæ, pelles Zebellinæ, vina Hungarica & Hiſpanica, & inprimis magna aromatum copia, quorum in condiendis cibis frequens ipſis & magnus eſt uſus. Quod ſi Poloni & frugalitati ac parſimoniæ nonnihil ſtuderent, & ad opificia, quæ ad cultum corporis humani pertinent, excolenda ipſi animum adjicerent, mercium importatorum numerum eorum, quæ exportantur, copia haud dubie excederet. De cetero, incolis, urbibus, oppidis ac vicis frequens eſt Polonia. Sunt qui memoriæ prodiderunt, in ditione Regis & Nobilitatis urbium, oppidorum, vicorumque nonaginta millia; Epiſcoporum & Canonicorum centum millia & ſexcentos; reliquorum Eccleſiaſticorum, veluti Monachorum & virginum Monialium, ſexaginta millia, quingentos & quinquaginta eſſe. Qui numeri, ſubducta ratione, bis centenorum, unius & quinquaginta millium, & quinquaginta ſummam explent. Eum tamen numerum vero majorem non eſſe, ego pro certo ponere non auſim.

Regni vires. §. 16. Regni hujus vires, rebus ſecundis ac florentibus, in Nobilitate potiſſimum conſiſtunt. Superioribus utique temporibus, equeſtrem militiam ad hominum millia centum & quinquaginta, vel, ut alii majorem etiam ineuntes numerum volunt, ducenta millia e ſola Nobilitate confici poſſe, gloriati ſunt Poloni. Sed in ea ratione ineunda aliquid humani paſſi eſſe videntur; niſi ſi qui Nobiles comitantur, lixæ & calones in eum cenſum referantur. Illud utique conſtat, non aliud Euro-

pæ Regnum tanta Nobilium multitudine conſpicuum eſſe. Nec ad ſtipendium perſolvendum opes deſunt, quibus præter Coſaccos peditatus ſatis validus conficiatur. Quod ſi paullum modo eniti, ac vires intendere velint cives, tantum ex vectigalibus ac tributis pecuniæ redigi nullo negotio poteſt, quantum ad numeroſum exercitum alendum ac ſuſtentandum ſatis ſit. Sed eam rem maxime impeditam reddit, quod ſine Nobilitatis auctoritate nullum extra ordinem tributum imperare Rex poteſt. Itaque Eccleſiaſtici juxta & Nobiles haud facile ſibi perſuaderi patiuntur, ut de ſuis facultatibus quidquam in publicum conferant, niſi ultima neceſſitas urgeat; & ſi maxime adducantur, facile tamen in pendendis tributis defatigantur. Quare fit, ut diuturnum cum efficacitate bellum Polonus gerere difficulter poſſit. Nobilitas ad militiam evocata tardiſſime & cunctabunda convenit; nec imperia obedienter accipit. Inutilis denique lixarum & calonum turba (ea ipſo exercitu quintuplo major eſſe ſolet) militem Polonicum immane quantum prægravat. Ea enim ipſos Poloniæ agros fœdum in modum evaſtat, & rei frumentariæ inopiam efficit, ut & alimentis milites, & pabulo jumenta egeant.

§. 17. Sequitur ut de forma Reip. paucis agamus. Res Polonica ab uno quidem adminiſtratur, qui & nomine & apparatu Regio eſt inſignis: ceterum, ſi circumſcriptum nimis imperium ſpectes, re vera non multo majorem quam Princeps aliquis aut Præſes liberæ Reip. poteſtatem habere videtur. Is voluntaria electione, ad quam unusquisque, qui præſens eſt e Nobilitate, ſuffragii jus habet, creatur. Quanquam autem in novo Rege creando Poloni a ſtirpe Regia haud temere recedere conſueverunt, ſucceſſorem tamen, *Forma regiminis.*

quoad ſuperior Rex viveret, deſignare pertinaciter recuſarunt. Nimirum ad interregnum rem redire ſatius eſſe putant, quod per id tempus & morbos labesque ſuperiore Rege adhuc vivo in Rempublicam forte invectas commodiſſime ſanari, omniaque in priſtinum ſtatum reſtitui, & occultas libertatis labefactandæ vias præcludi nullo negotio poſſe, perſuaſum habent. Ceterum, ne qua per interregnum ſeditio aut tumultus exiſtat, multo, quam ante, ſeverius ea tempeſtate juſtitia adminiſtratur. Archiepiſcopus Gnesnenſis per idem tempus Primatis Regni, ſeu, ut vulgo vocant, Directoris, & quaſi Interregis perſonam ſuſtinet. Ceterum, exteros Principes, quam Nobiles indigenas, ad Regnum evehere Poloni jam dudum maluerunt, rati fore, ut eo pacto æqualitate Nobilitas contineretur: propterea quod indigena in propinquis & affinibus extollendis ornandisque multum charitati ceterisque animi motibus indulgeret: peregrinus contra omnes odii & amoris cauſſas procul haberet. Id inſtitutum jam inde ab Jagellone, Lithuano, ſervarunt: ac tum quidem magnum inprimis commodum ex ea re ceperunt, quod Jagellone ad Regnum evocato cum Polonia Lithuaniam conjunxerunt. Ceterum, quo minus Regnum ad Sigismundum Suecum delatum, lætum Polonis ac ſecundum exſtiterit, non una memoratur cauſſa. Ea enim eſt Regni utriuſque ratio & indoles, ut unius regi imperio utrumque ſimul vix poſſit: accedit, quod per eam occaſionem Polonus graviſſimo bello implicitus erat cum Sueco; quo bello, niſi Sigismundum Regem creaſſet, omnino ſublevatus fuiſſet. Ab Auſtriacis creandis Regibus Poloni ſemper abhorruerunt, veriti, ne eadem, qua Hungari & Bohemi, conditione uterentur. Superiori tempore, inito

inito de novo Rege creando ſuffragio, duos indigenas, alium poſt alium, ad Regnum evexerunt. Ceterum, futurumne ſit, ut ea re factiones & partium ſtudia ſopiantur, nec ne, tempus, rerum omnium magiſter, docebit. Rex ſuffragio creatus, ex bonis prædiisque, quæ ipſi ſunt attributa, ingentes quotannis reditus percipit: ei quoque ſoli munera & honores mandare, ceteraque Regni commoda pro lubitu elargiri ac diſtribuere jus fasque eſt. Ceterum, novas leges condere, bellum indicere, tributa imponere, aliaque majoris momenti negotia ſuſcipere, ſine Ordinum auctoritate & conſenſu, haud licet. Conſtant autem Ordines Poloniæ ex Epiſcopis & Abbatibus nonnullis, item e Palatinis, (ii vulgo Woywodæ dicti, Provinciis cum imperio præſunt) Caſtellanis, ſeu caſtellorum aut arcium Præfectis, & primariis Regni Miniſtris: hi Senatum conſtituunt, qui olim centum & quinquaginta hominum numerum explebat. Accedunt Nobilium Legati e diverſis regionibus miſſi; hi a Polonis vulgo Nuncii Terreſtres, a Germanis Landbooden appellantur: eorum poteſtas fere eadem eſt, quæ fuit olim Tribunorum Plebis Romanæ. Decreta quippe Comitiorum & Senatusconſulta labefactari & irrita fieri unius interceſſione poſſunt. Itaque in Comitiis iſti homines non minus adverſus Regem, quam principes Regni Miniſtros, libere loqui conſueverunt. Hinc fit, ut in iis res ſine ordine fere ac conſilio peragantur, & Comitiorum fructus omnis, ob unius hominis pertinaciam intercidat: præſertim quum certum tempus (ſex videlicet hebdomadæ) Comitiis ſit præfinitum, quod tempus Poloni haud temere, nec niſi in paucos dies, prorogari ſinunt. Ceterum, iſtud jus contradicendi *Animam ſuæ libertatis* appellare Po-

loni ſolent. Vacua, ut vocant, beneficia Nobilitati reſtituere Rex neceſſe habet, nec ullum eorum aut ſibi reſervare, aut in liberos conferre; nec denique ulla Nobilium prædia aut emere aut poſſidere ei licitum eſt. Nec etiam rerum forenſium cognitio penes Regem eſt. Scilicet ſummum Tribunal primus Stephanus Batorius Rex conſtituit, in quo certi homines ex Nobilium ordine delecti jus dicerent: his per vices quotannis ſucceditur, novique creantur judices, qui per ſemeſtre ſpatium Petrocoviæ, & per reliquum tempus Lublini jus dicant, & cauſſas civiles ſine provocatione dijudicent. Graviores tamen cauſſæ in Comitiis diſceptantur: capitis autem cauſſas, quæve ad fiſcum Regis pertinent, Rex ipſe cognoſcit. Ea Reipublicæ forma etſi a Polonis vehementer adamatur, ut quæ cum inſita genti ferocia apprime congruere videtur; plerumque tamen impedimento eſt, quo minus negotia publica recte atque ordine peragantur, & conſilia mature perficiantur: adde, quod eo regimine vaſtiſſimi Regni vires vehementer debilitentur, maxime ſi quando privatim a Rege Nobilitas diffideat, & aut palam tumultuetur, aut occultis eum odiis proſequatur.

Polonis contigui atque vicini.

§. 18. Reliquum eſt, ut finitimas Poloniæ gentes breviter attingamus. Qua pertinet ad Germaniam, ex utraque parte hoſtilibus incurſionibus patet: terras maxime hereditarias Imperatoris, quæ ſunt in Sileſia poſitæ; & item aliquem Hungariæ angulum, attingit. Quanquam autem Germanicum Imperium multo majoribus, quam Polonia, opibus ac viribus pollet, rationes tamen utriusque Regni haud ferunt, ut aliqua cauſſa exiſtat, quæ utramque inter ſe gentem temere committat collidatque: niſi ſi quando Polonus una cum reliquis obſiſtat, ne vel Imperator, vel ex

Prin-

Principibus aliquis ſummum Germaniæ imperium invadat. Id ubi uſu venerit, Polono non minus ipſi Germani, quam reliqui Principes, quorum, ne ſub unius ditionem res Germanica veniat, intereſt, ſatis magna haud dubie manu præſto forent. Auſtriaco autem ipſi per ſeſe vires ad Poloniam vi ſubigendam, & ad terram tam vaſtam, planam, frequentem, &, quod caput eſt, caſtellis locisque munitis non admodum firmatam, tutandam deſunt. Et, ut alia omnia auxilia deſint, Turca tamen haudquaquam committet, ut armis ibi multum Auſtriacus proficiat; nec vero ab ea parte quisquam commodius reprimere Auſtriaci impetum aut retardare poteſt. Ceterum, ut voluntaria electione ſibi Regnum deferretur, Auſtriacus equidem ſæpius optavit; Polonos tamen prudentiores, ut id facerent, adducere nunquam potuit, veritos, ne quod ab ea re periculum libertati crearetur. Accedit, quod fere a Germanorum indole ac moribus ea gens abhorret, modeſtiam inprimis ac parſimoniam eorum aſpernans. Intereſt autem maxime Polonorum, ne reliquam Hungariæ Superioris partem Turca ditionis ſuæ faciat, nedum in Moraviam imperium extendat: expeditum enim inde & compendiarium iter in interiora Regni Polonici foret. Et ex diverſo maxime quoque cum Auſtriaci, tum univerſæ Germaniæ intereſt, ne Poloniam Turca in ſuam redigat poteſtatem, ingens quippe aditus per eam pateret in Germaniam. Vetus enim Philippi Melanchthonis effatum, *Si Turca in Germaniam veniet, veniet per Poloniam*, nequaquam ab inſpirata quadam vaticinatione proficiſcitur, ſed Geographica ratione, ceu fundamento, nititur. Ceterum, e re Polonica juxta & Germanica eſſe videtur, ſtabilem ab utraque gente ac mutuam ami-

citiam coli, propterea quod fines mutuo tueri magnam partem uterque populus poteſt: adde, quod Polonus ingens e Germania commodum e boum ac ſalis venditione capit. Quod ſi ſuſcepto adverſus Auſtriam bello Polonus longius progreſſus fuerit, periculum eſt, ne a tergo eum Moſcus invadat: ni alius, qui ejus impetum repellat, hoſtis objiciatur. Rurſus Auſtriaco incommodare Polonus poteſt, ſi quando ille vel Gallico, vel Suecico, vel Turcico diſtineatur bello. Itaque jam pridem Auſtriacus connubiorum neceſſitudine ac vinculo in perpetuum ſibi devincire Polonum, & ſimul aliquam in Senatu factionem ſuis rationibus addictam habere ſtuduit. Eandem quoque viam inſiſtere Gallus haudquaquam neglexit, ut ab Auſtriaci partibus Polonum abduceret. Nec ea Principis utriuſque æmulatio, dum pari uterque ſtudio Poloni benevolentiam & amicitiam captat, inutilis rei Polonicæ fuit. Brandeburgici quoque fines maxima parte pertinent ad Poloniam. Is ſuis ſubnixus viribus, ſi bellum adverſus Polonum ſuſcipiat, haud magnum operæ pretium fecerit: uſu tamen compertum eſt, eum aliis junctum Poloniæ vehementer incommodare poſſe. Quanquam e diverſo metuendum eſt, ne oblata occaſione Polonum aliquando totius Boruſſiæ potiundæ cupido inceſſat: æque ac Brandeburgicus, temporis opportunitate uſus, ſummam ſibi ac infinitam in Boruſſia poteſtatem vindicavit. Dum tenuit inter Suecum & Polonum certamen ac contentio, Danus Suecum in ſe avertendo, utilem Polono operam navare potuit. Ceterum, ea controverſia penitus ſopita jam & compoſita, cauſſæ nihil eſt, cur Danum Polonus magnopere reſpiciat. Suecum Polonumque ad pacem & amicitiam mutuo colendam ea potiſ-

tiſſimum cauſſa debet impellere, quod ſubvenire ſibi invicem & mutuam navare operam adverſus Moſcum poſſunt. Finium, quos magna ex parte cum Moſco Polonus communes habet, regundorum diſceptatio magnam contentionum materiem præbet: ceteroquin utrumque Regnum viribus fere par eſſe videtur, niſi quod Polonus per ſe virtute bellica præſtat. Ruſſo forma Reip. (ſummam enim & infinitam poteſtatem habet) multa magnaque præ Polono commoda affert. Magnum quoque ad vires utriusque Regni æſtimandas ponderandasque momentum facit Smolenski urbis poſſeſſio. Ad eam igitur recuperandam Polonus omnem intendere curam & cogitationem debet. De cetero mutuam ſibi opem ferre adverſus Turcam Princeps uterque commodiſſime poteſt; itaque in omnes ejus bello paceque actiones intentos eos eſſe oportet. Tartarorum vicinitas magna Polonis incommoda affert. Vaga enim & rapto vivere aſſueta hominum colluvies, poſtquam incurſionem ex improviſo fecit, magnam hominum aliarumve rerum prædam agens, præcipite ſe fuga recipere conſuevit, itaque quum veloci curſu vagi paſſim & infeſti prædones oberrent, nec in tanta egeſtate, quod eripiatur, habeant, illatas clades rependere nequidquam inſtituas, etiamſi e latebris ſuis protrahere immanem belluam velis. Quare fit, ut barbara & profligatiſſima multitudo, niſi ipſo facinore deprehenſa pœnas capite luat, impune fere cædibus, rapinis, & omni injuriarum genere in obvios quosvis graſſetur. Polonos equidem a Tartarorum incurſionibus tueri adhuc Princeps Moldaviæ poterat: quippe qui eos tranſitu, qui per Moldaviam recta in fines Polonorum eſt, prohibere nullo negotio valet. Quapropter indigne ac dolenter Poloni in

præ-

præſentia ferunt, quod quum antea Princeps iſte Beneficiarium ſeſe Regni Polonici profeſſus eſſet, (quanquam Turcæ quoque ſtipendiarius fuerat) in fidem ac poteſtatem Turcarum ſeſe penitus permiſit anno cIↃIↃCXII. ut jam ad ipſorum nutum unice circumagatur. Utilem quoque ac fidelem operam adverſus Tartaros Polono navarunt Coſacci, quippe qui in Iſthmo Tauricæ Cherſoneſi poſiti, viasque inſidentes, Tartaros, quum domum redeunt, excipere in itinere & opprimere poſſunt. Verum Poloni Coſaccos male & inclementer habitos penitus a ſe alienarunt, effeceruntque, ut ex iis non minus detrimenti, quam olim commodi ceperat, res Polonica in præſentia caperet. Ac niſi Coſaccos ſibi Polonus quovis modo reconciliet, verendum eſt, ne illi ſeſe vel Moſco vel Turcæ dedant, aut ab hoc penitus deleantur. Quod ſi fiat, inſanabilis ab ea parte plaga rei Polonicæ imponeretur, quæ finitimas Ucraniæ regiones ea contagione infectas evertere & peſſum dare funditus poſſit. Turca denique in tanta propinquitate finibus Polonorum vehementer imminet, tantoque majus ab eo periculum impendet, quanto viribus eſt ſuperior: præſertim, quum Polonus & Coſaccorum præſidio nudatus, nec externis fultus auxiliis fuerit. Nam, ut ut Turcico Polonicus equitatus par ſit, tamen quomodo peditatus cum Gianizaris, prætoria Turcarum cohorte, paria facere poſſit, non video. Quanquam Polonorum ſocordia potiſſimum & turbis inteſtinis factum eſt, ut ſuperiori bello Turca Poloniam infeſtis copiis ingreſſus, tam longe in ea imperium propagaret. Potiſſima equidem otii a Turcis & tranquillitatis ſpes in Principum Moldaviæ, Vallachiæ, & Tranſylvaniæ amicitia cum Polono juncta repoſita eſt, ut qui tranſitu

arcere

arcere Turcam queant. Ceterum, quum eam ſpem ac commoditatem amiſerint, ſeu ſua ipſorum culpa neglexerint; inprimis cavere debent, ne barbarus, acerrimus Chriſtiani nominis hoſtis, longius aut latius arma victricia circumferat. Verum enimvero ne qua belli occaſio hoſti immaniſſimo detur, illud inprimis curæ eſſe Polono debet, ut quantum in ipſo eſt, tempore pacis, a Turcarum finibus Coſaccorum incurſiones prædationesque prohibeat. Neque enim alioquin vitio verti Turcæ poteſt, quod infeſtos prædatores in latebris ſuis oppreſſos delere, & vaſtam Ucraniæ ſolitudinem afferre omni ope nitatur. Quod ſi vero bellum Polonum inter & Turcam orietur, a Pontifice aliqua Polono ſubſidii pecuniarii ſpes affulget. Auſtriacus quoque hoſte ex parte in ſe averſo, Polonum belli mole levare nonnihil, ſi velit, poteſt. Ceterum, Auſtriacus, dummodo non ipſe armis laceſſitus fuerit, Turcam adhuc quidem facile miſſum fecit, & a bello ultro inferendo ſemper abſtinuit. Utilem quoque operam navare Polono Moſcus poſſet, dummodo ſpes eſſet fore, ut utraque gens, amicitia ſtabili ac firma juncta, perpetua animorum conſpiratione coaleſcat. Quæ quum ita ſint, id ſcilicet reliquum eſt, ut Polonus non alia ſpe, ſed ſuis ſubnixus viribus, ex earum ratione ac magnitudine rei adverſus Turcas bene aut male gerendæ conjecturam capiat, & pro re nata de belli ſumma decernat.

CA-

CAPUT XI.

DE MOSCOVIA.

Vetuſtiſſima Ruſſiæ deſcriptio.

DE origine hujus Imperii ac rebus geſtis primorum Principum, certi fere nihil, quod memoriæ prodi poſſet, conſtat. Nam quæ apud rudem & litterarum expertem gentem exſtant hiſtoriarum monumenta, jejuna ſunt, & rebus temporibusque vehementer confuſa. Illud utique conſtat; vaſtiſſimum Imperium in complures olim & parvos Principatus diviſum fuiſſe; donec in tantum deinde corpus coaleſceret. Nos rerum geſtarum ſummam breviter attingemus. Anno ıↄccccLxxxıx. Ruſſi Chriſtiana ſuſceperunt ſacra, quum Annam Baſilii Porphyrogeniti, Græcorum Imperatoris, ſororem, Volodomirus Princeps matrimonio ſibi junxiſſet. Anno cıↄccxxxvıı. Ruſſiam Battus, Tartarorum Rex, Georgio Ruſſorum Principe, acie victo ac cæſo, in ſuam ditionem redegit: ex eo tempore Principes Ruſſici a Tartarorum nutu dependerunt, nec, niſi ingenti temporis ſpatio interjecto, Tartarorum jugum excuſſere, Duce Joanne, Baſilii cæci filio, qui Imperii gubernacula ſuſceperat anno cıↄccccL.

Joannes.

Hoc demum Principe, magnis auctibus res Ruſſica crevit, & ad juſti Regni magnitudinem amplitudinemque provecta eſt. Is enim Regulos ſeu Principes, qui Ruſſiam inter ſe partiti erant, maxima ex parte in ordinem coegit, maxime Duces Tiveriæ & magnæ Novogardiæ: in ea urbe tanta auri argentique vi potitus eſſe memoratur, ut ad prædam exportandam trecenta adhiberet vehicula.

la. Is Ivanogrodam, arcem haud procul Narva ſitam, condidit.

§. 2. Joanni ſucceſſit Baſilius filius. Is Pleſkoviam, liberam ea tempeſtate civitatem, anno CIↃIↃIX. ſubegit. Smolenſkum urbem Polonis ademit. Ceterum, ingentem calamitatem accepit a Tartaris Caſanenſibus: qui Moſcuam urbem quoque diripuere. Succeſſorem habuit Joannem Baſilidem, anno CIↃIↃXXXIII. tyrannum immanem ac crudelem. Is Caſanum & Aſtracanum, quæ Regna Tartaricæ ditionis erant, ſubegit, & cum Ruſſiæ Imperio conjunxit. In Livonos barbarum ac fœdum in modum ſæviit; Furſtenbergio, Magno Ordinis Teutonici Magiſtro, obtruncato. Quamobrem Revalia & Eſthia Sueco, reliquæ Livoniæ partes Polono ſeſe dediderunt. Initio quidem Baſilidi ſecunda adverſus Polonum fortuna fuit, compluresque de eo victorias retulit. Poſtea vero Plotſcoviam aliaque loca de Ruſſo Stephanus Batorius recepit. Moritur Baſilides anno CIↃIↃLXXXIV. Excepit eum filius, nomine Theodorus, ſeu Fœdor Ivanovitzius, iners admodum Princeps, cum quo Sueci de poſſeſſione Ingriæ armis decertarunt.

Baſilius.

Joannes Baſilowitz.

Fœdor Ivanowitz.

§. 3. Mortuo ſine prole Fœdore, Principatum malis artibus occupavit Boriſſus Gudenovius, illius affinis; ſed ſucceſſu non admodum læto, maxime, quum de imperio contendere cum eo pſeudo-Demetrius cœpiſſet. Per eos tumultus Boriſſus repentina morte exſtinctus eſt anno CIↃIↃCV. Ejus filius, Theodorus, ſeu Fœdor Boriſſovitius, Magnus quidem Dux creatus eſt: ceterum, deficientibus poſtmodum Ruſſis ad pſeudo-Demetrium, captus ſtrangulatur, quum per ſemeſtre modo ſpatium inani Magni Ducis titulo ac nomine inſignis fuiſſet. Qualem exitum pſeudo-Demetrius

Boris Gudenow.

metrius habuerit; & quomodo imperio potitus ſit Baſilius Zuskius, anno CIƆIƆCVI. ſupra commemoravimus. Zuskius oblatum a Carolo IX. Suecorum Rege auxilium adverſus ſecundum pſeudo-Demetrium quum initio recuſaſſet, poſtea, creſcentibus indies viribus Demetrii, ſummo imploravit ſtudio, Kexholmiam etiam, navatæ operæ mercedem, Carolo pollicitus. Is igitur aliquot hominum millia auxilio miſit, Duce Ponto de la Gardie. Ii quum utilem initio operam Ruſſo navaſſent, loca promiſſa, poſtquam tradere ea Moſcus variis confictis cauſſis recuſabat, vi ceperunt. Per eam occaſionem Carelia quoque & reliquæ Ingriæ partes in Suecorum ditionem conceſſerunt. Quomodo in Polonorum manus Baſilius Zuskius venerit, & pſeudo-Demetrio cæſo, Princeps Poloniæ, Uladislaus nomine, Magnus Moſcoviæ Dux appellatus fuerit; ſupra demonſtravimus.

Baſilius Zuski.

Michael Fœdorowitz.

§. 4. Ad ultimum, Imperium Ruſſicum ſibi vindicavit Michael Fœdorovitzius anno CIƆIƆCXIII: quem ex Joannis Baſilidis filia Theodorus Mikitovizius, Patriarcha, genuerat. Is, confecta cum Sueco & Polono pace, rem Ruſſicam inteſtinis prolapſam turbis reſtituit compoſuitque. Succeſſit ei Alexius Michaelovitzius, filius, anno CIƆIƆCXLV: Is bello Polonos petens anno CIƆIƆCLIII. Smolenskum eis & Kioviam ademit; Lituaniam quoque fœdum in modum evaſtavit. Livoniam inde copiis infeſtis ingreſſus anno CIƆIƆCLXI. Dorptium, Kokenhuſum, aliaque minora oppida cepit. Rigæ tamen obſidionem ſolvere, magna accepta clade, coactus eſt. Ceterum, pace deinde ſancita, omnia quæ ceperat loca Sueco reſtituit. Anno CIƆIƆCLXIX. homo quidam ſeditioſus ac rebellis, Stephanus Ratzinus nomine, multum ei ne-

Alexius Michaelowitz.

negotii faceſſivit; Caſanum quippe & Aſtracanum in ſuam poteſtatem redegit, & Moſcoviæ agros paſſim depopulatus, multas Ruſſo clades intulit; donec ad extremum captus, dignas tantis facinoribus pœnas dedit. Quo facto, ad obſequium & auctoritatem Ruſſi omnes, quas Ratzinus ſubegerat, regiones ſunt revocatæ. Bellum inde cum Turca exortum eſt, propterea quod e Coſaccis multi in fidem Magni Ducis conceſſerant. Eo bello Ruſſus fortuna non admodum ſecunda eſt uſus. Moriens anno cIↃIↃCLXXV. imperium filio, Fœdori Alexovitzio, infirma & ætate & valetudine Principi, per manus tradidit. Is quibus rebus nomen nobilitaturus ſit, tempus, rerum omnium magiſter, docebit. **Fœdor Alexowitz.**

§. 5. De moribus ac ingenio gentis Ruſſicæ commemorare nihil fere habemus, quod cum magna ipſius gloria conjunctum ſit. Neque enim Ruſſi ita ſunt exculti & politi, quemadmodum pleræque nationes Europeæ. Litterarum autem uſque adeo rudes ſunt, ut in efformandis ac legendis elementis ſtudiorum ſummam reponant. Quin immo ipſi Sacerdotes adeo inficeti ſunt & omnis eruditionis expertes, ut præterquam legere unum alterumve Sacrarum Litterarum caput, aut Scholion Evangeliorum, nihil calleant. Suſpicaces quoque ac diffidentes ſunt, crudeles, & ſanguinis ſitientiſſimi mortales. Rebus ſecundis inſolenter ſeſe ac intolerabili faſtu efferunt; adverſis abjecto ſunt animo & fracto. Iidem tamen magnifice de ſe ipſis ſentiunt, nec ullo ſatis magno cultu expleri inſana ambitio poteſt. Ad quæſtum ac fœnus callide faciendum non alia gens magis idonea. Servilia ingenia ſerviliter tractari & imperii ſeveritate contineri in officio gaudent. Quemadmodum omnes fere ludi in pugnas ac verbe- **Nationis indoles.**

ra deſinunt, ita fuſtium & flagellorum magnus apud eos & frequens eſt uſus. Ruſſi vaſto ſunt ac robuſto corpore, & omnis generis incommoda & labores, frigus & inediam facile patiuntur. Ceterum, ad manus juſto prælio conſerendas, aut urbes obſidendas parum habiles ſunt milites: nam ordines facile turbantur, propterea quod majorem in hoc militiæ genere ſcientiam rei militaris hoſtes tenere credunt. Verum, ubi in præſidio ſunt locorum munitorum, acriter ſeſe defendunt, & oppugnantium impetum, donec ad ultimum neceſſitatis ventum ſit, ſuſtinent. Sunt enim non ſolum laborum atque ærumnarum patientiſſimi, verum etiam tam miſera utuntur conditione, ut, ubi deditionem fecerint, ultimum ſupplicium (a Magno quippe Duce gula laqueo frangitur,) effugere nullo modo poſſint. Rem tamen militarem indies magis magisque excolere ſtudent, adhibitis ad id ducibus ac præfectis, Germanis genere & Scotis, qui milites uſitatas in reliqua Europa artes belli & exercitationes edoceant. Ruſſis autem ipſis apud peregrinos ſtipendia facere, & ſub eorum ſignis rei militaris uſum ſibi comparare, non licet: metus enim illico Magnum Ducem inceſſit, ne populares rei militaris cognitione, apud exteros parta, ſubnixi, res novas moliantur.

Terræ qualitas.

§. 6. Quæ in ditione Magni Ducis eſt terra, longe lateque patet, quanquam magna terræ vaſtiſſimæ pars ſylvis denſiſſimis, locisque incultis ac deſertis horret. Incolæ in tanta agri bonitate, frumento, pecude, farina, piſcibus, ſale, pellibus, ac reliquis rebus, quæ ad uſum vitæ humanæ pertinent, ſatis abundant. Magnam quoque mercium copiam ſuppeditare exteris habent, maxime pelles, (inter quas eminent Zebellinæ, longe

longe pretioſiſſimæ, incredibili ſtudio a finitimis expetitæ) piſces ſalitos, Cafiaram, (ſperma ceti aliorumque piſcium marinorum eſt, inter cupedias menſæ apponi ſolitum) tergora varii generis, maxime coria rubri coloris, ſevum, ceram, mel, cineres, ſmegma, cannabin, & ſimilia. Importantur autem merces hæ: ſericum, veſtes auro vel argento intertextæ, panni lanei, tapetes, margaritæ, gemmæ, aromata, vinum; ſed hoc parcius &c. Nicotianam herbam ſive Tabacum importari hoc tempore prohibitum eſt. Ceterum, merces mercibus permutare, nec præſenti emere pecunia, in commerciis Ruſſi conſueverunt; nec enim exportari pecuniam e Ruſſia licet. Potiſſimum commercium conſtitutum habent in urbe Archangeli, quam navigationem Angli primi detexerunt anno CIↃIↃLIII. atque etiamnunc una cum illis eo vela faciunt Batavi & Hamburgenſes. Antea quippe ad Narvam ac Revaliam ſuum curſum direxere; quod iter ſicuti compendiarium erat exteris, ita ad Suecorum Danorumque vexationes vehementer expoſitum fuit. Volga denique fluvius magnam exercendi cum Perſis Armeniisque commercii per Regnum Aſtracanenſe facultatem præbet.

§. 7. Quod ad Reipubl. formam attinet, conſtat, Magnum Ducem (cum lingua vernacula *Czaar* Ruſſi appellant) infinitum obtinere imperium, & pro arbitratu ſuo ac libidine omnia agere ac moderari, eique populos ſubjectos ſine more ac modo parere, ut non civium, ſed mancipiorum in numero habendi eſſe videantur. Nec enim gens ſervituti nata mitius ferre aut capere imperium poteſt. Cæcum ac ſervile Ruſſorum obſequium vires vehementer firmat & auget. Eæ per ſe magnæ ſunt, quum propter copiarum multitu-

Forma regiminis.

Ingentes regni vires.

titudinem, (poteſt namque exercitum ad centum militum millia conficere)tum propter immenſa,quæ percipit quotannis, vectigalia, & quas dudum partas tenet divitias. Reditus annui non ſolum e ſtipendiis & vectigalibus terræ vaſtiſſimæ, verum etiam ex uberrimo & quæſtuoſiſſimo pellium Zebellinarum commercio (ejus enim ſolus Magnus Dux poteſtatem habet,) conſtant, & ni fallor, idem ex cauponis & diverſoriis quæſtum ſolus facit, ingenti ſane & uberrimo compendio, eſt enim gens iſta gulæ & luxuriæ longe deditiſſima. Principibus peregrinis eorumque Legatis pelles Zebellinas pro munere mittit: ipſe aurum & argentum remunerationis nomine recipit. Ad ultimum, Imperialibus nova eaque minori figura ſignatis, alterum tantum imponere pretium, & ad eam æſtimationem accipiendam compellere ſubjectos nullo negotio poteſt. Itaque fieri non poteſt, quin Magnus Dux immenſis affluat divitiis. Hac denique commoditate ceteris regionibus Moſcovia præſtat, quod a tergo hoſtilibus incurſionibus haud patet: nam eas regiones, quæ ad Caurum, Septentrionem & Aquilonem vergunt, mare vaſtum ac impenetrabile circumfluit, aut deſerta in immenſum ſpatium porrecta cingunt.

Ruſſis adjacentes vicini. §. 8. Supereſt, ut de finitimis Moſcoviæ populis, pro inſtituti ratione, breviter agamus. Qua ſpectat Orientem, ad Perſiæ fines Ruſſia pertinet. Utraque gens ſibi invicem haud magnas inferre clades poteſt, quod intermiſſo mari Caſpio, & impeditis itineribus, adhæc vaſtis interjectis ſolitudinibus, haud facilis ultro citroque aditus eſt: nec ullum operæ pretium facturæ videntur, ſi ab ea parte fines imperii proferre niterentur. Ceterum, conflato cum Turcis bello, utilem ſibi invi-

invicem operam navare queunt. Tartarorum vicinitas multa Moſco incommoda affert: perfida enim gens pactorum ac fœderum fidem haudquaquam ſervat; in furta & latrocinia unice intenta, nec, niſi infeſtos prædatores in ipſo facinore oppreſſos occidas, ulla injuriæ perſequendæ poteſtas datur: quod tamen factu haud facile eſt, propter inſtabilem vagæ multitudinis ſedem, & fugæ effuſæ velocitatem. Inter ipſos Tartaros, ii, qui Crimenſes dicuntur, plurimas maximasque Ruſſis calamitates inferunt: ad eos igitur compeſcendos repellendosque, validum equitatum in ſtationibus habere coguntur, qui finibus præſidio ſit: adhæc Coſaccis Dunenſibus Tartarisque Calmucenſibus & Nagajenſibus a tergo immiſſis, averti a finibus Ruſſorum facile poſſunt. Quod ſi Kioviam & aliquam Ucraniæ partem Ruſſi tenerent, firmiſſimum eis propugnaculum, & ad infeſtos prædones retundendos, & Turcarum impetum repellendum, conſtitutum foret. Neque enim Turcarum fines Ruſſi attingunt, niſi qua pertinent ad Tartaros Crimenſes, qui Turcarum Beneficiarii ſunt, &, ut ita loquar, canes venatici. Maxime tamen intereſt Ruſſi, ne Turca tota potiatur Ucrania: ea enim ſubjugata, Coſaccorum ac Tartarorum Crimenſium opera miſere vexare Ruſſos & magnis afficere cladibus poſſet. Polonicæ gentis inprimis rationem habere Ruſſos oportet: ea quippe propter ſitus opportunitatem graviſſima Moſcis incommoda afferre poteſt: præſertim quum in acie Polonicus miles Moſcum virtute bellica longe antecedat. Quanquam & hic opes ſuas adverſus Polonum hoſtem peregregie firmavit, poſteaquam, Smolensko, Severia, & Kiovia ſubactis, fines adverſus hoſtiles incurſiones munivit. Ab ea parte, qua Sueciam Moſcovia ſpectat, haud

SAMUELIS PUFENDORFII

DE

MONARCHIA PONTIFICIS ROMANI

LIBER SINGULARIS.

DE

MONARCHIA PONTIFICIS ROMANI.

DE Pontifice Romano diſputari bifariam poteſt: vel enim ea Religionis capita, quæ a reliquorum Chriſtianorum dogmate abhorrent, in diſquiſitionem veniunt: quatenus ea videlicet aut congruunt cum Sacris Litteris, aut pugnant: item, quatenus ea ad æternam ſalutem comparandam, aut utilia ſunt, aut noxia: vel de civili ejus poteſtate differitur; quatenus ſcilicet non ſolum magnam Italiæ partem imperio complectitur, verum etiam totius Orbis Chriſtiani Principatum, ſaltem in rebus Divinis, ſibi arrogat, & re ipſa ejusmodi poteſtatem in eos Europæ Reges, Principes ac Reſpublicas, quæ ipſius ſectam ſequuntur, uſurpat. Quorum alterum, ut eſt ab inſtituto noſtro alienum, ita Theologis diſceptandum relinquimus. Alterum vero eſt ejuſmodi, ut illud a perito rerum civilium negligi nequaquam debeat. Summam enim Principum poteſtatem haud parum immutari ab ejusmodi imperio Eccleſiaſtico & circumſcribi, immo mutilari, conſtat. Atque tam arcto cum civilibus rationibus nexu copulata Religio eſt, ut ad conſummati Politici cognitionem magnopere pertineat, ſcire, quibus orta initiis Monarchia Eccleſiaſtica in tantam magnitudinem excreverit, quibusve ſubnixa rationibus ad hunc uſque diem **Papatus politice conſideratur.**

conſervata fuerit. Ea re ſimul apparebit controverſiarum, quæ hoc tempore inter Chriſtianos agitantur in Occidente, ratio, & quatenus ea ſeu ex diverſa Sacrarum Litterarum interpretatione, ſeu rerum humanarum reſpectu promanent, in propatulo erit. Quibus rebus penitus perſpectis, vir prudens & emunctæ naris, ecqua controverſiæ componendæ ſpes reliqua ſit, ſuſpicari facile poteſt.

Cæcitas Gentilis ſeu Ethnica. §. 2. Ceterum, ut rem ab ultimo repetamus initio, ante natum Chriſtum, præter Judæos, omnes totius Orbis nationes denſiſſimis ſuperſtitionum tenebris involutas, & in ſumma rerum divinarum ignorantia verſatas eſſe conſtat. Nam quæ de Diis vulgo tradebantur, ea maxima ex parte ad fabulas aniles referri, & in turpiſſimis fere commentis numerari poterant. Quanquam inter eruditos, quive ſupra vulgus ſapere ſibi videbantur, haud deerant, qui paullo ſaniorem de rebus divinis & ſtatu animi opinionem haberent, & in hoc genere minus, quam ceteri mortales, ineptirent: ita tamen confuſa erat ipſorum diſputatio & imperfecta, ita ambigua, nec conſtante ratione ſubnixa, fluctuabat ut ne ipſis quidem ad extremum ratio ſuæ ſententiæ conſtaret. Virtuti operam eſſe dandam plerique omnes viderunt quidem & perſpexerunt: ceterum, vim ejus ac poteſtatem ignorarunt; omnes quippe virtutis fructus commodis vitæ civilis & gloria honoribusque metiebantur. Nam quæ de præmiis pœnisque pro ſuo cuique merito poſt obitum divinitus conſtitutis Poëtæ memoriæ prodiderunt, ea, qui prudentiſſimi videri volebant, pro fabulis commentitiis, & terrendæ plebi ac refrænandæ confictis habebant. Reliqua multitudo omni fere rerum cœleſtium cogitatione ſoluta in diem vivebat. Nec

vero

vero apud Ethnicos ulla Religionis diſciplina & inſtitutio fuit, nec quæ de rebus divinis ſcire nos oportet, certis comprehenſa capitibus erant. Cultus divinus quoque maxima ex parte conſtabat e ſacrificiis, cærimoniis, & ſtatis diebus feſtis: qui tamen ludis, ſpectaculis, omnique luxuriæ genere potius, quam rerum divinarum contemplatione, tranſigebantur. Perſpicuum igitur eſt, ab ejusmodi Gentilium Religione nec vitæ morumque ſanctimoniam vivis, nec ſpem ullam aut ſolatium morientibus afferri potuiſſe.

§. 3. Solis Judæis ea tempeſtate Deus veræ Religionis myſteria, quæ ad animæ ſalutem viam munirent, patefecerat. Inter Judaicam tamen & Chriſtianam Religionem magnum interjectum intervallum erat. Illa quippe Liberatorem generis humani, tanquam omnis ſalutis fontem, ſpe, promiſſis, ac typo quodam adumbrabat; hæc oraculorum fidem jam impletam præ ſe fert, Meſſiamque jam adventaſſe docet. Illa multis gravibusque cærimoniis onerata & quaſi veſtita fuit; e quibus multæ ad Rempublicam & indolem ejus gentis accommodatæ fuerant, ut ſacra Judaica propter diverſitatem inſtitutorum ægre ſuſcipi ab omnibus nationibus poſſent. Hiſce ritibus inſtitutisque intervallum ingens inter Judaicam gentem & reliquas nationes interjectum fuit, ut his haud facilis ad illam aditus pateret. Quanquam nec iis uſque adeo omnis ad æternam ſalutem aditus intercluſus erat, ut non, repoſita in venturo Meſſiâ fiducia, adipiſci eam poſſent. Inter Judæos quoque nonnulli traducere Gentiles ab idololatria ad verum Divini Numinis cultum ſatis contendebant; maxime eos, quibuscum ipſis uſus aliquis aut commercium intercedebat. Verum enim vero nondum placuerat divinæ Sapientiæ

Judaicæ Religionis qualitas & ſtatus.

tiæ, certos legatos ſeu Apoſtolos, peculiaribus inſtructos dotibus, in omnes mundi partes mittere, qui cunctos populos ad ſuſcipiendam Religionem Judaicam invitarent. Nam quod ſinguli, pro ſe quisque, aggregare Paganos ad verum Divini Numinis cultum nitebantur, id ad ſummam, comparatione totius univerſitatis, haud multum profecit. Porro Judæi a prærogativa judicii Divini elati, quum tanquam adoptivus Dei populus & reliquas Gentes dignitate antecederent, & eorum propria unici Templi Divini poſſeſſio eſſet, reliquas nationes ad unum omnes tum temporis præ ſe contemſerunt. Atque ita quarundam cærimoniarum ratio ferebat, ut a familiari reliquarum Gentium uſu abſtinere quibusdam in rebus cogerentur. Itaque acerrimum reliquarum nationum in Judæos odium, & horum in illas mutuum, ex ea re, ut fit, exortum, impedimento fuit, quo minus longe lateque ſemina Religionis Judaicæ propagarentur. Nec Templi Hieroſolymitani, publici ac ſolennis cultus cauſſa, adeundi neceſſitatem concoquere ulla gens poterat, indignum eſſe rata, non ejusdem ſanctitatis templum exſtrui a ſemet ipſa in ſuis finibus poſſe. Denique qui ſacris Judaicis exteri initiati fuerant, non eodem, quo indigenæ, dignitatis loco aut gradu cenſebantur; ut pauci exiſterent, qui propter Judaicam Religionem contemtum illum, cui obnoxii eſſe peregrini ſolent, ſubire vellent.

Religio Chriſtiana omnibus ſubſervit.

§. 4. Sed Chriſtiana Religio non ſolum in multo clariore luce poſita eſt, multisque præ Judaica commoditatibus gaudet, quæ Theologis relinquimus: verum etiam ab iis eſt rebus immunis, quæ Judaicum cultum peculiarem omnino & a reliquarum Gentium inſtitutis penitus ſejunctum reddiderunt: eaque habet omnia, quæ ad Religionem

nem univerſalem pertinent. Ac proinde ſuſcipi eam ab omnibus mortalibus oportet. Quod quidem ad genium & indolem Religionis Chriſtianæ perſcrutandam & penitus cognoſcendam, inprimis obſervatu dignum eſt. In ea quippe haudquaquam peculiarem ſibi locum Deus, ad facienda ſacra, delegit, nec alium alio ſanctiorem eſſe aut auguſtiorem voluit, ne qua Gens queri de longinquitate Templi jure merito poſſet. Ubique puræ ad Deum manus tolli, ubique ſacra fieri ac preces fundi poſſunt, nec jam ulli templo tantum ineſſe dignitatis voluit, ut ibi potius, quam alibi ſupplicum preces admiſſurum ſe promiſerit. Pari omnes Chriſtiani loco, quod ad Religionem attinet, habentur, nec cauſſæ quidquam eſt, cur illa Gens majores ſibi ſpiritus ſumat, ſeque efferat, aliiſque præponat. *Heic non eſt Judæus neque Græcus, non eſt ſervus neque liber. Omnes enimvero unus eſtis in Chriſto Jeſu.* Nulli generi aut familiæ Deus prærogativam voluntatis ſuæ ejusmodi dedit, ut ejus proprium ac perpetuum miniſterium divini cultus eſſet, contra quam apud Judæos cautum divinitus erat: jamque promiſcue omnes, dummodo Religionis Chriſtianæ myſteria probe edocti, & ceteris, quæ ad rem pertinent, artibus ac virtutibus ornati fuerint, ad procurationem rei divinæ adhibentur. Nec in Religione Chriſtiana quidquam obſtat, quo minus mutuam inter ſe omnes homines amicitiam colant, & juris naturalis officia ſibi invicem præſtent. Quod ſi genuinam ejus naturam ac indolem conſideres, eam ab omni rerum caducarum & fluxarum reſpectu remotam penitus, & commodorum hujus vitæ cura ſolutam eſſe conſtat: nec in ſe quidquam continet, quod ſocietates civiles earumque leges, quæ cum jure naturæ congruunt, aut mutet

Gal. III. vſ. 28.

mutet aut perturbet, aut ullo denique incommodo afficiat: quin potius (etſi is proprie finis ei propoſitus haud eſt) majoribus eam præſidiis firmat, arctioribusque vinculis conſtringit. Nihil quoque continet, quod cum eo, quem ſibi ſocietas civilis propoſitum habet, ſcopo pugnet, aut prohibeat, quo minus aut ſub tutela Magiſtratuum vitam honeſtam, tranquillam & ſecuram agere, aut omnia ac ſingula ſummæ poteſtatis munia ex præſcripto legis naturæ atque rectæ rationis, & ex uſu Reipubl. obire & peragere, aut cuncta Reip. quæ ad præſcriptum legis naturæ conformata ſit, adminiſtrandæ munera gerere, curationesque rerum civilium agere ſalva Religione Chriſtiana poſſimus. Quin immo magnum ad ea conſequenda momentum habet Chriſtianorum diſciplina: ut quæ cum omnia juris naturæ præcepta, tum ea, quæ pœnis ac ſuppliciis ſanciri in legibus civilibus minus commode potuere, tradit & ſummopere inculcat: ac denique ſuum quemque munus, dummodo ne cum lege naturæ aut honeſtate pugnet, cum cura & fide gerere & adminiſtrare jubet. Atque hac in parte nulla toto terrarum Orbe ſeu Philoſophiæ, ſeu Religionis ſecta, æquiparare Chriſtianam Religionem poteſt: id quod ex accurata ſingularum comparatione facile apparet. Quæ quum ita ſint, non ſolum unumquemque mortalium, quum animæ ſuæ rationem reddere DEO debeat, Chriſtiana ſacra ſuſcipere, verum eos etiam, qui gubernacula rerum humanarum tenent, introducere ea in Remp. aut introducta tueri, ob eaſdem, quas ſupra commemoravi, cauſſas oportet: idque officii & muneris Magiſtratibus nominatim mandati ratio poſtulabat. Quod ſi ii, quos dixi, fructus Religionis haud ſatis luculenter ſeſe exſerunt, nec a Paganorum

&

& Turcarum moribus vita complurium Chriſtianorum diſcrepat, hominum id, non Religionis eſt vitium; ſunt quippe, qui pro innata ſibi malitiâ, quum ore profitentur doctrinam, factis refellant, nec magnopere laborent, ut, pravis cupiditatibus ex animo funditus evulſis & ejectis, doctrinæ ſalubritatem integritate vitæ ac morum ſanctimonia comprobent.

§. 5. Ceterum, quemadmodum hæc nemo ſanæ mentis in dubium vocaverit; ita inſignis hic oritur quæſtio: Num Religio Chriſtiana ita ſit comparata, ut Eccleſiæ regimen penes alium, quam qui Principatum & imperium cujusque Reip. tenet, eſſe debeat, nec ne? Aut, quod eodem redit, utrum Chriſtianæ Religionis regimen exterius obtinere omnes Sacerdotes, an unum ex illis, in quem nihil omnino juris Magiſtratus civilis haberet, neceſſe ſit, nec ne? Aut, utrum oporteat unum eſſe, qui Chriſtianæ Religioni ſummo cum imperio præeſſet, & e cujus nutu reliquæ Chriſtiani Orbis Reipublicæ & Principes, quod ad Religionem attinet, pendeant, nec ne? Eam quæſtionem nonnulli huc recidere putant; Utrum unamquamque Remp. ſuo ipſius ac peculiari imperio regi pro inſtitutorum cujusque & boni publici ratione fas ſit, an reliquas Orbis Chriſtiani Reſpublicas uni ſe ſubjicere, & quaſi in ſervitutem addicere, ejusque commodis inſervire, cum ſuo ipſarum incommodo aut exitio, neceſſe ſit? Exterius autem Religionis Chriſtianæ regimen accipimus pro ejusmodi poteſtate, cujus vis potiſſimum poſita eſt in mandando certis hominibus miniſterio divini cultus, in regendis iisdem ſummo cum imperio, in diſpenſandis bonis cultui divino conſecratis, in ferendis legibus, quæ ad exteriorem Religionis incolumitatem utiles eſſe

Exterior Chriſtianæ Religionis directio.

eſſe videantur, in earundem vi & auctoritate pro imperio tuenda, cognoſcendisque & diſceptandis controverſiis, quæ variis ex cauſſis exiſtere inter Clericos poſſunt, & quæ his ſimilia ſunt. Diſtinguimus autem externum Eccleſiæ regimen, ab ejusdem miniſterio, quod in explicandis Religionis Chriſtianæ myſteriis & diſpenſandis Sacramentis conſiſtit: earum autem rerum procuratio Sacerdotibus ſine controverſia debetur. Intelligi vero ea quæſtio debet, *de Eccleſia jam plantata & conſtituta, non de adhuc conſtituenda & plantanda.* Etenim quum Chriſtianorum dogmata a revelatione divina ceu fonte promanarint; nihil loci humanæ poteſtati ad ſuſcipiendum Religionis regimen relinquitur, antequam ab iis, quibus ea divinitus data poteſtas eſt, prolata in medium & tradita fuerint. Diſcipulos quippe ſuos Servator noſter poſt reſurrectionem tanquam legatos & Apoſtolos in omnes mundi partes ablegavit, ut ſemina Chriſtianæ Religionis ſpargerent, & ſaluberrimam doctrinam mortalibus promulgatam ubique gentium inveherent: eam vero annuntiandi ſacra myſteria facultatem eis non Magiſtratus aliquis, ſed Deus ipſe dedit: itaque adverſus eos, tanquam Dei legatos, non minorem præ ſe ferre reverentiam Reges, quam imperita multitudo, quæque illi ex ore divino hauſta annuntiaverint, obedienter audire & ſuſcipere debebant. Abſurdum præterea, & putidum foret, eas res regendas & gubernandas ſuſcipere, quarum cognitione necdum imbutus ipſe fueris? Hinc ſequitur, ut ea quæſtio non niſi de imperantibus orthodoxæ Religioni addictis intelligi debeat; non de iis, qui vel Chriſtianorum dogma omnino contemnunt & repudiant, vel ſectam pravis opinionibus & erroribus, quod ad præcipua Religionis Chriſtianæ

ſtianæ capita attinet, infectam ſequuntur. Iis enim gubernacula regendarum Eccleſiarum permittere, perinde ſtultum & ineptum foret, ac ſi lupo ovem commiſeris.

§. 6. Hujus quæſtionis triplex inſtitui tractatio poteſt. Ac primum quidem quæritur: Utrum ea regiminis Eccleſiaſtici neceſſitas cum indole & natura cujuscunque Religionis conjuncta ſit, nec ne? Secundo loco, An ea ex genio Chriſtianæ Religionis proficiſcatur? Tertio, An denique de cœlo miſſa divino quodam inſtituto aut decreto nitatur, nec ne? Neceſſitatem eam ex propria cujusque Religionis indole promanare, haudquaquam nobis veriſimile videtur: ratio certe nulla eſt, quæ id evincat. Neque enim intelligi aut concipi mente humana poteſt, quid cauſſæ ſit, cur divelli imperium ac diſtrahi ob divinum cultum, & ex uno duo fieri regimina, quorum par eſſet vis ac poteſtas, atque invehi in Remp. neceſſario, debeant: quum ejusmodi ſummæ poteſtatis diſtractio, vel cumulatio potius, non aliud, quam perpetuam ſuſpicionum, æmulationis, diſſenſionum ac motuum materiam in Rep. præbeat. Rurſus, nequaquam inter ſe pugnat, Deum colere, & exterius divini cultus regimen ei committere, penes quem ſumma Reip. eſt: modo illud ponamus, nihil ab imperantibus obtrudi ſuis popularibus, quod a veritate Chriſtianæ diſciplinæ & cultus divini caſtitate abhorreat. In naturali equidem ſtatu conſtitutus homo ſicuti colere Deum neceſſario debet, ita quæ Deo maxime probari crediderit, cultus divini miniſteria, & officia fingere quisque pro lubitu & inſtituere poteſt. Utprimum vero in ſocietates genus humanum coaluit, iis hæc conceſſa poteſtas eſt, quibus regimen totius ſocietatis erat demandatum. Vetuſtiſſimi quippe patresfami-

Quæſtio ex cujuscunque Religionis genio deciſa.

lias nullius imperio Reip. ſubjecti, quum ejusmodi poteſtatem in ſuas quisque familias inveхiſſent, eam tanquam hereditatem eximiam in filium natu maximum transmittere conſueverunt, ſiquidem poſt obitum parentis, vitæ rerumque omnium inter ſe communionem eſſe fratribus, coliibitum fuerit. Rebuspublicis deinde conſtitutis, in Principes earum & capita non minus rerum ſacrarum quam civilium translata poteſtas eſt; idque ob eam maxime nec ſane levem cauſſam, quod ſi quæ ad divinum pertinent cultum, uniuscujusque permiſſa arbitrio fuiſſent; fieri haud potuiſſet, quin in tanta novandi licentia, & cultus exterioris varietate, ingens rerum omnium confuſio, contemtus, odia, diſſenſiones, motusque periculoſiſſimi in Rep. exſtiterint. Tametſi enim miniſterium divini cultus apud Judæos, adoptivum Dei populum, certæ cuidam familiæ, tanquam hereditarium, aſſignatum fuerit & attributum; regimen tamen in Sacerdotes & jurisdictionem divinitus ſibi imperantes, in ea gente, reſervarunt: eodem quoque inſtituto pleræque nationes utebantur.

Ex Chriſtianæ Religionis proprietate.

§. 7. Nec quid præcipui hac in parte Chriſtiana Religio habeat, video: quanquam enim quædam cultus divini capita, quæ captum mentis humanæ ſuperant, nec niſi divina revelatione patefacta, ſciri aut cognoſci poſſunt, continet: non tamen ea re efficitur, ut regimen Eccleſiæ penes alium, quam qui Reip. tenet imperium, eſſe debeat: modo, ut ſupra demonſtravi, illud ponamus ſemper ac teneamus, ſummos imperantes exteriori iſto regimine ad ejusmodi in Eccleſiam inſtituta invehenda abuti nequaquam velle, quæ vel pugnent cum Sacris Litteris, vel prohibeant, quo minus munere ſibi divinitus mandato fungi Sacer-

Sacerdotes ex præſcripto ſacrorum voluminum poſſint. Nec quid obſtet video, quo minus imperantes idoneas & neceſſarias ad ſummam in re ſacra auctoritatem obtinendam artes comparare ſibi queant. Illud certe conſequi poſſunt, ut ejus regiminis munia per ejusmodi obeant viros, qui ſingularem in iis artibus addiſcendis operam poſuerunt: perinde ut alias ſummæ poteſtatis partes ſub imperantium auſpiciis exercere miniſtri conſueverunt. Magiſtratibus legum ferendarum facultatem eripere nemo in animum inducit; quum tamen in præſtanti aliquo Doctore & Profeſſore Juris major legum peritia, quam quanta Regi ſatis eſſe poſſit, ineſſe debeat. Imperantes enim quum omnibus in rebus, tum in hoc genere eorum uti conſilio operaque & poſſunt & debent, qui, quid in quaque re facto opus ſit, non minus doctrina litterarum, quam diuturnitate uſus, didicerunt. Tantum autem abeſt, ut ex eo regimine male adminiſtrato ad Regem probum ac prudentem ullum redundare commodum poſſit, ut potius præter officii & conſcientiæ fructum, ingentem ei utilitatem proba ac fidelis ejus muneris curatio afferat. Etenim quo magis animum curamque ad Chriſtianam Religionem tutandam intenderit, eo meliores & dicto magis audientes habebit populares, majoremque divini auxilii concipere fiduciam poterit. Nec cauſſæ quidquam video, cur ad rerum ſacrarum curationem rite peragendam Deus non æque Regi Chriſtiano & orthodoxo, ac alii, auxilio & adjumento eſſe poſſit. Ad ultimum, quum legibus inſtitutisque civilibus & ſummæ imperantium poteſtati, quæ jure naturali nititur, ne in aliis quidem rebus quidquam Religio Chriſtiana deroget aut detrahat, ineptum foret, id in hac tantummodo parte factum eſſe, af-

 ſir-

firmare, niſi divinum aliquod mandatum afferas, quod eam rem verbis luculentiſſimis arguat, aut nominatim probet. Utrum autem Sacris Litteris ejusmodi contineatur Decretum, quo ſumma in rebus Eccleſiaſticis auctoritas imperantibus citra exceptionem abjudicata, alii ex reliquo cœtu hominum, ſumma & infinita, nec alterius imperio ſubjecta poteſtate, deferatur, nec ne, illi viderint qui eas partes defendendas ſuſceperunt. Nobis curæ erit, inveſtigare & exponere, quibus initiis, quibusve incrementis & gradibus ejusmodi Imperium Eccleſiaſticum in Eccleſia Occidentali ſit ortum atque firmatum.

Chriſtianæ Religionis exordium.

§. 8. Primum igitur omnium conſtat, ſublato in cœlum Chriſto, Liberatore generis humani, quum Chriſtianæ Religionis ſemina Apoſtoli, quibus eam facultatem ipſe Chriſtus, dum in terris eſſet, dederat, longe lateque cœpiſſent ſpargere, brevi temporis ſpatio magnum quum Judæorum, tum aliarum Gentium ad eos factum eſſe concurſum, qui ſe ad Chriſti fidem aggregarent, & eorum doctrina inprimis vulgus capiebatur, quod quum denſiſſimis tenebris ignorantiæ involutum, ad id usque tempus vitam plenam ærumnarum & calamitatis degeret, eo lætius & cupidius eam diſciplinam eſt amplexum, quo auguſtius divinæ veritatis lumen, quove majus adverſus proprias hujus vitæ miſerias ſolatium ei ineſſe re ipſa deprehendit. Apoſtolorum quoque, quum & ipſi nulla ſeu amplitudinis ſpecie, ſeu generis dignitate conſpicui eſſent, animi ad illud hominum genus maxime ſunt verſi, ad quos, utpote pares, facillimus eis & expeditiſſimus patebat aditus. Rurſus ex viris, genere, dignitate, eruditione, rerumque civilium cognitione illuſtribus, perpauci initio extiterunt, qui vel nomen ei Religioni dare in animum

mum inducerent, vel ejus dogmata ſtudioſe perquirere operæ pretium eſſe ducerent. Quod ſi cauſſas inveſtigare fas eſt, ob quas Divinæ ſapientiæ placuerit, talem propagandæ Religionis Chriſtianæ viam inſiſtere, admodum mihi probabile videtur, noluiſſe Deum eam vel auctoritate Magiſtratuum, aut poteſtate civili, vel opera eruditorum hominum ſanciri & ſtabiliri, ne videlicet, aut a Politicorum officina, aut a Philoſophorum Lyceo, tanquam novum aliquod commentum, profecta eſſe videretur: quin potius, ut tenuiſſima initia cum ſummis incrementis comparando aliquid majus viribus humanis & auguſtius ſubeſſe quivis intelligeret. Et quoniam Philoſophorum, quive in numero eruditorum habebantur, in perveſtigandis rebus divinis ſtudium inane fere, nec ingenii, quam præ ſe ferebant, ſagacitate, nec diſputandi ſubtilitate, quam ſequebantur, ſatis dignum erat, nec Socrates ipſe, aliique, poſtquam vulgarem ſuperſtitionem agnoverunt, damnaruntque, aut veterem abolere cultum, aut novum caſtioremque introducere & ſtabilire poterant: vanam ac futilem mortalium ſapientiam hoc pacto Deus confutare voluit, & oſtendere, quam ei facile eſſet, per infimæ ſortis homines, piſcatores, rudes & expertes litterarum, tantum opus perficere. Ad hæc Apoſtolorum, exordium ſuæ doctrinæ ab Jeſu cruci ſuffixo capientium, inſtitutum perabſurdum prudentioribus & rerum humanarum gnaris videbatur; quum perſuadere eis conarentur, ut eum pro Dei Opt. Max. Filio eodemque Servatore ſuo haberent, qui ex inviſa omnibus natione ortus vitam in his terris obſcuram, nec ulla amplitudine aut magnificentia, nec illuſtribus & heroicis facinoribus conſpicuam, tranſegiſſet, nec multorum annorum do-

ctrina concionibusque nominis ſui famam toto Orbe celebraſſet; ſed adhuc juvenis admodum infami morte affectus fuiſſet. Quam ob cauſſam Jeſuitæ, annuntiaturi Sinenſibus ſagaciſſimæ genti Evangelium, initium facere nequaquam a Chriſto crucifixo ſolent: ſed poſtquam eos diſputatione ex naturali Religione hauſta ſuſpenſos aliquamdiu tenuerunt, per multas demum ambages & anfractus ad ipſa capita Chriſtianæ Religionis veniunt. Qui, utrum hac ratione plus, quam qua Apoſtoli ſunt uſi, profecturi ſint nec ne, ego quidem in medio relinquo. Nec alienum fuerit dicere, placuiſſe Deo, vel ideo plebejos citius & infimæ ſortis homines, quam illuſtri dignitate viros, ex tenebris ſuperſtitionum eruere; quod horum potiſſimum culpa factum eſt, ut illi & denſiſſima caligine involverentur, & in ea perſeverarent: prudentiores quippe, quum fraudes & vanitatem Paganicæ ſuperſtitionis ſatis perſpexiſſent, meliorem tamen & caſtiorem cultum inveſtigare nequaquam contendebant. Multitudine primo a fœdiſſimo idolorum cultu abducta, Deus fundamenta quaſi ſubruit evertitque, ut reliqua deinde moles ſua ſponte procideret. Vulgi enim amentia & credulitate Paganiſmus omnis ceu fundamento nitebatur.

Primitivæ Eccleſiæ perſecutiones. §. 9. Religionis Chriſtianæ ſemina, eo, quo dixi, modo ſparſa primo inter vulgus & propagata, ingens tempeſtas conſecuta eſt. Romani quippe Imperatores (in eorum enim finibus res Chriſtiana initium juxta & incrementum potiſſimum cepit) diriſſimis eam vexationibus perſequi & opprimere cœperunt. Cauſſa tam horrendæ ſævitiæ potiſſima fuit, quod, quibus niteretur fundamentis nova Religio, quibusve contineretur capitibus, & ad quem denique finem referretur, Imperatores

res ignorabant: & quod Chriſtianorum numerus, qui veterem Paganorum ſuperſtitionem ad unum omnes abominabantur, indies augebatur. Nam ut ipſi Chriſtianorum dogmata exquirerent & perſcrutarentur, in animum inducere haud potuere: neque id ſatis ex dignitate Imperatoria eſſe putabant. Ad hæc, inter primos Chriſtianos perpauci exſtiterunt, qui verborum blandimentis polire ſuam doctrinam & ad guſtum Principum virorum ſpecioſo orationis cultu exornare poſſent. Ea re factum eſt, ut facile fides haberetur mendaciis & calumniis, quæ ab obtrectatoribus Chriſtiani nominis vulgo diſſeminabantur, in occultis & nocturnis congregationibus non niſi aut probra ac flagitia ab iis patrari, ut eorum ſacra congruere vetuſtis cum Orgiis Bacchi viderentur; aut conjurationes in Rempubl. fieri. Complures quoque, quum ab omni rerum novarum ſtudio ſua ſponte abhorrerent, ſatius eſſe putabant, priſca retineri ſacra, quorum auſpiciis Reſp. Romana per tot ſecula ſalva & incolumis ſtetiſſet. Plebi autem concedi minime gentium oportere, ut aut immutare quidquam in Rep. aut plus ſibi, quam Magiſtratibus, tribuere in animum inducat. Nec parum eis ſuſpectos reddidit Chriſtianos, quod hi aliqua regiminis forma cultum divinum deſcripſerant inter ſeſe: eam factionem eſſe & conſpirationem criminabantur malevoli, idque eos agere, ut in veteri Rep. novam condant, imperiumque diſtrahant, & ad poſtremum penitus invadant. Denique, quum quantum ad Chriſtianorum numerum indies accederet, tantum de frequentia obeuntium fana Paganorum decederet; res autem Romana indies magis magisque debilitaretur, & graviſſimis ſubinde cladibus affligeretur: compluribus in mentem venit ſuſpicari, cauſſam tanto-

rum malorum eſſe contemtum Deorum, quorum numine ac favore ad tantum faſtigium perducta Reſp. Romana eſſet. Itaque impetum facere in Chriſtianos, tanquam Atheos & Religionum omnium everſores,. inſtituerunt. Quumque voluntati Imperatorum, Deos coli & adorari jubentium, parere Chriſtiani abnuerent, & exquiſitiſſimos cruciatus ac ſupplicia, quibus ob eam cauſſam afficiebantur, læto animo & imperterrito perferrent: Imperatores, admirabilem conſtantiam pertinaciam eſſe, & inveteratam hominum perditiſſimorum improbitatem judicantes, eo crudelius in eos ſævierunt, quod non aliam ſuæ in tenuiſſimos homines auctoritatis ſtabiliendæ rationem noverant. Sed qualescunque demum rationes ad vexationum, quibus in miſeros Chriſtianos Imperatores debacchati ſunt, atrocitatem excuſandam quispiam attulerit, illud nequaquam efficiet, ut ne ejusmodi exagitationes pro injuſto tyrannicæ dominationis inſtituto, & fœdiſſimo ſummæ poteſtatis abuſu habeantur. Juſſu quippe Divini Numinis eam Religionem ſuſceperant populares, cui intercedere imperantes nec poterant, nec debebant; præſertim quum imperantes non minus, quam parentes, ejus cultus ſuſcipiendi neceſſitate Deus adſtrinxiſſet, ut, ſi ſecus fecerint, graviſſimum illi peccatum admitterent. Nec quidquam excuſationis ignorantia habet; quum eos inquirere in Religionem iſtam, ut rem novam, cum cura & diligentia oporteret: nequaquam autem innoxios homines, indicta cauſſa & cæco impetu, ad ſupplicium rapere, ideo, quod iis Magiſtratuum edictis, quibus haudquaquam alligabantur, obtemperare recuſaſſent. Neque enim ante dictionem cauſſæ, & criminis, cujus arguitur, cognitionem, capitis damnari quisquam poteſt.

§. 10.

§. 10. Porro, quum cultum Chriſtianum initio ſummi imperantes omnino negligerent, nec ullam ejus curam agerent, fiebat, ut ſine eorum auctoritate & opera Chriſtiani aliquam cultus Divini formulam ipſi inter ſeſe ſancire, & exterius Eccleſiæ regimen ſtabilire juxta & pro virili tutari cogerentur. Id quod in omnibus ſocietatibus, quæ imprudentibus Magiſtratibus aut invitis in Rep. primum coaleſcunt, evenire ſolet, ut ejus partes in medium conſulere, & quæ ſocietatis ſuæ ſtabiliendæ ac regendæ ratio iniri debeat, circumſpicere ipſæ neceſſe habeant, certis, qui præſint, hominibus ad eam rem delectis, & inſtitutis ad conſervandam ſocietatem neceſſariis ſancitis. Nam ſi veræ Politices, quæ jure naturæ, ceu fundamento, nititur, habenda ratio eſt, deſcriptionem divini cultus & exterius Eccleſiæ regimen penes eos, qui rerum in Rep. potiuntur, eſſe debere conſtat. Verum quum ii fungi munere ſuo hac in parte nollent, primi Chriſtiani ipſi certos conſtituere homines, qui ſacris præeſſent, & ex ſtipe, ab hominibus beneficis ac benignis in commune collata, ſtipendia iis perſolvere cogebantur. Quod ſi qua falſa opinio & error aliquis exſtiterit, aut controverſia majoris momenti, quam ut dijudicari ab uno cœtu poſſet, rem cum finitimis Eccleſiis communicabant, aut conventum finitimorum Presbyterorum indicebant, qui totam cauſſam cognoſcerent & dijudicarent. Quanquam autem in Rep. ſodalitates easque frequentes & numeroſas conſtituere privatis non licet, tamen non eſt, quod cœtus primorum Chriſtianorum ac Synodos pro Collegiis & Conventiculis illicitis habeamus. Nihil enim ſpectabant præter patefactæ divinitus & nominatim imperatæ Religionis cultum; cui Divino præcepto inſtitutum humanum inter-

Primæva Eccleſiæ conſtitutio.

intercedere nullo modo poterat. Nec, quod nulla ſempiternæ ſuæ ſalutis ratione habita Magiſtratus officio ſuo ſatisfacere neglexerant, ideo ſequebatur, ut etiam reliqui, quibus æternæ veritatis lumen illuxit, ſuam negligere ſalutem deberent: nec enim tam late patebat imperantium poteſtas, nec patere debet. Et quemadmodum unicuique, ſi quando ei Magiſtratus præſto eſſe aut nequeant, aut nolint, ſuis ſe armis ac viribus defendere a vi & injuria fas eſt; ita ſi in æterna animæ meæ ſalute tutanda Magiſtratus officio ſuo deſunt, jus eſt mihi, eo majorem ejus privatim curam agendi, quo potior & antiquior animæ quam corporis cura mihi eſſe debet, quove minor eſt in caſtitate Divini cultus, quam in defenſione violenta alterius lædendi facultas, neque enim ſubjiciendo ſe civili poteſtati quiſpiam mortalium ſimul animi pariter & corporis cura ſe abdicavit. De cetero dubium non eſt, quin Imperatores ac Reges, ſi ab iis initium facere propagandæ Religionis Chriſtianæ DEO collibitum foret, Apoſtolorum doctrinam & prædicationem Evangelii ſuis adjuvare & confirmare edictis, templa & fana evertere, ſuperſtitioſum Deorum cultum abolere penitus & interdicere, & de conſilio Apoſtolorum externum Eccleſiæ regimen conſtituere & tueri deinceps inſtitiſſent. Atque idem ſervatum eſſe inſtitutum quibusdam in locis, ubi Chriſtianorum ſacra primi ſuſceperant in Rep. imperantes, compertum habemus.

Enatæ exinde opiniones.

§. 11. Ceterum, quum per incuriam Magiſtratuum operam dare primi Chriſtiani ipſi cogerentur, ut aliqua deſcriptione Eccleſiæ moderatio contineretur, nonnullos ea res, eosque haud leves, errores peperit. Nam ex eo aſſeverare quidam non dubitarunt, populi ſeu cœtus, quatenus ſum-

ſummis imperantibus opponitur, proprium ac perpetuum Miniſtros Eccleſiæ creandi jus jam inde a principio fuiſſe. Equidem Sacerdotem obtrudere invitæ Eccleſiæ haud temere oportet, præſertim ſi legitimas ejus repudiandi cauſſas habeat: nec enim is permovere animos auditorum & ſanctitatis amore inflammare poteſt. Ex eo tamen nequaquam ſequitur, ut concionis proprium ac perpetuum illud jus eſſe dicatur, quod ad tempus, quum ſuum officium Magiſtratus prætermitterent, uſurpare fuit coacta. Ceteroquin enim cœtus iſte nihilo magis peculiare quoddam miniſtros rei ſacræ præficiendi jus habet, quam ei licitum eſt Magiſtratus & alia Reipublicæ adminiſtrandæ munia certis hominibus demandare. Nam quidquid paſſim juris cœtus Chriſtiani aliique hac in parte obtinent, iis, qui rerum potiuntur, (eos autem Chriſtianos eſſe ponimus, & orthodoxæ Religioni addictos) ſeu concedentibus, ſeu diſſimulantibus, obtinent. A nonnullis quoque ea concluſa ratio eſt, ut exiſtiment, Eccleſiaſtici regiminis & civilis poteſtatis non poſſe non eſſe partita & diviſa momenta: illudque aut ab univerſo Clero, aut ab uno, qui ex Clero deligeretur, adminiſtrari ſummo cum imperio oportere: adeoque in ſingulis Rebuspublicis Chriſtianis bina corpora, eaque ſeparata, nec ſibi invicem obnoxia eſſe debere, quorum alterum Eccleſia, alterum Civitas vocaretur: utriusque autem ſummum eſſe ac peculiare imperium oportere. Sed fugit eos ratio. Nam quæ propter ſummorum imperantium incuriam, dum ex tempore capiendum eſt conſilium, cogente neceſſitate, uſurpantur, illa, ubi ſuo munere Magiſtratus, pro eo ac debent, funguntur, evaneſcunt. Neque conſentaneum eſt, eandem poteſtatem, quam in Eccleſia conſtituenda

da Apoſtoli tenebant, etiamnum, Eccleſia conſtituta, Miniſtris, qui ſucceſſione tantum per manus tradita ſacris præſunt, deberi. Apoſtolici quippe muneris peculiaris fuit, & ab ordinaria ſacrorum procuratione ſeparata ac diſtincta ratio: perinde ac exterius Eccleſiæ regimen a curatione rei divinæ differt. Itaque ſicuti Miniſter Eccleſiæ rite conſtitutus haudquaquam dici Apoſtolus, ita nec Rex appellari Sacerdos poteſt. Quanquam autem originem Chriſtiana Religio ab immenſa Dei ſapientia trahens mentis humanæ captum excedit, nihil tamen obſtat, quo minus moderationem ejus & regimen imperantes ſuſcipiant, prudentibus & ſpectatæ dexteritatis hominibus ad eam rem adhibitis. Ex iis, quæ dicta ſunt, illud quoque liquet, primævæ Eccleſiæ inſtitutum, quod ad externam Eccleſiæ moderationem attinet, pro abſoluta & immutabili Eccleſiaſtici regiminis norma nequaquam eſſe habendum in ea Republica, cui Chriſtiani Magiſtratus & incorruptæ Religioni addicti præſunt: nam illa Eccleſiaſtici regiminis deſcriptio eo, qui tum erat, ſtatu rerum ceu fundamento nitebatur. Poſtea vero quam una cum Principibus & Magiſtratibus univerſus populus Chriſtiana ſuſcepit ſacra, alia plane ratio fuit; nec jam quidquam erat cauſſæ, cur bicipitem facere Reipublicæ ſtatum oporteret.

Conſtantini impotentia in reformando priſtino Eccleſiæ ſtatu.

§. 12. Quanquam autem Conſtantino Magno ad fidem Chriſtianam traducto, quum jam externum Eccleſiæ regimen in ſummos imperantes caderet, alia Eccleſiæ facies eſſe cœpit, fieri tamen nequit, ut ejusmodi deſcriptione Eccleſiæ moderatio contineretur, qualis, ſi initio ſtatim potientes rerum Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſent, inſtitui & potuiſſet & debuiſſet: multæque ſuperioris regiminis Eccleſiaſtici, quod ad tempus pro re nata conſtitutum fuerat, reliquiæ ac veſtigia ſupererant: quæ

quæ ingentes deinde errores pepererunt in Eccleſia Occidentali. Neque enim fieri ullo modo potuit, ut Imperatores, quum primis modo Chriſtianæ Religionis rudimentis imbuti, Novitii adhuc eſſe crederentur, tantam ſibi extemplo poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis vindicarent, ut Epiſcoporum & Cleri opes & auctoritatem, quum iis carere æquo animo nollent, infringerent, aut circumſcriberent. Quin immo ſatius erat, eos, quod populares plerique, Chriſti fidem ſecuti, ſuis ſe Sacerdotibus ac Clero adjunxerant, omnibus permulcere blandimentis, ſibique conciliare, quo imperium lubrico loco & infirmo poſitum in perpetuum ſibi firmarent. Adde, quod ex iis, quorum opera in Rebuspublicis & ampliſſimis aulæ muniis primi Chriſtiani Imperatores utebantur, multi adhuc Gentilium ſuperſtitione imbuti a cultu Chriſtianæ Religionis abhorrebant. Itaque agi de iis rebus, quæ ad externum regimen pertinebant, non ſatis commode poterat in ejusmodi Conciliis, quibus Gentiles intereſſent. Ea re factum, ut de recepta conſuetudine in evocandis & conſtituendis Epiſcopis aliiſque Clericis nihil aut parum immutaretur. Item, ut non ſolum ſi qua Chriſtianæ Religionis capita in controverſiam vocarentur, verum etiam rogatio legum, quæ ad incolumitatem rei Eccleſiaſticæ & decus conſervandum pertinent, & reliquæ Principum & Clericorum controverſiæ ad Concilia aut Conventus Eccleſiaſticos referrentur: in quibus prærogativam ſententiarum, jus ferendi ſuffragia, atque principatum ſibi ſoli Clerici vindicarunt. Ceterum, non jus tantum & poteſtas cogendi Concilia penes imperantes eſſe debet, & diu admodum penes eos fuit; verum etiam præeſſe iis ſaltem & rei ſummam moderari oportet, & principem locum obtine-

re,

re, qualiſcunque ea res ſit, de qua agitur: ſiquidem id, quod decernitur, vim legis aut ſententiæ judicialis habere debeat. Equidem nova fidei capita in Religione ſanciendi, & Sacras Litteras pro lubitu cujusque varie interpretandi poteſtas dari non magis civilibus Magiſtratibus, quam Clericis, ullo modo poteſt: verum tamen quum fidei ac vitæ Chriſtianæ præcepta Sacris contineantur Litteris, quæ omnibus ad unum hominibus divinitus promulgatæ, nec, velut Sibyllina quædam oracula, cuſtodiæ certorum Sacerdotum ſunt commiſſæ: quumque aliis non minus, quam Clericis, ea quæ ad ſenſum Sacrarum Litterarum percipiendum pertinent, comparare ſibi liceat: non alienum eſſe, aut abſurdum videtur, iis conventibus, quibus agitur de controverſiis ex varia Sacrarum Litterarum interpretatione ortis, ſummos imperantes præeſſe ſaltem & prærogativam habere. Quæ res, ut alia mittam, & ad præfervidos animi motus, quibus in iſto contentionis æſtu diſceptantes ſæpius abripiuntur, cohibendos, remque ipſam ſine ira aut cupiditate expendendam, & ad reprimendam contradicendi libidinem, qua longius progreſſi nonnulli exulcerare cauſſam conſueverunt, & ad calumniam & callidam nimis ac malitioſam verborum interpretationem coercendam, & ad anathematum, quibus innoxii ſæpe percutiuntur, intempeſtivam licentiam refrænandam, magnum habitura momentum videtur. Id jus quum a primis Chriſtianorum Imperatoribus aut neglectum omnino eſſet, aut exerceri commode nequiret, in quibusdam Conciliis magna ſæpe rerum confuſio & perturbatio exſtitit, evenitque, ut Pontifices deinceps, viribus ſubnixi, reliquorum in Occidente Epiſcoporum & Conciliorum auctoritate juxta contemta, id ſibi ſumerent,

rent, ut controverſias rerum divinarum dijudicarent, canones ſeu leges Eccleſiaſticas, quas ſuis rationibus utiles eſſe exiſtimaverint, invitæ Eccleſiæ obtruderent, ſummum imperium ad ſe raperent, & ſe pariter atque Clerum omnem de poteſtate Magiſtratuum civilium eximerent. Etenim ubi in eam primum opinionem eſt ventum, ut, nulla civilis Magiſtratus ratione habita, hæc omnia ad Cleri munus unice pertinere crederentur, factum eſt, ut ea Pontifex deinceps, quum ſupra Clerum atque adeo univerſam Eccleſiam caput extuliſſet, ſibi vindicaret.

§. 13. Præterea antiquitus in more poſitum apud Eccleſiam Chriſtianam fuit, ut, quum litigare Chriſtiani & cauſſas agere apud Paganos judices, admonitu Pauli Apoſtoli territi, nollent, controverſias qualescunque Epiſcoporum arbitrio & judicio permitterent, ne videlicet offendiculi materiam, aut conviciandi criminandique anſam Paganis præberent; quum eos de rebus fluxis & fragilibus, quarum præ ſe ferre contemtum eos oportebat, contendere inter ſeſe haud admodum deceret. Ea res ſicuti pro ratione eorum temporum magnam & laudem & utilitatem habebat: ita poſtquam Magiſtratus jus dicere pro tribunali cœperant, quum ſuperius inſtitutum non ſolum non aboleretur, verum etiam auctoritate Chriſtianorum Imperatorum confirmaretur, ordinariam ſibi jurisdictionem (*Audientiam* vulgo vocant) Epiſcopi vindicabant, magno cum detrimento non ſolum reliquorum judiciorum, verum etiam muneris Epiſcopalis, a cujus functione & rebus, quæ ad eam proprie pertinent, agendis, jure dicundo, abſtrahebantur. Moris quoque antiquitus apud Chriſtianos fuit, ut ſi quem in contrahendo matrimonio ſcrupulum religionemque propinquitas inje-

Epiſcopalis audientia.

Matrimonii.

injeciſſet, rem ad Presbyteros referrent, eorumque ſententiam exquirerent: item, orta inter conjuges diſſenſione, Presbyteris conciliatoribus in gratiam redirent: ii quippe mature admodum & jam inde a primis ſeculis in conſecrandis nuptiis precibus præibant. Ex his non malis principiis ingens deinde labes & licentia Pontificum eſt orta: ex eo enim omnes, *quæ ad matrimonium*, *quæve ad ſtatum hominum*, *divortia*, *nullitates matrimoniorum*, *ſucceſſiones hereditatis*, & ſimiles majoris momenti cauſſas pertinent, controverſias ad ſuum forum & tribunal transtulerunt, &, ut fraudulentum conſilium ſpecioſo titulo veſtirent, matrimonium ipſum in Sacramenti formulam redegerunt. Adhæc Chriſtiani, ut par erat, id operam dabant, ut Religioni ſuæ dignitatem aliquam apud Ethnicos integritate vitæ & morum ſanctitate conciliarent, præſertim quum multa eſſent delicta, in quæ nulla Paganorum legibus conſtituta pœna fuerat. Itaque inter rudimenta naſcentis Eccleſiæ, qui manifeſtis criminibus piorum animos offenderant Chriſtiani, certis & ab Eccleſia criminis expiandi cauſſa irrogatis pœnis coercebantur: graviſſimum ſupplicium, quodve non, niſi cum ad extrema ventum eſſet, ſumebatur, erat, ut vulgo vocant, *Excommunicatio*, qua piorum cœtu & ſacris ſontes prohibebantur. Præclarum inſtitutum, quodve magnum etiam civilibus Magiſtratibus fructum afferre poſſit, dummodo totius rei moderatio penes ipſos Magiſtratus ſit, caveaturque, ne ſacra cenſura Clerici libidine, cupiditatibus & proprii commodi reſpectu abrepti abutantur. Maxime ubi magnam ejusmodi cenſura & nota vim habere in foro & vita civili deprehenditur. Octavo equidem ſeculo ejus, cui Sacris interdictum erat, uſu & conſuetudine ad unum omnes

Excommunicationis.

omnes abſtinebant. Ejusmodi autem poteſtas, ſummo cum imperio conjuncta, tribui nemini in Republica, ſine ejus, qui illi præeſt, auctoritate & auſpiciis poteſt; niſi ſi quis dividere ſummam poteſtatem eamque diſtrahere malit. Ceterum, quam longe cenſuram Eccleſiaſticam Pontifices extenderint, & ad pravos uſus transtulerint, quum Imperatores, Reges, & integras Respublicas, quod ſe ad eorum nutum & voluntatem accommodare nollent, anathematis fulmine percellerent, & piorum cœtu ſacrisque ſolennibus prohiberent, populares eorum ſacramenti religione abſolverent, Regnum & Imperium ad alios transferrent, ipſos denique Principes iniquiſſimas conditiones accipere & conſentire in res cum maximo ipſorum damno conjunctas cogerent, ſatis ſuperque ex monumentis Hiſtoricorum conſtat. In Oriente autem pravus cenſuræ Eccleſiaſticæ uſus haudquaquam tam late patuit, quod ſuam majeſtatem Imperatores Conſtantinopolitani hactenus ſaltem tutati ſunt, ut ne inſultare in eos & dominari Clerici in animum inducerent: quumque Conſtantinopolitanus Epiſcopus reliquis, qui non ſub ejus diœceſi erant, aliquanto honoratior & umbra tantum dignitatis, loco & nomine, ſuperior eſſet, nec in eos quidquam præterea juris aut poteſtatis haberet, defuit ad principatum Eccleſiaſticum & in reliquos Epiſcopos dominatum invadendum occaſio.

§. 14. Ceterum, in Occidente poſtmodum longe alia Eccleſiæ facies eſſe cœpit. Peculiare quippe dominationis genus Epiſcopus Romanus machinatus eſt, quam tractu temporis ad tantum perduxit faſtigium, ut parem aut ſimilem poſt hominum memoriam non habuerit: aliis enim, atque reliquæ Respublicæ, fundamentis ſubnixa, *Papatus origo, & cauſſa promovens.*

aliis quoque adminiculis & diverſis fulcris ſuſtinetur. Originem ejus dominatus & rationem paullo altius repetere eo magis operæ pretium eſſe duximus, quo major ejus in res Europæas vis ſeſe a tot ſeculis inſinuavit, quove acrior in ea dominatione impugnanda & defendenda contentio utriusque partis eſſe deprehenditur. Cauſſas quoque memorare haud alienum fuerit, cur poſt tantam ſuperioris ſeculi calamitatem Pontificis Romani vires noſtra ætate recreatæ ſint, & in priſtinum fere locum reſtitutæ. Quibus cognitis, intelligere quis emunctæ naris facile poteſt, ecqua ſpes reconciliationis affulgeat iis, qui varias conciliandæ inter Proteſtantes & Pontificem pacis rationes in medium protulerunt. Ad dominatum igitur ejusmodi, cum incredibili ſummorum imperantium detrimento conjunctum, in Occidente procreandum & ſtabiliendum, magnum, licet e longinquo, momentum attulit ingraveſcens barbaries, & offuſa bonis artibus caligo, quæ ſub interitum Imperii Romani in Occidentem incubuerat. Scilicet adulterinæ merces, tegente vitium obſcuritate, dubia & incerta luce, emptorem facilius inveniunt: & quem denſa ignorantiæ caligo obcæcavit, ei perſuaderi, quantumvis inepta & abſurda, citius, quam homini bonis artibus & ſapientiæ præceptis exculto, poſſunt. Ejus barbariei, quæ, quum ſuperioris ſeculi ſatis polita fuiſſet & elegans doctrina, deterrimum ſcholaſticæ nugacitatis genus deinde peperit, non una memoratur cauſſa. Ac primum quidem exitio bonis artibus potiſſimum fuerunt gentes, bellicoſæ illæ quidem, ſed rudes litterarum & barbaræ, quæ ſe infeſto ſubinde agmine in Occidentales Romani Imperii provincias effuderunt: ex quo tempore res Romana magnis afflicta cladibus varias imperan-

Barbaries

ran-

rantium viciſſitudines habuit, belliſque cruentis & agrorum vaſtationibus miſerandum in modum vexata, in triſtiſſimo & longe miſerrimo ſtatu fuit. Nimirum Muſæ, pacis & publicæ felicitatis filiæ, inter armorum ſtrepitum & Reipublicæ procellas ſilent: nec in tanta rerum omnium perturbatione, quum litterarum ſtudia contemta & abjecta jacent, ullum ad libros evolvendos ſpatium conceditur. Ibi tum evertuntur ſcholæ, & ſibi quisque, qua cuique proximum eſt, fuga ſalutem quærit: ut Martis quam Minervæ caſtra ſequi per id tempus ſatius & conducibilius eſſe videatur. Ludimagiſtrorum inprimis miſeram conditionem belli calamitas reddit, qui tunc temporis claudere officinas bonarum artium, & faſces ſubmittere victori hoſti, præſertim ubi is aut contemnit litteras aut ignorat, coguntur. Sunt qui Clericos quoque infelicitatis eorum temporum culpam ſuſtinere quodammodo aſſeverent. Nam a Philoſophis, quum rerum potirentur Gentiles Imperatores, magnis affecti injuriis, quum eosdem etiam, Auguſtis ad Chriſtianam Religionem traductis, intenſiſſimos adhuc adverſarios haberent, tantum in Philoſophiam & ejus ſectatores odium non ſolum ipſi conceperunt, verum etiam animis auditorum inſtillarunt, ut ſi quando rei ſcholaſticæ arbitrium eis permittebatur, Scriptores Gentiles de manibus juventutis excuterent; periculum eſſe cauſſati, ne denuo ſuperſtitionibus Gentilium rudis ætas inficeretur: nec crimine vacare Chriſtianos, quorum manibus libri profanis Gentilium Deorum nominibus & Chriſtiano homini ne nominandis quidem referti tererentur. Inde fabula in vulgus prodita, Hieronymum, quod Ciceronem diligenter nimis legiſſet, ſecundum quietem virgis cædi a Diabolo ſibi viſum eſſe. Anno a Chriſto nato quadrin-

genteſimo Epiſcopis Concilium interdixit, ne Gentilium libros legerent aut evolverent. Fecit quoque iſtorum temporum infelicitas, ut præter eos, qui ad Theologiam animum, ut Sacerdotes fierent, applicuiſſent, nemini litterarum ſtudia prodeſſent. Itaque quum qualescunque ſtudiorum reliquiæ penes ſolos Clericos eſſent; accidit, ut in ſcholis jam ante labefactatis ad eum ſcopum omnia dirigerentur. Ipſi denique Studioſi cavebant ſedulo, ne magnos nimis in litteris progreſſus facerent. Ceterum, ad Pontificiam dominationem ſtabiliendam barbariem iſtam multum contuliſſe, vel ex eo licet intelligere, quod *Epiſtolæ*, ut vocant, *Decretales*, quæ primis tribuuntur Pontificibus, ſeculis eruditis, edi pro genuinis & authenticis nullo modo potuiſſent: iis tamen imperitis hominibus perſuaſum eſt, jam inde ab initio Chriſtianæ Religionis jus fuiſſe Epiſcopis Romanis, leges univerſo Orbi Chriſtiano ferendi. Poſtea vero quam a ſuperiorum temporum diritate Europa nonnihil reſpiravit; nec jam principes Europæ nationes ignorantiæ tenebras contra voluntatem ſibi offundi ulterius paterentur: nugatorium quoddam & ineptiſſimum diſciplinæ genus Pontifex in ſcholas, quarum ſibi arbitrium aſſumebat, invexit & ſtabilivit. Easdem nugas tricasque etiam nunc aſſeclæ, qui ſe mancipio & nexu Pontificis eſſe profitentur, magno conatu tradere juventuti & aſſerere contendunt. Ingens quoque ad Pontificiam dominationem ſtabiliendam momentum attuliſſe videtur veræ ac genuinæ Politices ignoratio, qua quum de origine, indole, ac perfecta ratione ſummæ poteſtatis & juribus imperantium agitur, tum illud inprimis traditur, ad Reipublicæ perfectionem pertinere, ut individua ſumma poteſtas ſit, neve diſtrahatur unquam

aut

aut mutiletur. Nam ipſi quoque Græci juxta & Romani Politici pernicioſa quædam de miſcenda & dividenda ſumma poteſtate dogmata prodebant, & popularium animos ita afficiebant, ut incredibili amore Ariſtocratiam juxta & Democratiam, odio autem inexpiabili Monarchicum Reipublicæ ſtatum proſequerentur; ſibique perſuaderent, eo meliore in ſtatu Rempublicam eſſe conſtitutam, quo arctioribus Regia poteſtas terminis circumſcripta foret. Praviſſimas opiniones impotens & crudelis Imperatorum dominatio vehementer confirmavit; magnæ popularium parti (etſi diſſimulabant odium) vehementer inviſa. Quæ quum ita ſint, mirum videri nemini debet, quod in tanta barbarie per univerſum Orbem diffuſa, quum juventutem Chriſtiani Clerici utcunque erudirent, præſtantiſſimam diſciplinam infuſcatam penitus & obſcuratam eſſe, ut quam ab eo, quod ſequebantur, vitæ genere alieniſſimam eſſe crediderint. Ea re factum eſt, ut quum prima Eccleſiaſtici dominatus fundamenta ponerentur, perpauci intelligerent, quanta malorum moles conſecutura eſſet, ubi cum magno civilis poteſtatis detrimento potentia, cui naſcenti obſiſti nullo negotio poterat, omnibus abſoluta numeris adoleviſſet. Atque etiam nunc in ſcholis, quarum moderationi Pontificii Sacerdotes ſoli præſunt, Politicam diſciplinam aut omnino neglectam jacere, aut ita perplexe & obſcure tradi videmus, ut non ſolum iniquitas & impotentia Pontificiæ dominationis tacita prætermittatur, verum firmiſſimis etiam conſepiatur munimentis.

§. 15. Ceterum, amplitudo urbis Romanæ (ut quæ caput Imperii Romani fuerit, & in cujus potiſſimum finibus Chriſtiana Religio ſparſa primum & late propagata eſt) fecit, ut in ea ſedes Pontificis ſedes cur Romæ fixa?

Pontificiæ dominationis collocaretur. Nam quæ de ſede Petri vulgo traduntur, quam inania ſint & futilia, vel ex eo liquet, quod poſtea ſede Imperii Conſtantinopolim tranſlata ejus urbis Epiſcopo ſecundus a Romano locus dabatur, non aliam ob cauſſam, quam quod ea urbs Nova Roma appellaretur. Labefactato deinde & penitus deleto Imperio Romano in Occidente, quum urbis Romanæ gloria vehementer eſſet obſcurata, de principatu contendere cum Romano Conſtantinopolitanus Epiſcopus inſtitit. Etenim Religione Chriſtiana omnibus a Paganis Imperatoribus periculis & vexationibus perfuncta, & in libertatem penitus vindicata, Hierarchiam ſuam Clerici per ſpeciem diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtituere in Republica cœperunt, & ob eam cauſſam Epiſcopos reliquis Sacerdotibus magno intervallo præponere inſtiterunt. Nec parem omnes Epiſcopi poteſtatem habuere; ſed prout quisque Metropolim cujusque Provinciæ incolebat, ita reliquis ejusdem Provinciæ Epiſcopis plerumque præficiebatur. Is Metropolitanus initio dictus, octavo deinde ſeculo, Archiepiſcopi nomen ſibi adſcivit. Inter Metropolitanos autem eminebant potiſſimum quatuor, Romanus, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, & Alexandrinus. Eæ enim principes Romani Imperii civitates erant. Acceſſit iis propter veterem ejus urbis ſanctitatis opinionem Hieroſolymitanus Epiſcopus. Quanquam autem Phocas Imperator, ira & indignatione commotus, quod cædem Mauritii approbare Patriarcha Conſtantinopolitanus nollet, Bonifacio tertio, Epiſcopo Romano, primas detulit, poſtpoſito ei Conſtantinopolitano, (exin Epiſcopi Oecumenici nomen ſibi aſſumſit Bonifacius) non tamen poteſtatem aut ullam jurisdictionem, (eam enim reliqui

liqui Patriarchæ conſtanter ipſi abnuerunt) ſed nominis tantum honorem & loci dignationem ceteris majorem Imperator attribuit. Et jam pridem Epiſcopi Africani Romano, edictis ſuis parere eos jubenti, &, ut fraudem aliquo titulo tegeret, *Canonem* corruptum & adulterinum ex Concilio Niceno afferenti, fortiter reſtiterunt. Nec ullo divino, ſed humano tantum inſtituto, ſancita ea res eſt: ob eandem enim cauſſam ſimul & Romanus Epiſcopus primum, & Antiochenus tertium locum obtinet. Igitur, quemadmodum Reſpublica Reipublicæ leges imponere nequit; ita nec commoda, quibus Epiſcopum Romanum ſeu Imperatores Romani, ſeu vetuſta Concilia (quæ nihil aliud erant, quam Clericorum Imperii Romani conventus) beneficii loco præ ceteris affecerunt, aliam obligare Rempublicam, aut latius patere, quam quibus vetus Imperium Romanum circumſcriptum terminis erat, poſſunt. Quod ſi autem ſequentibus temporibus ex Chriſtianis Rebuſpublicis nonnullæ jus aliquod & poteſtatem in ſuas Eccleſias Pontifici conceſſerint, aut permiſerint, aut non ignoraſſe eas, quo jure ac fundamento ea poteſtas niteretur, aut fraude Pontificis circumventas eſſe neceſſe eſt. Si certa ratione ductæ ac prudentes eam poteſtatem conceſſerint, fœdus haud dubie percuſſerunt cum Pontifice, ut ejus auſpiciis eo melius res Eccleſiaſtica regeretur. Ejusmodi fœdus autem ſicut initio profectum eſt a conſenſu Reipublicæ; ita ſi fraudi Reipublicæ & damno fuerit, aut ſi abuti ſua poteſtate Pontifex inſtiterit, reſcindi æque, ac alia ejus generis fœdera, poteſt: ſin vero iſtam ſervitutem Rebuſpublicis fraude aut errore deceptis Pontifex impoſuit, licet eis, fraude & errore detecto, injuſtam ejusmodi dominationem a cervicibus ſuis

depellere, & ſimul ut damnum illatum reſarciat talis impoſtor, ſuo jure poſtulare.

Ulterior ad Papatum impulſiva.

§. 16. Nequaquam autem in omnes, quæ ad Occidentem ſpectant, terras proferre imperium ſuum Pontifex, ſimul ac iſtud conſilium ceperat, potuit: verum temporis tractu variis artibus & uſurpationibus, quaſi per gradus, ad tantum faſtigium adſcendit. Ut primum enim ad eam dominationem Pontifices animum intenderant, quamquam repulſam ſæpius tulerant, tamen inſtare & urgere cœptum non prius deſtiterunt, quam quæ animo agitaverant, conſecuti, & voti ſui compotes eſſent facti. Scite quoque & callide tempori ſervientes, nullam opportunam ſuis rationibus occaſionem dimittebant. Nec eis, meo judicio, accidere quidquam opportunius potuit, quam quod ſedes Imperii Romani alio eſt translata; neque enim, ſi in urbe perpetuo manſiſſet, Imperator unquam commiſiſſet, ut ſuam majeſtatem aut amplitudinem Epiſcopus Romanus æquaret aut ſuperaret. Conſtantinopolitani quidem, etſi non minores forte, quam Romani, ſpiritus geſſerint, ad tantum tamen pervenire faſtigium nunquam potuere. Magnum quoque ad eam rem momentum attulit diviſum in varia eaque nova Regna Occidentis Imperium, quæ a barbaris gentibus & litterarum rudibus ſunt condita. Iis quum veritatis Chriſtianæ lumen præferre Eccleſia Romana potiſſimum inſtituiſſet, officii ſui eſſe putarunt barbari, ut ſingulari eam pietate colerent; ut cui peculiarem alioquin vetuſtas & dignitas, qua reliquas Occidentis Eccleſias antecedebat, venerationem conciliaret. Accurate ſingula perſequi non eſt inſtituti noſtri: paucis, quæ ad rem pertinere videntur, attingemus. Compertum igitur habemus, Romam proficiſci Epiſcopos Tranſalpinos,

pinos, ſepulchrorum Petri & Pauli, Apoſtolorum, viſendorum cauſſa, ſeculo quinto cœpiſſe: ſive Religionis ergo, ſeu quia ſuperſtitio tunc temporis obcæcatas hominum mentes occupaverat, ſive ut eſſet congruentis cum Eccleſia doctrinæ argumentum: voluntarium Religionis officium deinde, ut fit, in neceſſitatem paullatim verſum, ſi quis prætermiſerit, vehementer caſtigabatur a Clericis. Quod quidem inſtitutum Pontificibus haud dubie anſam dedit ad poſtulandum, ut Romam Epiſcopi proficiſcerentur ad munus confirmatum auctoritate Pontificis ineundum. Adhæc de rebus magni momenti conſulere Eccleſiam Romanam, tanquam vetuſtiorem novitii Epiſcopi, & Eccleſiæ, & genuinum canonum uſum pariter & ſenſum ex ea exquirere identidem conſueverunt. Itaque quum intelligeret Pontifex Romanus, ſua reſponſa pro decretis haberi, ultro etiam, nec rogatus, facere decreta cœpit, principem Chriſtiani Orbis ſedem Romæ conſtitutam eſſe cauſſatus, atque adeo ad curationem ſuam pertinere, ut canones & leges Eccleſiaſticæ ſerventur. Jamque cognitionem controverſiarum, quæ inter Epiſcopos eſſent ortæ, tanquam legitimi Judices arrogare ſibi Pontifices, Metropolitanos, quo minus ſuis jus dicerent, impedire, Epiſcopis, ſeu vitio, ut ipſis videbatur, creatis, ſeu ſceleris cujusdam aut criminis accuſatis, imperium Eccleſiaſticum abrogare, eosque vi ac minis cogere ad cauſſam dicendam proficiſci Romam. Quam ob cauſſam etiam ii, qui legibus quibusdam & canonibus Eccleſiæ ſolvi cupiebant, Romam profecti benigne excipiebantur, gratificante eis Pontifice, quæcunque petiiſſent, ut Romæ gratificationum & beneficiorum quaſi officina quædam gradatim inſtitueretur. In ordinario

Kk 5 foro,

foro, ſi quis cauſſa cecidiſſet, & Romam provocaſſet, benigne & comiter exceptus, faventem & benignum judicem habuit. Memoriæ proditum eſt ab Hiſtoricis Gallicis, eodem tempore, quo Arelatum urbem Honorius Imperator ſeptem provinciarum caput eſſe juſſiſſet, ejus civitatis Archiepiſcopum, ne per eam occaſionem Patriarchatum, ut vocant, totius Galliæ occupare aliquando in animum induceret, a Pontifice tanquam Vicarium regendis Eccleſiis Gallicanis præpoſitum eſſe. Et maluit is Eccleſiis ſeptemdecim provinciarum (in tot enim partes diviſa tunc temporis Gallia fuerat) precario præeſſe, quam ſummo cum imperio ſeptem tantummodo provincias obtinere. Atque ut mandatam ſibi provinciam illuſtriorem redderet, nullum amplificandæ Pontificiæ majeſtatis locum prætermiſit. Octavo deinde ſeculo, quum mores ac diſciplinam ſolvere, & flagitiis ſe dedere Clerici juxta & Monachi cœpiſſent, Vinfridus quidam, Monachus Anglicanus, qui ſibi Bonifacii nomen deinde adſcivit, ſingulari quodam pietatis inſtinctu animum ad emendandos Eccleſiaſticorum mores adjecit. Is Chriſtianam quoque Religionem quum propagare quibusdam in locis, maxime in Thuringia & Friſia, omni ope niteretur: ut aliquam ſibi auctoritatem conciliaret, mancipio & nexu Pontifici Romano ſe addixit. Ab eo quoque, Epiſcopatu primum donatus, deinde titulo & inſignibus Archiepiſcopi Moguntini ornatus, poſtremo a Gregorio III. Pontifice Vicarius eſt declaratus. Exin Concilia cogendi & Epiſcopos creandi data poteſtas eſt, iis in locis, in quæ Chriſtiana ſacra primus invexerat; populis quibus præerat, imperata facere, & ſimul Carolo Martello (is, ut vulgo vocant, Major Domus erat in Francia)

eum

eum tutari, & omnibus rebus adjuvare, juſſis: nec ægre aut cunctanter voluntati Pontificis Carolus paruit. Carolomannus ejus filius quum ſibi collapſam Eccleſiæ diſciplinam inſtaurandi conſilium eſſe oſtendiſſet, Bonifacius iſtud onus haud invitus ſuſcepit, cum magno Pontificiæ poteſtatis incremento & commodo; is, rogatu Carolomanni, quum Concilium in Germania, &, ut Pipino gratificaretur, complures in Gallia Synodos coegiſſet: eis ſolus ipſe tanquam *Legatus ſedis Romanæ* præfuit. In priori Concilio Clerici ſubſcripſere Breviario, quo Religionis capita continebantur: eo ſe non ſolum Catholicam Religionem pro virili tutaturos, verum etiam in fide & poteſtate Eccleſiæ Romanæ & ſucceſſoris Petri perpetuo futuros eſſe, polliciti ſunt. Germanos quoque Epiſcopos, ut Pallium, inſigne Epiſcopalis dignitatis, Romæ peterent, perpulit: Gallicanis autem illud ultro miſit, ut eo majoribus illos beneficiis Pontifici Romano devinciret & addictos redderet. Ea conſuetudo ornatus iſtiusmodi Epiſcopalis adhibendi, levibus, ut fit, initiis orta, quum voluntaria primum eſſet, poſtremo vim legis & neceſſitatis obtinuit: ut Epiſcopis, antequam iſtud inſigne accepiſſent, ulla Epiſcopatus munia obire fas non eſſet. Id quoque juris ſibi Pontifices vindicarunt, ut, niſi ipſorum permiſſu, Epiſcopis provinciam mutare, & priori ſtatione relicta alios ſubinde Epiſcopatus capeſſere non liceret: omnesque Occidentis Epiſcopos petere, ut ipſorum dignitatem Pontifex ratam habeat, & ſimul pro eo præmium perſolvere coegit: quod in illud mercedis genus, quod *Annates* vulgo dicitur, poſtea converſum eſt. Adhæc Conciliorum Provincialium auctoritatem, decretis eorum reſciſſis, labefactarunt penitus & everterunt;

terunt: ea re factum, ut Conciliorum convocandorum mos ad extremum prorſus exoleſceret, poſtquam ea nullo uſui eſſe omnes intellexerunt, quum decreta eorum Pontifex improbare, & ne rationum quidem momentis expenſis præceps damnare conſueviſſet. Denique Epiſcopos Gregorius VII. Pontifex in ſua verba jurare, & fidem *Romanæ ſedi* jurejurando in perpetuum obligare coegit, & ceu lege quadam inviolabili ſancivit, ut ne quis eum, qui ad Tribunal Pontificis Romani provocaſſet, condemnare in animum induceret. Nec Legatos aut Nuntios in omnes partes mittendi omiſſa cura eſt, qui nomine Pontificis poteſtatem Epiſcopis, Metropolitanis, & Conciliis Provincialibus ereptam exercerent, & commodis ejus omnibus modis inſervirent.

Eccleſiæ opulentiſſimi reditus.

§. 17. Ceterum, quo majoribus indies opibus, quove copioſiore hominum frequentia, Eccleſia cumulabatur, eo graviori damno ac fraudi ſummis Magiſtratibus Eccleſiaſtica dominatio, latius indies ſerpens, fuit. Et opulentiam quidem ſuam Eccleſia benignitati pietatique potentiſſimorum Principum, virorumque illuſtrium, & aliorum, acceptam initio referebat, rem Deo pergratam ſe facere exiſtimantium, ſi cumulatiſſimis Eccleſiam juxta & Clericos donis certatim colerent. Ingens ad eam liberalitatem cumulus acceſſit, poſtquam perſuaſum eſt hominibus, tantam eſſe *bonorum*, ut vocant, *operum* (primas autem inter ea tenebant *donationes*, ut vulgo vocant, *ad pios uſus*) vim ac præſtantiam, ut ea vel ſola promereri cœlum & debeant & poſſint. At vero quum creſcentem cum opibus avaritiam Clericorum explere piorum hominum munificentia nequiret: illi varias artes, argento emungendi homines, & aucupia excogitarunt; magnamque cærimoniarum ina-

inanium vim aſtute ſunt commenti, certo in ſingularum miniſteria pretio conſtituto. Jamque ſine more ac modo res divina fieri, vel, ut vulgo dicunt, *miſſificari* pro vivis juxta ac mortuis, venalia proponi diplomata, quibus vel peccatorum, vel legum gratia petentibus fieret, (*Indulgentiæ* vulgo & *Diſpenſationes* appellantur) peregrinationes ſuſcipi Religionis ergo, Jubilæa ſolenniter & religioſe celebrari, &c. Mortis inprimis cujusque momenta Clerici captabant, quod ſub id tempus homines, omni rerum mortalium cura depoſita, minus reſtricti ad largiendum eſſe ſolent; præſertim quum ejusmodi relicturi ſint heredes, quos minori luctu ex obitu, quam ob prædæ opimæ poſſeſſionem gaudio, perfuſum iri proſpexerint. Ad extremum, eo quoque impudentiæ progreſſi ſunt Clerici, ut quaſi oſtiatim ſtipem emendicare non dubitarent. Nec iis artibus contenti Pontifices, novum quoque inventum, ſacram militiam, ad ſuas utilitates transtulerunt. Ea *militia ſacra* dicebatur, quod in ea militantes ſigno Crucis inſigniti, & quaſi conſecrati, ad Terram Sanctam barbaris eripiendam proficiſcebantur: & ſuſcipi ejusmodi expeditiones ſeculo undecimo & inſequenti cœptæ. Moderationem earum & arbitrium ſibi Pontifices vindicabant, ita ut ſine eorum auctoritate quidquam, quod majoris momenti eſſet, agi aut ſuſcipi nequiret. Eorum, qui Cruce inſignes ad ſacrum bellum profecti eſſent, fortunas tutandas nominatim Pontifices ſuſcipiebant, cavebantque, ne quis abſentes, ſive ex crimine cauſſa conſtaret, ſive ex controverſia, in jus vocaret: ita factum, ut major *Indulgentiarum* & *Diſpenſationum* uſus eſſet, quam antea. Stipem a piis hominibus erogatam, res teſtamento legatas, æs collectaneum ad ſuſtentandos belli ſumptus compara-

paratum, Legati Pontificis tractabant: ſub ejus quoque belli obtentu decimæ a Clericis ſunt exactæ: quin ipſi etiam Reges ac Principes ei militiæ nomina dare juſſi. Inſequentibus temporibus ſacra iſta bella a barbaris in Schiſmaticos & Hæreſeos damnatos Pontifices converterunt: eos bonis mulctatos, quum beneficiaria etiam prædiorum poſſeſſione privaſſent, ad alios eam, in præmium navatæ operæ, pro lubitu tranſtulerunt, dominis, quorum clientes fiduciarii damnati fuerant, ne interrogatis quidem aut conſultis. Nimirum ii ſedulo cavebant, ne titulo & inſignibus Beneficiarii condecorare eum abnuerent, qui ea, ſacroſancta, ſi Diis placet, Pontificis auctoritate ſubnixi, poſtularent.

Ingens Religioſorum numerus. §. 18. Pro magnitudine creſcentium indies opum Eccleſiæ, magnis quoque auctibus eorum accrevit numerus, qui, ut Eccleſiæ copiis ſuam alerent & ſuſtentarent inertiam, in Monachorum ſeſe ac Religioſorum diſciplinam tradiderunt. Nec jam ſacris ſingularum Eccleſiarum certos præeſſe Sacerdotes, iiſque alios datos eſſe Vicarios, alios, qui reliqua Eccleſiæ miniſteria obirent, ſatis erat, niſi Eccleſiis, ut vocant, Cathedralibus Canonicorum etiam Collegia accederent. Ea munera, quod & fructuoſa erant, nec magnopere moleſta aut laborioſa, omnis dignitatis & conditionis homines frequentes & ambitioſe prenſabant. Nam cælibatus incommoda, cujus neceſſitatem decimo ſeculo & ſequenti Pontifex, omnibus Clericis invitis & renitentibus, non ſine magno labore impoſuit, tranquilla ſummæ dignationis & maximorum vectigalium ſine labore uſura compenſabat. Adhæc infinita Monachorum & Virginum monialium turba totum fere Orbem Chriſtianum repleverat. Hoc hominum genus, quo tempore in Chri-

Chriſtianos, diriſſimis vexationibus exagitatos, Imperatores Pagani ſæviebant, exortum, quarto inde ſeculo & ſequentibus vehementer auctum, longe lateque ſe diffudit. Initio tamen opus faciendo & laborando vitam ſuſtentabant: alii, quum ſuas fortunas pauperibus voluntaria liberalitate eſſent largiti, ſub Epiſcoporum auſpiciis & regimine eam, quam canones præſcribebant, vitæ diſciplinam ſequebantur. Nec alias magis, quam ſeptimo ſeculo, Monaſticæ vitæ ac diſciplinæ ſtudium vigebat in Occidente; adeoque iſto Religionis æſtu omnium ordinum homines fervebant, ut ad cœnobia frequentanda & inhabitanda non ſolum omnis ſexus ac ætas conflueret, verum etiam ad ea magnifice exſtruenda, & ampliſſimis vectigalibus locupletanda, principes viri & potentes omni ſtudio incumberent. Jamque conditis tot tantisque cœnobiis, opibus & vetuſtate conſpicuis, defatigata hominum munificentia videbatur, atque tanta hominum cupiditate ejus vitæ & inſtituti flagrantium multitudo erat, ut ei nullus ſatis magnus monaſteriorum numerus ſufficeret; quum tertio decimo demum ſeculo Ordo Monachorum Mendicantium exiſteret. Ii eo majorem ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferebant, quod pro talibus haberi volebant, quos ad Monaſticæ vitæ inſtitutum amplectendum, non mollis ac voluptariæ vitæ ſpes, ſed ſeveræ & ab omnibus voluptatum illecebris ſemotæ diſciplinæ deſiderium impulerit; quum ad ſummum, præter ſtipem oſtiatim emendicatam, nihil ad vitæ uſus expeterent. Ad ejusmodi auſterum vitæ genus ſuſcipiendum, homines ſingularis cujusdam ſanctitatis & meritorum, quæ ei ſectæ ineſſe credebantur, opinio, vel, ut verius dicam, inſita Clericis ambitio permovit. Innata enim hominibus arrogantia eo dementiæ pro-

progreſſa eſt, ut non ſatis eis negotii faceſſere Divina præcepta crederent, & ſuis meritis, quam Dei beneficio, ſempiternam ſalutem acceptam referre mallent, immani cupiditate gloriæ, qua antecedere reliquos mortales volunt, in cœlum etiam & futuræ vitæ uſuram extenſa. Alios rerum ſuarum deſperatio, deſidia & pigritia alios in hoc vitæ genus præcipites egit. Multos in cœnobia parentes & propinqui includunt, ſive ſuperſtitione inducti, ſive egeſtate compulſi, ſeu denique, ne, diviſis inter tot liberos facultatibus, familiæ interirent, metu ſtimulati. Ex eo Monachorum genere Pontifex ſibi quaſi militem prætorianum delegit, quo non modo *Laicos*, ceu præſidio quodam cervicibus eorum impoſito, coerceat, verum Epiſcopos etiam & reliquos Clericos in officio contineat. Ea re factum, ut quum deinceps, ſeculo maxime tertio decimo, ſubtrahere ſe a poteſtate & jurisdictione Epiſcoporum iuſtitiſſent, nec ullius, præterquam Pontificis, auctoritatem agnoſcere vellent, eorum patrocinium ipſe Pontifex ſummo ſtudio ſuſciperet. Is callidiſſimo in eo Ordine regendo utitur conſilio. Quanquam magna inter eorum familias, Franciſcanos videlicet & Dominicanos, æmulatio exiſtit & contentio, ita tamen rem temperare novit, ut, partita æquo inter utroſque momento gratia, neuter Ordo vel premere alterum & exagitare, vel de Pontificis in alterutram partem juſto plus inclinata voluntate conqueri poſſit. De commodis ordinariorum Sacerdotum multum hi Monachi ſubtraxerunt: Legata & Sepulturas opulentiorum, regimen animorum, ſeu, ut vulgo vocant, conſcientiarum, ſacrorum miniſteria magna ex parte ad ſe transferendo. Itaque inexpiabile in eos odium Epiſcopi & Sacerdotes ordinarii conceperunt:

runt: de eo tamen illi, favore Pontificis ſubnixi, non magnopere ſibi laborandum eſſe putant. Quod ſi quis Epiſcopus, ſpreta Pontificis auctoritate, obſequium exuere, aut res novas moliri inſtiterit, eum extemplo Monachi iſti, velut feram canes venatici, inſectari, & clamitando criminandoque adducere in odium & invidiam plebis, apud quam magna eorum, propter opinionem ſanctitatis, auctoritas eſt, conſueverunt. Itaque ex Epiſcopis nemo, moturus aliquid adverſus Pontificem, plebis ſtudia adjungere ſuæ factioni poterat. Adhæc vitam & mores cujusque Epiſcopi ſedulo obſervare Monachi, & Romam, ubi Præfecti ejus Ordinis degunt, nuntiare ſolebant, ut, quæ in rem eſſent, conſilia ibi capi extemplo, & imminentia mala declinari poſſent. Et quod increſcenti Pontificis potentiæ Epiſcopi, quum gravis eorum libertati eſſe cœpiſſet, reſiſtere haud potuere, in eo non poſtremæ iſtius Ordinis partes fuerunt: illi quippe, quum nullam ejus dominatus evitandi commodam rationem cernerent, tempori ſervire, id eſt, neceſſitati parere, quam contra ſtimulum calces, quod ajunt, jactare, ſatius eſſe putarunt. Quanquam ex iis multi Pontificis potentiam haud ægre ferebant, ſplendorem & amplitudinem ejus, cujus in poteſtate eſſent, ad ſe quoque pertinere quodammodo rati; & quod eo pacto a civili poteſtate & jurisdictione ſubtraherentur, a qua majus ipſis periculum, quam ab externo tribunali unius; ipſis neceſſitudine quadam muneris ac ſtudiorum adjuncti, imminebat: neque enim Clericum Clericus facile exagitat, nec cornix cornici oculos temere configit. Sed tamen inter Epiſcopos, maxime Tranſalpinos, non paucos exiſtere compertum eſt, qui immenſam Pontificis potentiam, tacite licet & diſſimulanter, iniquo tamen

animo ferant. Atque id in Tridentino inprimis Concilio apparuit, quo Epiſcopi Gallicani juxta & Hiſpanici omnibus connixi viribus ſunt, idque egerunt unice, ut *Reſidentia*, ut vocant, *Epiſcoporum juris Divini eſſe* decerneretur. Idem ſpectant eorum, qui apud Gallos Belgasque Janſeniſtæ vocantur, conſilia. Nec, quid ſub iſtius dogmatis ſpecie lateat, prudentiores fallit; quod ſi enim ſuæ quisque Eccleſiæ Epiſcopus præeſſe, & ab ea nunquam diſcedere divinitus jubetur, ſequitur, ab eodem Deo jus ac poteſtatem etiam habere, ſine qua illud fieri nequit. Nam, ut in Scholis vulgo loquuntur, *qui dat jus ad finem, dat jus ad media.* Atque adeo non eſt, quod Epiſcopi, munus ſuum inituri, Romam proficiſcantur, ad redimendam Pontificis, ut auctor fieret, benevolentiam. Itaque anxius animi & vehementer ſollicitus Pontifex fuit, antequam eam difficultatem Concilium Tridentinum ſuperaſſet, atque de medio ſuſtuliſſet. Nec facile ſe adduci Pontifex patietur, ut ullum poſthac Concilium cogat. Neque enim in ejusmodi Conciliorum diſcrimen auctoritatem ſuam aut majeſtatem temere committet, præſertim quum in præſentia nullus eorum uſus ſit, contendentibus paſſim Jeſuitis aliisque, & palam docentibus, Pontificem ſupra Concilia eſſe, nec falli aut labi, nec ſine ejus auctoritate ullam in ſe vim aut obligationem Concilia habere. Sed quomodocunque ſe res habeat, ipſorum Epiſcoporum intereſt, eos in fide ac poteſtate Pontificis manere; a cujus imperio ubi ſe ſubtraxerint, in ditionem civilium Magiſtratuum haud dubie venturi eſſe videntur. Atque id ſi eveniret, ſalutem ſuam ac dignitatem, ſine ejus, cujus ſubjecti imperio eſſent, (eum autem ſummis opibus præpollere neceſſum foret) ope

&

& præſidio, tutari nullo modo poſſent. Itaque ex duobus malis, id quod minus eſt malum, eligere neceſſe habent.

§. 19. Quamvis autem immenſis opibus & incredibili hominum frequentia aucta res Eccleſiaſtica eſſet, tamen ad conſtituendam dominationem Eccleſiaſticam omnino neceſſe fuit, Pontificem ſuis vivere legibus, nec ullius ſubjectum imperio eſſe: ſedem autem dominatus ſui in ejusmodi loco conſtitutam habere, qui ſui tantum juris & ditionis eſſet; eum denique imperii ſtatum eſſe, ut non ſolum vitam cum dignitate ſuſtentare Pontifex, verum etiam ne detrahendo ei vectigalia cogi in ordinem poſſit: item, ut propugnatoribus ejus, ſi quando ob eam cauſſam a Magiſtratibus indignatione commotis exagitarentur, tutiſſimum ad eum perfugium eſſet. Id ut conſequerentur Pontifices, diuturnas devorare moras ac moleſtias, varios iniquæ fortunæ caſus ſubire, & malis artibus ac ſceleribus uti & graſſari diu coacti ſunt. Equidem dum in Occidente Imperatores fuerunt, aut Gothorum in Italia imperium incolume ſtetit, ne cogitare quidem de iis rebus comparandis poterant. Gothorum deinde Regno, quum Juſtinianus rerum potiretur, everſo, ac Roma pariter & univerſa Italia in provinciæ formam a Græco Imperatore redacta, Pontifices eam obſequii, quo eis Imperatoribus alligabantur, exuendi occaſionem nequaquam dimiſerunt. Imperatorum quippe auctoritatem & exiſtimationem in Italia vehementer imminuerat partim impotens Exarchorum, qui Ravennæ erant, dominatus, partim infirmitas; quum Longobardi per occaſionem fluctuantis Juſtiniano II. regnante Imperii, quum alii alios everterent & labefactarent, magnis ſibi viribus comparatis, rerum in

Abſoluta Eccleſiæ libertas.

Italia potirentur. Acceſſit, quod ex iis Imperatoribus nonnulli cultum imaginum damnabant, verſa in fœdiſſimam pene idololatriam ſuperſtitione, quum majore Sanctorum, quam ipſius Dei, cura homines tangi viderentur; ex templis eas ejici omnino Leo Iſaurus jubebat. Ejus conatibus Gregorius II. Pontifex acriter reſiſtendum ratus, imaginum cultum, quaſi pro aris & focis certaret, ſumma contentione propugnavit; ſive quod is non exigua anilis ſuperſtitionis, quæ magno Pontifici ad utilitatem momento erat, pars eſſet; ſive quod ægre ferebat, ſe imprudente & invito Imperatorem quidquam in rebus ſacris agere aut moliri, eo tempore, quo ipſe ad Eccleſiaſticam dominationem in Occidente conſtituendam animum intendiſſet, auſum; ſive denique ea commoda ſubducendi ſeſe a Græcorum Cæſarum imperio occaſio eſt viſa. Jamque Romanos & reliquos Italos, qui in fide adhuc & ditione Imperatoris manebant, ad abnuendum ei vectigal & ſtipendium Pontifex ſollicitabat, quum Exarchus, jura ac majeſtatem Imperatoris tutari conatus, exorto Ravennæ, ubi ſedes Exarchatus erat, ob eam cauſſam tumultu, occiditur. Ita Græcorum Cæſarum imperio in ea Italiæ parte deleto, ſuas habere leges eæ terræ, nec ullius ſubjectæ imperio eſſe cœperunt.

Pontifex Gallum ad ſuppetias ferendas vocat.

§. 20. Hoc modo quum ſe Pontifices ab Imperio Conſtantinopolitano ſubtraxiſſent: non multo poſt ingens ei periculum a novo domino imminebat, qui gravius eis ex propinquo impoſiturus eſſe videbatur, quam quod antea magnis locorum intervallis disjunctus Imperator impoſuerat. Eas enim regiones, quæ ab Imperatore defecerant, in ſuam redigere poteſtatem Reges Longobardorum, & totius Italiæ imperio potiri nitebant-

bantur. Capta Ravenna, aliisque locis in ditionem redactis, quum eorum impetum ſuſtinere aut retundere nemo in Italia poſſet: Pontifices opem Regum Franciæ, nec enim alia ſpes, aliud perfugium erat reliquum, implorabant. Hi, pace primum & compoſitione fruſtra tentata, quum a vi & injuria abſtinere Longobardi nollent, poſtremo ad arma verſi, libertatem & cauſſam Italiæ vi defendendam ſuſceperunt. Quod ut facerent, eo facilius adducebantur, quod non ſolum Pipino Regnum, quod ſuperiori Regi ereptum ipſe, quum Major Domus antea fuiſſet, ſibi vindicarat, Zacharias Pontifex auctoritate ſua confirmavit; verum etiam quod ea expeditione ipſi Galli aliquas Italiæ partes in ſuam poteſtatem redigendi, cujus rei incredibili ſemper cupiditate gens Gallorum flagravit, occaſionem nanciſcebantur. Eo bello quum adverſus Longobardos, Pipinus primum, deinde Carolus Magnus feliciter pugnaſſent, ad extremum, omni eorum Regno potiti, quidquid Exarchatus finibus continebatur, Pontifici tradiderunt. Sunt, qui Pontificem Romanum, ut opimam nimis & profuſam largitionem impetraret, tunc primum commentitiam illam *Conſtantini Magni donationem* in lucem protuliſſe putent: & vero perſuaderi ea res hominibus imperitis, in tanta temporum barbarie & litterarum ignorantia, nullo negotio poterat. Immortali quoque beneficio Gallorum Reges, ut ſupra demonſtravimus, Pontifex ſibi devinxerat; tum ipſi Reges pietatis famam largitionibus de alieno factis captabant. Ea enim tempeſtate in Ordine Eccleſiaſtico, magnis donis ac muneribus colendo, præcipuum gloriæ fructum ſtulta vanitate ſummi infimique juxta repoſitum habebant. Quin imo quæ in uſum Eccleſiæ deſtinarant Re-

ges, ut immunia eſſent, & quæ eorum beneficio prædia Clerici tenerent, ea ut libera & nullis aggravata oneribus haberent, operam dabant. Earum largitionum magnitudine Clericos ad detrectandum Regibus obſequium inprimis exſtimulatos fuiſſe, compertum habeo; veritos ſcil. ne majorum donationes ſuccedentes inde Reges reſcinderent & irritas facerent. Eſt enim ita, ut prudentiores monent, natura comparatum, ut effuſa nimis commodorum & munerum largitio odium potius quam amicos Regibus pariat: nam qui ejusmodi coluntur donis, quum in perpetua ſuſpicione ac metu verſentur, ne ea aut imminuantur aliquando aut omnino repetantur, ita firmare ſuas opes nituntur, ut eas tutari, & vel invito Rege in perpetuum ſibi aſſerere valeant. Sunt autem inter eruditos nonnulli, qui, quum omnes iræ atque odii cauſſas procul habeant, exiſtiment, Pontifici conſilium fuiſſe traditas ſibi terras ſummo cum imperio regere. Ceterum, populum libertatis avidum ſuis vivere legibus, quam jugum accipere maluiſſe: etenim inſolens admodum & ſacroſanctæ dignitati minime conveniens eſſe videbatur, Pontificem Reguli cujusdam ac Principis profani perſonam ſuſcipere. Ea re accidit, ut Leone III. Pontifice ſeditio populi Romani fieret. Pontifex quum opem ac fidem Caroli Magni imploraſſet, in priſtinum deinde locum reſtitutus, una cum populo Romano Carolum ſalutavit Auguſtum. Eo facto ſummum Exarchatus Ravennenſis imperium, & reliquarum Imperii Occidentalis partium principatum adeptus, quum earum ſine ſumma poteſtate poſſeſſionem Pontifici tanquam Beneficiario reliquiſſet, *Advocatus* & *Defenſor Eccleſiæ* eſt appellatus. Atque in eo ſtatu res manſit, donec Imperii gubernacula Henricus IV. capeſſivit.

§. 21.

§. 21. Ceterum, quum ſine auctoritate & ſuffragio Imperatoris creari Pontifices haud poſſent, tantaque illius eſſet audacia, ut Pontifices immoderatius ſeſe gerentes in ordinem cogere, & de ſolio ſuo præcipites dare non dubitaret, ad extremum *Advocati* & *Protectoris* nomen grave ipſis & inviſum eſſe cœpit. Itaque excutere jugum, & Imperatorum dominatum propulſare ſummo ſtudio contenderunt: nec, niſi magno interpoſito ſpatio, ingenti certamine juxta & calliditate ſibi libertatem pepererunt. Quam ob cauſſam, ut eorum opes frangerent, & auctoritatem imminuerent, nunc in Germania, nunc in Italia, magnis eos turbis ac motibus illigare Pontifices perpetuo laborarunt. Strenuam eis operam Germaniæ Epiſcopi navarunt. Ii, quum ſe Cæſari, cujus beneficio Epiſcopatus debebant, obligatos eo nomine eſſe, æque ac Pontifices, ægre ferrent: cum Pontifice conſpirarunt ad ordinandam rem Eccleſiaſticam, & peculiari & libero imperio conſtituendam. Ad eam rem perficiendam non aliud tempus magis idoneum eſſe rebantur, quam quo Imperium Henricus IV. gerebat. Ei quum ſolutiſſimi mores, & turpiſſima probra, Regnumque male adminiſtratum, ingentem apud Ordines Germaniæ invidiam, & ex ea diſſenſionem, conflaſſent: Gregorius VII. cui antea Hildebrando nomen erat, arroganti vir ingenio, contumaci, & ad quidvis audendum parato, poſtquam ad Pontificiam dignitatem evectus erat, conqueri extemplo de Imperatore cœpit: Sacerdotiorum conſtitutionem ſui juris ac poteſtatis, nec in manu Imperatoris eſſe debere; qui nundinando ea, & hominibus improbis vendendo, turpiſſimum ex iis quæſtum faceret, & Sacrificulos vitio creatos, prius quam myſteriis Sacerdotii rite initiati forent,

Papa excutit jugum Cæſarei dominatus.

ornatu Sacerdotali & inſignibus condecoraret. Quumque vetere & optimo jure ſibi deberi ea Imperator contenderet, nec ab iis vel latum unguem diſcedere vellet Pontifex, quum ſacris prohibitum diro anathematis fulmine percuſſiſſet, & Epiſcopos & reliquos in eum Ordines incitaſſet, tantis eum turbis ac moleſtiis involvit, ut creandi Epiſcopos jure cedere ad extremum cogeretur. Per eam autem ſpeciem Pontifex non ſolum Epiſcopos a poteſtate Cæſaris ſubtrahere, ſed principatum etiam Italiæ invadere, & Principes ad unum omnes imperio *Sedis*, ut vocant, *Romanæ* ſubjicere nitebatur. Et res facultatem habuiſſe nonnullis videtur; quod ea tempeſtate, diviſa in tot Principatus Europa, tenuiſſimis maxima ex parte opibus ſuffultos, Reguli ac Principes complures, ſeu religione quadam inducti, ſeu quod potentiorum vitare jugum volebant, in ditionem Pontificis ſe ultro tradiderunt, vectigal ei & ſtipendium quotannis perſolventes. Adeo, ut ſi tres Pontifices, aut quatuor, ad regendam Eccleſiam eam ſeu calliditatem ſeu dexteritatem continenter attuliſſent, ut ſanctitatis ſpecie conſilium tegerent, & populum ab injuriis Principis defendendum ſuſciperent, ſummo totius Orbis imperio, qua Civili, qua Eccleſiaſtico, potiti haud dubie forent. Nec ſe jugo ſolum exuere Pontifex, verum Imperatorem etiam poteſtati ſuæ ſubjicere contendebat: ejus enim ſe judicem ferre, delatum a popularibus ad cauſſam dicendam citare, ſacris prohibere & anathemate ferire, Regno denique mulctare inſtituit. Quanquam autem, quæ parti erepta fuerant, recuperare filius Henricus I. conatus, Paſchalem Pontificem captum, & in cuſtodiam traditum, reſtituere ſibi jus creandi Epiſcopos coegit; Clerus tamen Europæ fremens, & indi-

indignatione commotus, tantum negotii exhibere Imperatori cœpit, ut Sacerdotia conſtituendi jure ad ultimum cedere omnino cogeretur cIↃcxxII. Sub id tempus magnas quoque eadem res turbas & contentiones concitavit in Anglia. Eæ hùnc in modum conſopitæ ſunt cIↃcvII. ut jus creandi Epiſcopos Rex eis remitteret, Epiſcopi in Regis verba jurarent. Jusjurandum, quo ſuam fidem obligarant Epiſcopi, Pontifici diſplicuit; nullo quippe vinculo eos Regi ſuo obſtrictos eſſe malebat. Itaque id jusjurandum dare Epiſcopos Franciæ nominatim vetuit. Ceterum, Ludovicus VI. & ſucceſſores ejus usque adeo animum ad jus ſuum tuendum obfirmaverant, ut cum nec flectere precibus, nec minitando terrere, quo poſtulata impetrarent, Pontifices poſſent. Nec etiam duos ſimul, Imperatorem & Gallum, laceſſere & irritare Pontifices ſuſtinebant; tutius eſſe rati, in alterutro aliquod adverſus omnes caſus & incertos eventus præſidium conſtitutum ſe habere. Præſertim quum Pontifex non tam Gallum, quocum ei haud multum rei erat, labefactare; quam nimias Imperatoris in Italia opes, quum jam ipſius imperio Romæ immineret, frangere & debilitare laboraret. Nec, perinde ut in Gallia, idem omnes ſentiebant in Germania. Ceterum, ab odio & æmulatione reliqui Europæ Principes amplitudinem & opes iſtius Regni ægre ferentes, haud gravate cum Pontifice ad Cæſarem labefactandum conſpirarunt; quum ſpecioſus *Sacroſanctæ Sedis* & Pontificiæ dignitatis tuendæ titulus conſilium tegeret. Friderici deinde I. & II. Imperatorium in Pontificem Romanum jus ac poteſtatem reſtituere in priſtinum locum nequidquam conati ſunt; ſciſſa in duas factiones Italia, quarum altera Guelforum, altera Gibellinorum

erat. Hi Imperatoris, illi Pontificis rebus ſtudebant; tantaque ac tam diuturna rerum confuſione Italiam miſcuerunt, ut eam in ordinem cogere & perdomare Imperator nullo modo poſſet. Mortuo Friderico II. quum rem Germanicam diuturnum illud Interregnum vehementer turbaſſet, reſtituto ad extremum Imperio, ſatis benigne ſecum fortunam egiſſe Imperatores credebant, ſi rebus ſuis & otio conſulere in Germania poſſent; tantum abeſt, ut ulterius de Italia ſibi magnopere laborandum eſſe putarent. Ea re factum, ut ea tempeſtate non ſolum, quæ in ipſius proprie ditione erant, Pontifex ſummo imperio regeret, ſed infinitam in omnia Eccleſiæ bona poteſtatem propalam uſurparet.

Papa ſuper quoſcunque ſeſe efferet Principes

§. 22. Nec eo faſtigio contentus Pontifex fuit: aliud etiam, & quo latius patebat, eo pernicioſius dogma in vulgus edebatur: Pontifici in Principes jus eſſe divinitus datum, non quo infinita & omnibus numeris abſoluta poteſtate in eos dominaretur, ſed regendi Imperii cuſtos quaſi, moderator, & arbiter eſſet. Etſi enim non eo temeritatis erant progreſſi Papæ, ut quod ad res civiles attinet, ex Pontificis nutu pendere Imperatorem oportere, palam & dilucide traderent: tamen quia ſummum rei Eccleſiaſticæ imperium obtinebant, jus ſibi haud ex vano eſſe credebant, dicta & facta eorum cenſere & æſtimare, admonere eos, caſtigare quæ honeſta eſſe & utilia cenſuerint, imperare & prohibere contraria. Itaque, exorto inter Principes bello, Pontifices imperare, ut factis induciis jure experirentur, ipſisque Papis cauſſæ diſceptatoribus uterentur, quodve illi judicarint, ut in eo ſtarent, non dubitarunt: minati etiam, ſecus ſi fecerint, fore, ut non ipſi ſolum Principes anathematis fulmine percutiantur,

tur, verum etiam univerſo Regno ſacris interdicatur. Suarum quoque partium & officii eſſe exiſtimabant, cavere, ne qua piacula, quæ piorum animos offendant, palam admittantur, afflictos item & injuria potentiorum oppreſſos erigere & ſuſtentare, ac toto denique Orbe terrarum jus dicere. Itaque omnes omnium de injuria potentiorum conquerentium ejulationes ſecundis auribus accipiebant. Quin longius etiam progreſſi, de injuriis & novis vectigalibus, quibus ſe a Principibus populares affectos eſſe & aggravatos conquerebantur, non cognoſcebant ſolum, verum etiam, ne nova tributa exigerentur, graviſſimam anathematis pœnam comminati, nonnunquam interdicebant. Interdum eos & eorum bona, quibus ſacris interdictum erat, proſcripſerunt, ſacramenti religione popularibus abſolutis. Nec enim verum eſſe aut æquum cauſſabantur, ei, qui adverſus Eccleſiam rebellaſſet, dominatum in populum Chriſtianum aut imperium relinqui. Id jus in multos, qui ſceptro & purpura fulgent, uſurpare ſunt auſi, apud nonnullos re ipſa exercuerunt, & quaſi in perpetuum ſtabiliverunt. Atque ut horrenda poſtulata uſurpationesque deteſtabiles aliquo præſidio firmarent, commentitias *litteras Decretales*, quibus fucum imperitis facerent, in medium protulerunt. Iis ceu fundamento ſuperſtrui Jus Canonicum eſt cœptum; quod infinitam Pontifici poteſtatem in Chriſtianos attribuit, eique velut Parenti Univerſali, Edicta fidelibus proponere, quæ aut ad ſalutem eorum, aut ad religionem tutandam aut firmandam pertinent, monere ac præcipere, & refractarios denique pœnis coercere, jus eſſe tradit. Nam quo minus deceſſores Gregorii VII. eam in Imperatores poteſtatem exercuerint, impedimento fuiſſe vel ſuperiorum

Impe-

Imperatorum ab injuria ſe continentium moderationem, vel ipſorum Pontificum vitiis ſe ac probris inquinantium ſocordiam prædicabant. Nec exempla deerant, quibus poſtulata Pontificis quaſi veſtirent atque firmarent. Commemorabatur, quod in Theodoſium Imperatorem exemplum Ambroſius ediderat, Wambam item Regem ab Epiſcopis Hiſpaniæ coactum eſſe Regno ſe abdicare, criminis expiandi cauſſa: Ludovico Pio quoque Regnum ab Epiſcopis Franciæ abrogatum; qui recipere deinde Regnum, niſi Epiſcopi in conventu ad id nominatim habito auctores fierent, noluit: denique Carolo Simplici Fulconem Archiepiſcopum Rhemenſem comminatum eſſe, ſe populares ejus, ſi ſocietatem cum Normannis, Barbaris tunc temporis & Paganorum adhuc ſuperſtitioni addictis, Rex iniviſſet, ſacramento ſoluturum. Quæ quum ita ſint, dubium non eſſe, quin major Pontificis quam reliquorum Epiſcoporum poteſtas eſſet: ut quæ nullis, niſi quos Conciliorum Canones & Decreta ipſorum Pontificum nominatim determinarent, finibus circumſcribatur: jam vero nullo eorum ſeu Decretorum ſeu Conciliorum capite caveri, ne imperium Auguſtis Pontifices abrogarent. Nec veriſimile videri, nemini de ea re quidquam in mentem unquam veniſſe. Et quum id quoque ſibi Pontifices ſumſiſſent, ut Regio titulo nonnullos, nominatim id, ſive ea ambitio fuerit, ſive ſuperſtitio, petentes, condecorarent: in eam demum hæreſin venerunt, ut, quos indignos Regno judicaverint, eos privare Regni inſignibus jus ſibi eſſe exiſtimarent. Edictis quoque, quibus jungi matrimonio vetabantur, qui vel ſeptimo conſanguinitatis, vel quarto affinitatis gradu ſeſe invicem contigiſſent, exagitare Principes mirifice po-

terant.

terant. Etenim quia raro admodum eveniebat, ut collocari in matrimonium illuſtris natalium ſplendore puella viro Principi poſſet, quin cum eo vinculum aliquod, quas commemoravi, neceſſitudinum ipſi intercederet: vel in perpetuo metu Principes verſari neceſſe fuit, ne nuptias Pontifex turbaret, vel ut lege ſolvantur, ſupplices petere oportuit: utrobique autem ad nutum ſe & voluntatem Pontificis accommodare. Negotiorum denique, quibus Pontifex diſtinebatur, multitudo præſtantiſſimos quosque & ingenioſiſſimos Europæ viros in curiam Romanam pellexit, qui munera ambitioſe prenſabant, & in ampliſſima Schola eas artes, ſine quibus res magnæ geri non poſſunt, comparare ſibi ſtudebant. Hi, ut Pontificis ſibi benevolentiam, in qua omnem fortunæ ſuæ ſpem collocatam habebant, conciliarent, rationibus ejus & conſiliis omnibus modis inſerviebant; ut de incredibili totius Cleri in ſuum Antiſtitem animi propenſione & ejus commodis velificandi ſtudio nihil dicam. Et hæc quidem omnia ſatis declaravit Bonifacius VIII. Pontifex, qui anno cIↃccc. quem Jubilæum eſſe voluit, & ſolenni ritu celebravit, nunc Imperatorio ornatu & inſignibus conſpicuus, nunc Pontificali habitu indutus inceſſit: & duos gladios, Eccleſiaſticæ juxta & Civilis poteſtatis inſignia, præferri ſibi juſſit.

§. 23. Verum intolerabilis potentiæ uſura frui diutius Pontifici per adverſarios non licuit: tantis quippe cladibus concuſſa eſt, ut de priſtina arrogantia & palam graſſandi libidine remittere aliquid Pontifices, & ad callida conſilia verſi, leniorem poſtulata urgendi viam inſiſtere cogerentur. In iis equidem contentionibus, quæ Pontifici cum Henricis & Fridericis Imperatoribus fuerunt, ſuperior res Romana fuit. Ceterum, ſatis magnam

Auctoritas Pontificia impugnata.

magnam ſubinde contumeliam Pontifices acceperunt, adeoque ſunt contemptim habiti, ut multa audire cogerentur, quæ cum exigua ipſorum gloria conjuncta erant, & cuivis alieno a partium ſtudio perſuadere facile poterant, non divinam reſpici gloriam, ſed dignitatem, & amplitudinem, propria ambitionis humanæ inſtrumenta, quæri. Sed quum Philippum Pulcrum Gallorum Regem iisdem artibus petere Bonifacius VIII. inſtitiſſet; Rex occurrendum ei rei ratus, Pontificem tanta clade perculit, ut vix alia res magis ejus opes afflixerit. Sed ne acerbitas rei, quum durius in Pontificem Imperator conſuluiſſet, offendiculum plebi præberet, vulgo ferebatur, non dignitatem & perſonam ejus, qui in regenda Eccleſia vices Jeſu Chriſti, Soſpitatoris noſtri, obiret, violatam; ſed improbitatem hominis perditiſſimi, qui malis artibus principatum Eccleſiæ occupaſſet, coercitam: ideoque, ut ejus tyrannide Eccleſia liberaretur, Concilium Univerſale eſſe convocandum. Sed multo graviore calamitatis ictu Pontificiam auctoritatem concuſſerunt Schiſmata. Ita enim appellabantur Cardinalium de novo Pontifice creando diſſenſiones. Ab iis quum ſæpe duo ſimul Pontifices legerentur, ſe invicem, quaſi certamine facto, diris devovere, & conviciis proſcindere, &, ut Pontificiam ſibi dignitatem firmarent, Regum benevolentiam blanditiis captare inſtituerunt, adeo ut ſe eorum ope carere haud poſſe uterque oſtenderet. Luculento quoque eæ diſſenſiones documento fuerunt, non adflatu & numine Sancti Spiritus, ſed rerum fluxarum reſpectu, & malis artibus iſtos Pontifices eſſe creatos. Itaque ex prudentioribus multi in ea ſententia fuerunt, ut ſi quando duo ſimul Pontifices, diſſentientibus Purpuratis, vitio creati forent,

rent, neutrum pro Pontifice eſſe habendum, & de integro ſuffragium ineundum exiſtimarent. Id quod deinceps in Concilio Conſtantienſi uſu comprobatum eſt. Primum, niſi me memoria fallit, Schiſma exortum eſt anno CIↃCXXXIV. vel, ut alii auctores ſunt, CIↃCXXX. eo anno, quo Honorio II. mortuo Innocentius II. & Anacletus ſimul Pontifices ſunt creati. Innocentii partes plures ſequebantur; Anacletus Siciliæ Regis & Ducis Aquitaniæ præſidio nitebatur. Anacleto rebus humanis exempto, qui ejus ſtudebant rebus, alium in ejus locum ſuffecerunt, qui Victoris ſibi nomen adſcivit. Innocentius, quum pactione facta inter eum & Victorem conveniſſet, Pontificatu ſe ſponte abdicavit, & hujus ſe poteſtati ultro ſubjecit. Poſt obitum quoque Hadriani IV. duo iterum Pontifices ſimul ſunt declarati, Alexander III. & Victor IV. Cum illo faciebat Gallia, Anglia, & Sicilia; hujus partes Fridericus I. una cum Germania & pleriſque Clericis Romanis ſequebantur. Victori extincto, qui ejus factionis erant, continenter tres ſubrogarunt; quibus tamen omnibus ſuperſtes fuit Alexander. Hi quum ſe certatim diris invicem devoviſſent, & conviciis confectati eſſent; ita ſe gerere ſinguli adverſus eos, quorum opem implorabant, neceſſe habuerunt, ut clientum potius quam dominorum perſonam ſuſtinere viderentur. Gregorii XI. mortem multo gravius eſt Schiſma conſecutum, duobus item Papis ſimul creatis: quorum alter Romæ, alter Avenione ſedem collocarat. Iſtud Schiſma, Pontificatu ſubinde aliis atque aliis per manus tradito, annos circiter quadraginta tenuit. Per id tempus utraque pars anathemata ſibi invicem inurere, & acerbiſſimo odio debacchari in æmulos inſtituit. Avenionenſis partes Gallus, Scotus,

tus Caſtilianus, Sabaudus, & Neopolitanus ſequebantur; Romano reliqua orbis Chriſtiani pars favebat. Utraque factio auctoritatem virorum illuſtrium & ſanctitatis laude conſpicuorum, prout ſuis quemque rationibus addictum habebat, mirifice prædicavit, miracula item, & viſa, revelationesque divinas, quibus ſua cuique dignitas divinitus firmaretur, jactavit. Atque ejusmodi utrinque rationes & argumenta in medium proferebantur, ut nullum res exitum habitura videretur; donec ad extremum abdicare ſe Pontificatu uterque Antipapa in Concilio Conſtantienſi juberetur, novo in eorum locum Pontifice ſuffecto. Poſtremum Schiſma incidit in annum cɪɔccccxxxɪɪɪ. Eo anno Concilium Baſileæ eſt habitum, quod, abrogato Eugenio Pontificatu, Felicem V. in ejus locum ſubſtituit; qui, ut cederet Eugenio, adduci nullo modo poterat. Et tenuit ea diſſenſio, donec poſt Eugenii mortem Nicolaus V. Pontifex crearetur: ei Felix, ut otio ſuo ac tranquillitati conſuleret, jus ſuum bonis conditionibus remiſit anno cɪɔccccxxxɪɪx. Quantopere autem eæ diſſenſiones pudenda, ut ita loquar, Paparum nudaverint atque detexerint, cuivis licet exiſtimare. Per eam quoque occaſionem, opera Conciliorum, Pontifices in ordinem cogebantur, ab iis etiam per id tempus provocari ad Concilia cœptum eſt: jamque effrenata licentia, Conciliorum, velut lemurum quorundam & larvarum, terrore injecto, continebatur. Atque eo minus ſubtrahere ſe a Conciliorum poteſtate Pontifices poterant, quod Gregorius VII. ipſe, redintegrata inter eum & Henricum IV. contentione, pollicitus erat, Concilium in certum locum eſſe indicturum, ad quod æqui pariter & iniqui, ſive illi Eccleſiaſtici ordinis, ſive e Politico-

ticorum genere eſſent, convenire poſſent; ut, fregeritne pacem Imperator an Pontifex, dijudicent, atque ſimul otii & tranquillitatis reſtituendæ rationem circumſpiciant. Idem quoque præ ſe tulit Gelaſius II. cui cum Henrico V. certamen erat; addiditque, velle ſe Epiſcoporum, fratrum ſuorum judicio ſtare; ut quos ipſe Deus Eccleſiæ ſuæ judices conſtituiſſet, & ſine quorum auctoritate diſceptare ipſe de ejusmodi cauſſa non poſſet. Innocentius III. quoque reſcripſit, quum matrimonium inter Philippum Auguſtum Regem & Engeburcham Danicam in diſceptationem veniſſet; decernere ſe de ea cauſſa quidquam, ſine Concilii univerſalis auctoritate, haud poſſe: id autem ſi convocaret, in diſcrimen ſe amittendæ dignitatis & muneris ſui venturum. Quibus verbis confiteri videbatur, Pontifici, ſi quando abuti ſua poteſtate cœperit, abrogari munus & imperium poſſe. Quumque hæc & ſimilia verba Pontificibus deinde ob oculos ponerentur, memoria eorum diuturnitate temporis, ut fit, oblitterata, in eam partem verba interpretabantur, ut tantum dicis cauſſa prolata, & ab humanitatis officio, non ex animi ſententia, profecta eſſe viderentur. Nec alioquin expedit, magnam nimis in eo genere verborum modeſtiam adhibere. Concilium igitur Piſæ habitum anno cıɔccccıx. abrogato Benedicto XII. & Gregorio XII. Antipapis, Pontificem Alexandrum V. creavit. Conſtantienſe autem Concilium non ſolum duos iſtos Antipapas ab regimine Eccleſiæ denuo removit, verum etiam Johannem XXIV. qui poſt mortem Alexandri V. creatus erat Pontifex, labefactavit & penitus evertit. Eodem modo in Concilio Baſileenſi actum fuit cum Eugenio IV. decreto etiam adjecto, quo cavebatur, ne qua navatæ

rebus Eccleſiaſticis operæ merces ſive Romæ ſive aliis in locis acciperetur. Quibus omnibus, quum opum Pontificis & amplitudinis quaſi fundamenta ſubruerentur, mirum videri haud debet, quod Pontifices deinde tam ægre adduci ſe paſſi ſunt, ut Concilium Tridenti indicerent, quodque tot machinationes adhibuerunt, ne ea res dignitati ipſorum fraudi eſſet, Conciliis deinde nuntio in perpetuum remiſſo.

Tranſlatio ſedis Pontificiæ Avenionem.

§. 24. Inter eas diſſenſiones ad conculcandam Pontificis dignitatem haud parum valuit translata a Clemente V. Avenionem ſedes Pontificia, impulſore, ut opinor, Philippo Pulchro, Gallorum Rege. Is, quum a Bonifacio VIII. orta cum Pontifice contentione, diro fulmine percuſſus eſſet, in præſens vanum ſine effectu, & irritum evaſurum anathema ratus, collocata in Gallia ſede Pontificia, eo pellicere eum inſtituit: ſimul in futurum ſperans impediturum ſe, quo minus talia Pontifices audeant: præſertim ſi Cardinales e Gallorum gente maxima ex parte legerentur. In ea urbe ſedes Pontificia conſtituta fuit annos ſeptuaginta & amplius: præterquam quod poſt idem tempus etiam Antipapæ eum locum ad habitandum ſibi delegerunt. Ea res multa, & cum magno Pontificiæ dominationis detrimento conjuncta incommoda peperit. Nam ut alia taceam, Petri, qui Epiſcopus Romæ fuiſſe traditur, præſentia inprimis, & quam ea peperit, ſingularis auctoritatis, & eximiæ ſanctitatis opinione fundata Pontificia ſedes, & hoc quaſi fundamento ad id tempus ſubnixa ſtetit: quæ utrum ejusmodi eſſent, ut una cum ſede transferri Avenionem poſſent, nec ne, anceps erat & ambiguum. Adhæc Pontifices ex nutu fere Galli pendere,. & in ipſius poteſtate eſſe, ea re cogebantur. Quanquam Galli, maxi-

maximum initio quæſtum & prædam ſe feciſſe rati, non aliud, niſi rerum divinarum nundinationem, varias pecuniæ extorquendæ artes, ſordes, avaritiam, & quoddam, quod nominari fas non eſſet, flagitium, translatione ſedis Romanæ, allata ſibi eſſe conqueruntur. Porro autem Pontificia Aula, quum nativis quaſi ſedibus convulſa, & ad exteros translata ſuas labes ac vitia facilius nudaret & detegeret, in contemptionem apud omnes eſt adducta. Nec minore damno Eccleſiaſtica bona, quæ erant in Italia, abſentia Pontificis affecit. Labefactata enim Imperatorum in Italia auctoritate, & everſis opibus, quum pro ſe quisque principatum invaderet, Guelforum, & Gibellinorum factiones cœlum, quod ajunt, terræ miſcuerunt. Jamque, omni Pontificis reverentia per abſentiam ſublata, ne ab Eccleſiaſticis quidem bonis vim & injuriam tumultuantes abſtinebant. Pontificis Legatos pleræque Pontificiæ ditionis civitates, inſtinctu maxime Florentinorum, exegerunt: eæ poſtmodum in ditionem ac poteſtatem Regulorum maxima ex parte venerunt. Ludovicus Bavarus quoque Imperator, cui cum Pontifice ea tempeſtate etſi haud conveniebat, tamen populus imperio Eccleſiaſtico ſubjectus ei mirifice ſtudebat, eas ſibi terras vindicavit, in clientela fiduciaria Imperatoris eſſe cauſſatus; conceſſitque beneficiariam earum poſſeſſionem iis, qui adverſus Pontificem cum eo ſtabant. Itaque in miſerrimo ſtatu *Patrimonium Eccleſiæ* ea tempeſtate fuit: nec niſi multo poſt amiſſa recuperare Pontifices, nec interea, niſi paucos admodum, dejicere ac detrahere de violenta locorum poſſeſſione potuerunt. Ad ultimum tamen Pontificis jugum, quo ſe exuerat, quodve tamdiu a cervice ſua propulſaverat Roma, accipere rurſus, & ad

obſequium redire coacta eſt, quum caſtellum Sancti Angeli Bonifacius IX ut eo quaſi fræno civitatem in officio contineret, communiiſſet. Potiſſimam autem priſtinas Eccleſiæ poſſeſſiones recuperandi occaſionem & facultatem præbuit Alexander VI. Ei nothus erat Cæſar Borgia nomine; qui factis cum Charlotta Albreta nuptiis, quum Ducatum Valentinum in dotem accepiſſet, vulgo Dux Valentinus appellabatur. Ei quo immenſas opes & totius principatum Italiæ compararet Pontifex, Regulos, qui Eccleſiæ Romanæ provincias tenebant, evertendos, & ditione ſpoliandos ſibi deſtinavit, eo conſilio, ut filii deinceps ditioni eas provincias ſubjiceret, eique in perpetuum firmaret. Nec quod de labefactandis Regulis ceperat conſilium, fortuna deſtituit. Maximam enim ipſorum partem Borgia ſeu vi perdomuit, ſeu inſidiis circumventos ſuperavit. Quamvis autem cupiditate aut ſcelere per fanda nefandaque graſſabatur, non tamen eſt veritus dicere; ſibi conſilii ſui rationem conſtare, nec temere ea agenda ſe ſuſcepiſſe, quæ Pater, & Divini Numinis plenus, & in cujus poteſtate Spiritus Sanctus eſſet, ei permiſiſſet. Ceterum, quum ad ſtipendia militibus perſolvenda pecunia deeſſet, re cum patre communicata, e Cardinalium numero opulentiſſimum quemque, apparato ad id convivio, occidere veneno conſtituit, partim ut eorum facultatibus potiretur, partim ne obſiſtere ipſius conatibus poſſent. Sed pocillator errore quodam deceptus, Pontifici & ejus filio ex lagena veneno ſuffecta miſcuit, atque adeo imprudens venenata pocula utrique miniſtravit. Ita pater lethali veneno in venas diffuſo ſtatim exſpiravit; filius mortem quidem effugit, ſed graviter ac diu ex eo adverſa & infeſta valetudine eſt conflictatus. Is

novi

novi Pontificis creationem ita deinde accommodare ad ſuas rationes non potuit, ut qui declaratus eſſet Papa, ejus conſiliis faveret. Ita Borgiæ conſilium ad nihilum recidit: & paucas admodum hebdomadas imperium Eccleſiæ tenuerat Pius III. quum in ejus locum Julius ſufficeretur, qui quum a Borgia capitali odio diſſideret, quæcunque ille occupaverat, vi recepit, Cæſare ipſo ex finibus Eccleſiæ Romanæ expulſo. Idque variis conſecutus machinationibus eſt, ut quascunque antea provincias Eccleſia tenuerat, ad ultimum recuperatas ſui juris ac ditionis faceret, Ferrara excepta, quæ, germana ſtirpe Principum Eſtenſium, exſtincta, exeunte ſuperiore ſeculo, in poteſtatem Pontificis devenit. Idem quoque Pontifex Gallorum conatus prohibuit, &, ne rerum in Italia potirentur, obſtitit.

§. 25. Florentiſſima res Pontificia & ad ſummum amplitudinis faſtigium perducta videbatur: quod & omnes Occidentis populi, præter exiguas, &, quarum fere nulla habebatur ratio, reliquias Valdenſium in Gallia, & Huſſitarum in Bohemia, in fidem ſe & auctoritatem Eccleſiæ Romanæ contulerant, & controverſiam, quæ inter Julium II. & Ludovicum XII. exorta, ſchiſma parere nullo negotio poterat, mortuo Julio, Leo X. Pontifex feliciter compoſuerat; & veteres denique de ambitione & inſolentia Pontificis querelæ oblitteratæ ferme oblivione erant: in hoc, inquam, pacatiſſimo juxta & feliciſſimo ſtatu res Romana erat: quum ecce res parva dictu tantos in Eccleſia Romana motus concitavit, ut & bona Europæ pars ſe jugo Pontificis exueret, & in ultimum diſcrimen dominatus Pontificius adduceretur. Ceterum, uti inſtituti noſtri ratio fert, breviter ea tantum perſequemur, quæ ab ope homi- Lutherus Papatum concutit.

num atque conſiliis profecta ſunt. Nam arcanam divinæ providentiæ rationem, & occulta opera ſilentio venerari ſupplices nos & mirabundos, quam temere perſcrutari, ſatius eſſe ducimus. Nec incommode aut inepte tranſtuleris ad hanc rem Taciti graviſſimi Scriptoris eſtatum: *Abditos Numinis ſenſus exquirere illicitum, anceps, nec ideo aſſequare.* Erat autem Leo X. perhumanus juxta & moribus commodiſſimis; idemque inſignis magnificentiæ cultor, & in probos ac eruditos homines benignus inprimis atque beneficus, & talis omnino, ut ſi ad eas virtutes mediocris ſaltem rerum divinarum cognitio, & ad officia pietatis colenda propenſio animi acceſſiſſet, pro Pontifice non malo haberi potuiſſet. Is quum, florentiſſimo rerum ſuarum ſtatu, ærarium immoderato luxu & profuſis largitionibus exhauſiſſet; ipſe artium conficiendæ pecuniæ expers, Laurentii Puccii Cardinalis ad eam rem conſilio utebatur. Qui, poſtquam omnes conflandæ pecuniæ fontes exaruerant, ad *Indulgentias*, expeditiſſimam eam ad opes viam ratus, animum adjecit. Itaque eas toto Orbe Chriſtiano venales proponi, & ampliſſima inſtrui poteſtate juſſit, ut non ſolum peccatorum venia vivis juxta & mortuis daretur, verum etiam, feriis eſurialibus, ovis veſcendi & lacte, &c. ementibus eas, copia fieret. Jamque pecuniæ, quæ ex iſta nundinatione redigeretur, ſpe atque animo incubabant belli mercatores, & quaſi anticipatione quadam certis uſibus deſtinabant. Nam quem in Saxonia & finitimis circa regionibus, ad Oceanum pertinentibus, quæſtum facturi erant, eum Magdalenæ, Pontificis ſorori, pro munere aſſignaverant. Et ut ejus quæſtus donatio luculentior eſſet & uberior, pecuniæ iſtius exigendæ provincia demandata eſt Arcim-

cimboldo, qui Epiſcopum nomine cultuque mentitus, Genuenſium mercatorum fraudes ac fallacias moribus ad amuſſim expreſſit. Is viciſſim ea in re non niſi iſtiusmodi hominum opera utebatur, qui quam animoſiſſime licerentur, nec præter lucrum quidquam ſpectarent. Erat autem antiquitus in more poſitum apud Saxones, ut Eremitarum, qui in S. Auguſtini diſciplina erant, tanquam præconum voci, *Indulgentiæ* ſubjicerentur. Iis quum Arcimboldi Procuratores haudquaquam fiderent, veriti, ut erant ad eum quæſtum callidi, ne vel fraudem aliquam admitterent, vel ſaltem non majus ſolito lucrum acceptum referrent: Dominicanis ea cura mandata eſt. Quæ res eo altius Auguſtinianorum Monachorum animos pupugit, quo majorem in ea auctoritatis ſuæ, juris & commodorum jacturam fecerant. Jamque Dominicani, ſuam in novo munere obeundo induſtriam Pontifici probaturi, pro concione merces venales miris ad cœlum laudibus ferebant, ita ut ea res audientium animos vehementer offenderet: quum Procuratores *Indulgentiarum* interim ea, quæ agreſtes ad expianda crimina & noxam redimendam unciatim, genium defraudantes ſuum, comparſerant, in turpiſſimas effunderent voluptates, & per luxuriam fœdum in modum conſumerent. Eam Lutherus, e diſciplina Eremitarum Monachus, occaſionem conatibus impudentiſſimorum nundinatorum ſeſe objiciendi arripuit: & re paullo diligentius expenſa, quum ingentes deprehendiſſet errores, de eo argumento Propoſitiones numero XCV. propoſuit, & publice affixit Wittebergæ anno CIↃIↃXVII. Ad eas refellendas Joannes Tecelius, e familia Dominicanorum Monachus, Propoſitiones quasdam in lucem edidit Francofurti ad Oderam. Ita, quaſi

lite conteſtata, ſuas uterque Theſes & pluribus verbis declarare, & multis argumentis firmare cœpit. A Luthero Ratio & Sacra Volumina ſtabant: Tecelius, quod ad ſuam cauſſam probandam proferret, nihil habebat, niſi quod ſe niti Pontificis & Eccleſiæ auctoritate diceret. Itaque Lutherus longius progredi, & in Pontificiæ auctoritatis rationem & præſentem Eccleſiæ ſtatum diligenter inquirere coactus, quum errores alios ſuper alios, falſasque opiniones, & pravas Eccleſiæ conſuetudines detexiſſet, fraudes & flagitioſam Monachorum ac Sacerdotum vitam perſtringere & palam inſectari cœpit: & ſimul magiſtratibus ejusmodi Eccleſiæ maculas abolendi delendique jus eſſe docuit. Quo conſilio, & ut aliquod ſibi contra adverſarios præſidium compararet, magiſtratuum ordinem, dignitatem, opes, amplitudinem & poteſtatem, de quibus humiliter ad id tempus & contemptim grex Monachorum Sacerdotumque, & ipſe ſenſerat, & juventutem, ut idem ſentiret, erudiverat, magnifice extollere, & acerrime propugnare inſtituit. Quæ initio ſecundis excepta auribus, & ingenti omnium aſſenſione comprobata, longe lateque ſe brevi temporis ſpatio diffuderunt.

Eorundem temporum rerum facies. §. 26. Ceterum, ut intelligas, qui potuerit fieri, ut Monachus, homo tenuis, nec magna ad tantam rem auctoritate munitus, Pontifici Romano tam inſignem cladem afferret, operæ pretium eſt, præter divinæ providentiæ rationem, momenta & inclinationes iſtorum temporum, & qualis animi cujusque affectus, quis motus, quis ſenſus fuerit, paullo accuratius conſiderare. Ac primum quidem omnium conſtat, Lutherum juſtiſſimam cauſſam & firmiſſimis rationibus ſubnixam habuiſſe, ut ei initio etiam ex Theologis multi,

ti, qui poſtmodum conatibus ejus vehementiſſime reſtiterunt, ex Cardinalibus nonnulli, & ipſe denique Georgius, Dux Saxoniæ, faverent. Adverſarios autem habuit tanta improbitate & ſtultitia præditos, ut in ea re quivis vir bonus ingemiſceret. Nec erat quisquam initio, qui certamen partium quodam quaſi contentionis æſtu abreptarum tam longe proceſſurum putaret, ut divortium Eccleſiæ fieret. Quin ne Lutherus quidem ipſe ullam initio defectionem a Pontifice animo agitavit. Nec a Lutheri dogmatis Maximilianus Imperator abhorruit, qui initio, quum ad eum fama Lutheri eſſet perlata, dixiſſe fertur: *Ut cum cura ſibi Monachus iſte ſervetur, ſe enim utili ejus opera uſurum aliquando eſſe.* Ex Monachis tantum & Indulgentiarum Quæſtoribus nonnulli, ne lucri ac quæſtus jacturam facerent, haud ex vano veriti, vociferari, tumultuari, furere; donec ad extremum ex parva ſcintilla ingens excitatum incendium eſt. In miſerrimo quoque loco ſub id tempus collocata res Chriſtiana fuit: cærimoniis & inaniſſimis ritibus totus pene Orbis immerſus erat: nefaria Monachorum cohors ex libidine ſua impune dominabatur paſſim, & indiſſolubili nexu obcæcatas ſuperſtitione mentes irretitas tenebat. Quæ tum vocabatur Theologia, quanta quanta fuit, nil niſi Sophismata docuit. Definiebantur promiſcue dogmata, certatimque Propoſitiones in medium proferebantur. Ceterum, quibus ea rationibus probari, quibusve firmari argumentis deberent, cogitare ne in mentem quidem veniebat. Ad hæc Clericos ejus ætatis, nullo ordinis aut dignitatis diſcrimine, ad unum omnes, vitæ morumque turpitudo in ſummum apud omnes odium & contemptum adduxerat. Qui noviſſime dominati fuerant Pontifices, Alexander VI. & Ju-

lius II. memoriam nominis ſui flagitiis, conſiliis turbulentis, perfidia, arrogantia, aliiſque vitiis Eccleſiaſtica perſona indignis infamem & æterna turpitudinis nota inuſtam poſteritati reliquerant. Qui frugi erant & ceteris meliores Epiſcopi, neglecto rerum divinarum ſtudio, negotiis civilibus & rerum humanarum curis impliciti penitus & illigati erant: multi eorum vitam agebant flagitioſam & cum offendiculo piorum conjunctam, ut venationis & aucupii, quam Sacrarum Litterarum, intelligentiores eſſe viderentur. Clerici & Monachi in denſiſſimis ignorantiæ tenebris verſabantur; & propter flagitia ac probra odio & offendiculo plebi, propter inſatiabilem avaritiam oneri omnibus erant. Porro, qui primi cum Luthero certamen inierunt, inepti, miſeri, inficeti, & magna ex parte diſſolutiſſimi erant homunculi: qui inſolita diſputandi ratione, qua Lutherus utebatur, conſternati penitus & confuſi, quo ſe verterent, quidve primum, quid deinceps agerent, non habebant. Quanquam autem ſuperioribus etiam temporibus multis ſe flagitiis ac ſceleribus Clerici contaminarant, eas tamen labes ſeculorum iſtorum barbaries & ignorantiæ caligo texit. Ceterum, ea monſtra exoriens, poſt renatas in Europa litteras, lux e tenebris eruit, & eorum deformitatem oculis omnium ſubjecit. Tantæ lucis claritatem quum ferre imperiti Sacrificuli & Monachi nequirent, ſuccenſere Inſtauratoribus litterarum, &, quibuscunque rebus poſſent, ægre facere ac moleſtiam exhibere cœperunt: quumque ne ſic quidem quidquam proficerent, rem in religionem vertere, & eruditos fere hæreſeos arguere inſtiterunt. Ceterum, viri docti, deriſa illorum ſtultitia, majori indies ſtudio detegendi ipſorum probra & inſcitiam accendebantur. Itaque

que impudentiſſimi Monachi, ſuſcepto temere cum Joanne Reuchlino certamine, quum hæreſeos etiam innocentem accuſare omni ope niterentur, turpiſſime ſe dederunt, &, ni fallor, eruditiſſimo Ulrico Hutteno, Equiti Franco, probabilem, eos facetiſſimis illis, *obſcurorum*, ut vocant, *virorum epiſtolis*, acriter perſtringendi cauſſam præbuerunt. Magna animorum contentione & incredibili odio bellum inter Propugnatores bonarum artium & Inſectatores gerebatur, quum novum cum Luthero certamen intervenit. Monachi igitur eruditos illigare cauſſæ Lutheri contendebant, ut pari utroſque clade opprimerent. Ea re factum, ut in Germania bonarum litterarum cultores plerique omnes fere Lutheri partes ſequerentur. Nec diffiteri poſſumus, magnum in Eraſmo Rotterodamo momentum fuiſſe ad ſuperſtitionem profligandam. Is quippe pravas conſuetudines multoſque errores pridem detexerat & reprehenderat, Theologiam Scholaſticam rejecerat, homines, ut omiſſis nugis Sacras Litteras & Sanctorum Patrum Scripta evolverent, hortatus erat, barbariem denique a Monachis & Sacrificulis invectam perſtrinxerat: Lutheri quoque cauſſam initio approbabat, etſi præfervidum & acerbum nimis ſcribendi genus, quo Lutherus utebatur, ei non admodum probaretur. Atque vel ipſo ſilentio adverſariis Lutheri Rotterodamus vehementer nocuit. Etenim quum omnium Theologorum eruditiſſimus eo tempore & præſtantiſſimus haberetur Eraſmus, plerique eum ad Lutherum ſcriptis redarguendum adjecturum animum haud dubie fuiſſe ſuſpicabantur, ni juſtam ac bonam cauſſam habere Lutherum intelligeret. Nam, qui deinde ab eo in lucem eſt editus liber de *Libero Arbitrio*, ad inflectendos animos hominum haud-

haudquaquam efficax fuit: quippe ſatis apparebat, cum aliorum inſtinctu potius, quam ſua voluntate, ad ſcribendum acceſſiſſe. Nec argumentum erat ejusmodi, quod ad ſummam rei aut caput controverſiæ pertineret: & a Luthero inſuper ſtrenue confutatus Eraſmus erat. Præterea Principes & Ordines Germaniæ perinique ferebant, quod eis multa & graviſſima onera imponere Pontifex Romanus in animum induxerat. Nec enim eos fefellit, id agi, ut, emunctis argento Germanis & per fraudes ſpoliatis, materiam luxus & aulici apparatus Romanus haberet. Ingens quoque qui a Turcarum eruptione impendebat metus, ac turbæ, quibus per id tempus Carolus V. Franciſcus I. & Henricus VIII. armis inter ſeſe per multos annos decertantes, involvebantur, magnum ad eam rem momentum habuerunt. Neque enim in tanta rerum perturbatione ullum de iſta altercatione cogitandi aut deliberandi ſpatium erat. Sunt qui dicunt, Carolum V. ipſum, propagandi Lutheri dogmata, & late per Germaniam ſpargendi anſam ultro præbuiſſe, in ſpem erectum, fore, ut orta diſſenſione, per eam occaſionem Ordines Germaniæ labefactet & evertat; ipſe principatum & dominationem Germaniæ occupet, & in perpetuum ſibi firmet. Alioquin enim gliſcentes incendii ſcintillas, antequam exardeſcerent, exſtinguere nullo negotio potuiſſet, ſi Lutherum comprehenſum Wormatiæ occidere voluiſſet, anno CIↃIↃXXI. Quod factum pro leviuſcula fraude, qualem in regnandi artibus Politici numerant, haberi potuiſſet. Sed utrum, Luthero contra datam fidem exſtincto, ſimul ipſius ſecta & diſciplina interitura fuiſſet, nec ne; nondum ſatis liquet: propius vero & credibilius eſſe videtur, Imperatorem, adoleſcentem adhuc, nec pro-

propter imbecillitatem ætatis futuri providum, haudquaquam proſpexiſſe, tantos eam rem progreſſus habituram: nec e re ſua duxiſſe, aliquid committere, quo Electoris Saxonici, cujus tum magna auctoritas erat, animus offenderetur. Multo majori ei impedimento, quo minus Principes Germaniæ aggrederetur, fuerunt bella, quæ cum Gallo atque Turca ea tempeſtate ſimul gerebat: præſertim quum Franciſcus, Rex Gallorum, aggregare ſe ad Principum iſtorum factionem, & cum iis fœdera percutere cœpiſſet. Illud utique conſtat, prætexuiſſe Imperatorem poſtea belli Ordinibus Proteſtantibus inferendi cauſſam ſpecioſo Religionis titulo, ut iis labefactatis ad principatum & dominationem Germaniæ viam ſibi muniret. Quanquam autem bello Smalcaldenſi ſecunda Cæſari fortuna fuit: tamen, quum Principum ope, ſive auxilium adverſus Gallum peteret, ſive Imperatoriam dignitatem transmittere in Philippum filium vellet, carere nullo modo poſſet, conſilia ad exitum perducere, & feliciter cœpta pari perficere fortuna nequivit. Quin etiam Paulus III. ipſe Pontifex, ſecundis Imperatoris rebus anxius atque ſollicitus, ac, ne expurgata ab inveteratis vitiis aula Romana in antiquum ſimplicitatis & integritatis locum res Pontificia reſtitueretur, miſere metuens, Gallum, ut increſcenti Imperatoris potentiæ ſeſe objiceret, nec Proteſtantes funditus interire (etiam ſi Turcæ ad id opem implorare neceſſe foret,) pateretur. hortatus eſt. Ipſe denique Pontifex multa ſibi mala, ſua ipſius culpa, arceſſivit. Graviſſime quippe in eo offenderat Leo X. Pontifex, quod præfervido ſtudio & calido nimis conſilio nundinatores Indulgentiarum defendendos ſuſceperat: quæve in controverſiam & diſceptationem vocari cœpta erant, novo di-

diplomate anno cIↄIↄxIx. a. d. Ix. Nov. promulgato, definiverat & dijudicarat, omnemque adeo rei conditionibus tranſigendæ aditum præcluſerat, omni inſuper ſpe pacis ac compoſitionis Luthero inciſa. Magis autem Pontifici expediebat, medium ſeſe gerere, &, imperato utrique parti ſilentio, Lutherum benignitate & blanditiis delinire. Inſigni quoque temeritatis juxta & imprudentiæ documento Cajetanus Cardinalis inclementius tractare Lutherum inſtitit Auguſtæ Vindelicorum anno cIↄIↄxIx. quumque Lutherus ad ultimum pollicitus eſſet, ſe nec vocem nec ſcriptum ullum contra adverſam factionem poſthac editurum, modo, ut idem facerent, adverſariis præciperetur: eam conditionem Cardinalis repudiavit, & Lutherum ad extrema deſcendere, atque directo petere ipſum Pontificem & oppugnare coegit; nec ſaniore incœpto adigere & compellere tanti animi virum ad ſua ſcripta ſua ipſius confeſſione damnanda conatus eſt. Facile equidem concedi Luthero poterat, nonnullas moribus Clericorum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ labes & maculas inſediſſe, dummodo ne dogmata Eccleſiæ in diſquiſitionem vocare, & inveteratas opiniones refellere in animum induceret. Ceterum, quum ab Electore Saxonico Pontifex contenderet, ut Lutherum ſibi traderet; hic neceſſitate coactus, & ſimul veritus, ne Pontificis preces Elector auribus admitteret, quam iniqua ejus poſtulata eſſent, ſua autem cauſſa quam firmis niteretur rationibus, multis ſubinde argumentis demonſtravit. Poſtea vero, quum ad Concilium Lutherus provocavit, cauſſam ſuam Pontifex inprimis ſuſpectam reddidit, quod varia & inepta cauſſando illud tamdiu procraſtinavit, ut eum ſuæ cauſſæ, ſi procul ira, cupiditate, metu, atque adeo procul omni par-

partium ſtudio ea diſceptaretur, diffidere ſatis appareret. Intempeſtiva quoque & a ratione temporum fuit aliena contentio & inimicitia, quam cum Henrico VIII. Anglorum Rege Pontifex ſuſcepit. Rex enim, ut quam maximum Pontifici dolorem inureret, in Anglia primus quaſi fores Religioni Euangelicæ patefecit. Eam quoque Navarræa domus vehementer propagavit & ſtabilivit apud Gallos, incitata, ut nonnulli putant, odio in Pontificem, qui Ferdinando Catholico occaſionem ſubigendæ Navarræ præbuerat. Inter ipſos denique Pontificios complures erant viri boni, qui ſordidiſſimam flagitioſiſſimamque Monachorum juxta & Clericorum vitam paullo acrius exagitari a Luthero, &, quod ajunt, malo nodo malum quæri cuneum, haud ægre ferebant. Ita ad Divinæ voluntatis nutum ſe cuncta accommodabant, ut, quæ ab æterno Deus decreverat, perficerentur.

§. 27. Ceterum, quo minus latius Lutheri dogmata manarent, & Pontificiam dominationem ſectamque funditus everterent, res complures impedimento fuiſſe videntur. Ac primum quidem omnium illud oportet attendere, poſtquam remiſſo Pontifici nuntio nonnulli Reges, Principes, Respublicæ, & Civitates ab Eccleſiæ Romanæ corpore ſeſe abſciderunt, fieri non potuiſſe, quin penes eos, qui Reip. cum imperio præeſſent, ſummum etiam rerum Eccleſiaſticarum jus & arbitrium eſſe protinus inciperet. Quod ſi enim unus eorum principatum ſibi in reliquos eandem ſacrorum diſciplinam ſequentes, & Eccleſiæ regimen vindicaſſet: ceteri tamen, pari ſe jure & loco cenſeri oportere contendentes, obſequium ei conſtanter abnuiſſent. Quæ res multa diſcordiæ ſemina ſparſit, impediitque, quo minus eodem, quo

Lutheri doctrina cur ſuffiaminata?

a

a Pontifice Proteſtantes oppugnantur, animorum conſenſu res geri adverſus Pontificem poſſet. Nec principio ad inſtaurandam Eccleſiam atque ordinandam, certo quodam conſilio, aut accurata de ſingulis rebus deliberatione habita, & novi regiminis forma quaſi animo præcepta, acceſſerunt; ſed nec opinato in eam rerum converſionem inciderunt; nec niſi ex tempore capere conſilium potuere; itaque factum, ut temporaria quædam, &, ut ita loquar, tumultuaria tantum rei Eccleſiaſticæ deſcriptio initio inſtitueretur. Lutherus etſi primus certamen cum aſſeclis Pontificis inivit, &, quod ajunt, crabrones irritavit, tamen ad ejus ſe nutum ac voluntatem omnibus in rebus accommodare reliqui recuſabant, & ſe quoque aliquo numero & nomine eſſe cupiebant. Itaque orta inter eos altercatione, quum, qui pro ſua auctoritate controverſias dirimeret, nemo exiſteret, & in ſua quisque ſententia præfracte perſiſterent, inteſtina quædam partium contentio eſſe cœpit, ac furere Proteſtantes, communis hoſtis obliti, in ſua ipſorum viſcera cœperunt. Ea res aſſeclis Pontificis probabilem criminandi cauſſam dedit: Hæreticos, poſtquam ſeceſſionem ab Eccleſia Romana fecerunt, in tantum errorum labyrinthum incidiſſe, ut nec, quibus ſe induiſſent, erroribus expedire ſeſe, nec fidei ſuæ ac dogmatum rationem explicare ipſi poſſent. Permulti quoque Evangelii nomine ad ſummam improbitatem & nequitiam abutebantur, perinde quaſi libertas in effrænata quadam licentia & vitiorum omnium colluvie conſiſteret. Quæ res itidem carpendi diſciplinam Lutheri auſam Pontificiis præbuit: præſertim quum is flagitioſam Clericorum vitam acerrime perſtrinxiſſet, & ea re magnam hominum multitudinem in ſuas partes pertraxiſſet. Incommode

mode quoque & cum magno exonentis lucis detrimento, accidit, ut Lutheri diſciplinam & inſtitutum ingens hominum fanaticorum & monſtroſorum examen, toto paſſim Orbe volitans, exciperet; veluti Anabaptiſtæ & ſimiles de eodem genere: ut item agreſtes furere & tumultuari in Germania, & periculoſiſſimam facere ſeditionem inſiſterent. Quæ quidem mala ſectatores & mancipia Pontificis diſciplinæ & inſtituto Lutheri adſignabant. Itaque ex potentioribus & principibus viris multi, intolerandam & infinitam plebi licentiam ea doctrina dari ſuſpicati, quum Clericorum jugum quodammodo ferre, quam vulgi inſolentiam tolerare mallent, atque adeo majori malo minus anteferri ſatius eſſe ducerent, omnibus viribus obſiſtere doctrinæ Lutheri, ne longius ſerperet, cœperunt. Sunt, qui aliquam retardati curſus Evangelii culpam Academiæ Pariſienſi adſcribant. Lutherus quippe, quum ſuam cum Eccio controverſiam dijudicandam ei commiſiſſet, ratus, ut fertur, ob *Sanctionem*, ut vocant, *Pragmaticam*, de creandis Epiſcopis, abrogatam, Leoni X. Pontifici infenſam eam & in omnem ultionis occaſionem intentam eſſe, graviſſimo Academiæ & acerbiſſimo judicio damnatus eſt. Hiſpanus item, cognito, ad inſtitutum ſuum inprimis pertinere, ut ſe Pontificiæ dominationis defenſorem & propugnatorem ferret, reſiſtere conatibus Proteſtantium, dogmata ſua longe lateque ſpargentium, omni ope contendit, ac tam firmo præſidio factionem illam Gallicanam, quæ vulgo *Liga* dicebatur, defendit, ut, ſi Regno potiri vellet Henricus IV. ejurare diſciplinam Reformatorum cogeretur. Illud quoque nonnullis obſervatum eſt, magnum Evangelicæ Religioni detrimentum attuliſſe Zwinglium, & deinde

Calvinum. Ii quippe, quum magna nimis & præcipite rerum converſione tam ea, quæ ad externam Eccleſiæ formam & cultum Religionis, quam quæ ad arcana ſacrorum myſteria pertinent, immutaſſent, dum alterum vitarent extremum, in alterius confinia incidiſſe, quibusdam videntur. Nam Lutherus de iis rebus inſtitutis, quibus populus antiquitus adſuetus erat, perpauca immutaverat. Ornamenta templorum, æris campani tintinnabula, organa, cereos, & ſimilia intacta reliquit: *Miſſam*que, uti vocant, maxima ex parte initio retinuit, additis modo quibusdam precationum formulis, lingua vernacula conſcriptis. Itaque Lutherus velut Everſor quidam pravarum conſuetudinum, & Corrector & Emendator Eccleſiæ, non tanquam novorum Inventor dogmatum, omnium fere ſermonibus ferebatur. Jamque excuſſurus Pontificis jugum totus pene Orbis videbatur, quum in Helvetia Zwinglius, in Gallia Calvinus interveniunt. Ii tantum abeſt, ut eandem inſiſterent viam, ut potius pro concione invehi in præſentiam corporis Chriſti, quod ſacro fruſtulo contineri Lutherani contendebant, abolere ritus & cærimonias, tollere ornamenta, reliquias rerum Religioſarum rejicere, altaria & ſigna confringere & evertere, omnem Hierarchiæ ſeu imperii Eccleſiaſtici deſcriptionem abrogare, &, ut verbo dicam, omnibus iis rebus, quæ inprimis oculos hominum atque ſenſus exteriores allicere ac detinere ſolent, nudare Religionem inſtiterunt. Quapropter multitudo ab illis Doctoribus averſa, majori indies ſtudio ejus cultus, quem a majoribus per manus traditum acceperant, accendi cœpit. Ingentes, quibus Eccleſia affluebat, opes aliam apud alios vim habuerunt ad diſciplinam Lutheri propagandam. Alii quip-

quippe earum cupiditate illecti ab Eccleſia Romana deſciverunt; alii & maxime Eccleſiaſtici ordinis viri, quorum ad defectionem alioquin inclinata voluntas videbatur, vel ſolo metu, ne non ſatis æquo animo opimis vectigalibus carerent, compulſi, in fide & auctoritate Pontificis manſerunt. In Gallia equidem compertum habemus, Eccleſiaſtici ordinis viros, quum ante inſtauratam Eccleſiæ Orthodoxæ diſciplinam, non minus ipſi, quam plebeji, Pontificis auctoritatem haud magni facerent, poſteaquam interitum ſibi ab Religione Reformata impendere intellexerant, ut ſuas opes tutarentur, arctiſſimo ſe ſocietatis vinculo conjunxiſſe Pontifici Romano. Incredibili quoque Reformatos odio plebeji proſequuntur hoc tempore in Gallia, & omnibus modis exagitant.

§ 28. Pontifex, & ſuorum animis a ſuperiore pavore recreatis, & orta inter eos ipſos, qui adverſæ partis erant, diſſenſione, quum melioribus in ſpeciem inſtitutis dominationem muniviſſet, ita ſuas opes reſtituit firmavitque, ut non ſolum nihil ei detrimenti afferre Proteſtantes amplius poſſent; ſed ipſe etiam ultro eos laceſſeret, & pedetentim ex amiſſis nonnulla recuperaret. Nam quibus rebus factum erat, ut tantas a Luthero clades res Pontificia acciperet, eas aut abrogavit omnino & ſuſtulit, aut tolerabiliore ratione temperavit, ut fieret illud: *Si non caſte, tamen caute.* Atque iisdem omnino armis, quibus oppugnatus a Luthero erat, uti deinde adverſus ejus Sectatores cœpit. Neque enim, ut ante, Pontifices tam inſolenter inſultare Regibus potentiſſimis & Principibus auſi ſunt; ſed multo mit us & humanius tractare eos inſtiterunt. Superiori equidem ſeculo cum Hiſpano Paulus IV. Pon- *Papatus ſenſim rurſus emergit.*

 tifex,

tifex, hoc ſeculo cum Rep. Veneta Paulus V, temere uterque & admodum imprudenter, inimicitias ſuſceperunt: ceterum, prudenti quorundam pacificatione extemplo compoſita res eſt, antequam ſtudiis certantium in magnum malum excederet. Ex eo tempore Pontifices uſu didicere, præfervida & calida nimis conſilia nequaquam rationibus ſuis conducere. Nec mora ulla fuit, quin ad ſanitatem mentis Paulus V. revocaretur; poſteaquam ei Orator Gallicus perſuaſerat, Venetos, evocatis ad ſe Geneva Paſtoribus, in eo eſſe, ut relicta Eccleſia Romana Reformatorum ſacra & diſciplinam in ſuam Remp. introducant. Nec inſequentibus temporibus Pontificatum geſſerunt homines aut luxu perditi, qualis Alexander VI. fuit, nec ab inſito armorum ſtudio turbulenti, veluti Julius II. Sed ad occultas artes & aſtuta conſilia verſi Pontifices, id egerunt, ut, omiſſa aliarum rerum cura, pacis conciliandæ & tranquillitatis publicæ conſervandæ ſtudium unice præ ſe ferre viderentur. *Indulgentiarum* vitio & rerum ſacrarum nundinationibus, quæ populum vehementer offenderant, aut penitus abolitis, aut mitiore ratione temperatis, aliam & multo leniorem fraudandi homines & emungendi pecunia viam ſunt ingreſſi: Epiſcopi quoque plerique omnes, quum ſuperiores vitæ ſordes magna ex parte delerint, ad frugalitatem ſe contulerunt quodammodo, & perſonam nunc ſuam majore cum dignitate & gravitate ſuſtinent: multique inter Ordines Eccleſiaſticos numerantur viri, ingenii, virtutis, prudentiæ & eruditionis laude præſtantes. Vulgus item Sacrificulorum Monachorumque, reſecto magna ex parte quod diſtortum in moribus erat, vitam illam belluinam & flagitiis coopertam, non ut olim, adeo frequens

agit. Magnam quoque hominum multitudinem initio Lutherus & ejus ſectatores ſibi conciliarunt, & in ſuam ſententiam adduxerunt concionibus probis & eruditis : multos ad pietatis & religionis officia inſtituerunt libellis, quos ad animos fidelium pietatis, precum, ſanctitatis & reliquorum cultus divini miniſteriorum amore & ſtudio inflammandos, lingua vernacula conſcriptos, ediderunt. Utrumque imitati Pontificii magnum deinde Sacerdotum præſtantium, & libellorum, elegantiſſimis precationum formulis & optimis ſanctitatis præceptis inſignium, proventum habuerunt. Adeo ut cauſſæ nihil ſit, cur Pontificiis, quod ad externas illas animi & ingenii dotes, morumque in ſpeciem integritatem attinet, Clericus Proteſtantium, in comparatione ſui magnopere quidquam exprobret. In controverſiis quoque cognoſcendis multum operæ poſuerunt, & ad ea, quæ ipſis objiciuntur, utcunque diluenda, vel ſexcentas diſtinctiones in promptu habent, veluti, quum nihil ineptius aut abſurdius peccatorum in viginti aut triginta millia annorum remiſſione excogitari poſſit, levi tamen verborum & diſtinctionum futilium, *intenſive & extenſive*, *potentialiter & actualiter*, prætextu probabilem reddere falſitatem conati ſunt: quibus ineptiis & improvida adoleſcentum ſtudioſorum ætas mirifice capitur, & ingens ſub iis latere myſterium imperiti, pro offuſa animo caligine, ſuſpicantur. Quumque Lutheri ætate Clericorum inſcitia & barbaries, & in eruditos odium tam ingenti clade rem Pontificiam afflixerit; Pontificii, & maxime Lojolitæ, aliam inſiſtendam viam rati, acrius ad erudiendam bonis artibus juventutem animum intenderunt, & ſuis in locis quoddam quaſi monopolium eruditionis ſibi vindicare aggreſſi ſunt:

 adeo

adeo ut non ſolum detrimentum nullum, ſed ingens etiam commodum eis ſtudia litterarum afferant. Nec ferro jam ac igne ad propagandam rem Pontificiam graſſantur, ſed blanditiis, promiſſis & beneficiis illectos Principes Proteſtantium in ſuam ſententiam adducere nituntur. Quod ſi quis deſciſcere ad eos in animum induxerit, expeditiſſimus ei ad opes & dignitates aditus patet: cujus rei magnam præ aliis facultatem habent; adeo ut quemvis etiam inertem, &, ut ille ait, *fruges conſumere natum*, alere nullo negotio poſſint. Contra, qui tranſitum ad partes Proteſtantium facit, eum, niſi aut domeſticas ſecum opes afferat, aut inuſitatis animi & ingenii dotibus ſit præditus, præter famem nullum defectionis præmium manet. Haud parum denique momenti ad amplificandam rem Pontificiam habuit Domus Auſtriaca: ea quippe Proteſtantes ex hereditariis provinciis Germaniæ, & Regno Bohemico, ac ſubjectis ei regionibus, & proxime ex Hungaria, præter paucos admodum, omnes ejecit, aut ad ſacra Pontificia ſuſcipienda compulit.

Status Pontificis Politicus. §. 29. Ex iis, quæ hactenus commemoravimus, liquet, quænam Eccleſiaſticæ dominationis primordia in Occidente, quæve incrementa fuerint. Operæ pretium eſt, interiorem ejus compagem, quibus contineatur vinculis, quibusve fulcris ſuſtentetur, contemplari. Ea ut facilius intelligantur, haud alienum fuerit, bifariam de Pontifice Romano diſſerere: vel ut de Principe quodam Italiæ, vel ut de Domino & Arbitro Eccleſiæ, quæ in Occidente eſt. Quod ſi ejus, tanquam Principis Italici, habeatur ratio, tantis equidem opibus pollet, ut in cenſum magnorum in Italia Principum referri poſſit. Ceterum, eo tantummodo reſpectu ceterorum fere Europæ

Re-

Regum ac Principum opes haudquaquam æquat. In Italia urbem Romam Pontifex cum iis agris, qui in ulteriore & citeriore Tiberis ripa poſiti in ejus urbis ditione ſunt, Ducatum Beneventanum, qui in Regno Neapolitano eſt, Spoleti item, Urbini, Ferraræ Ducatus, Marchionatum Anconitanum, complura Hetruriæ loca, Flaminiam item ſeu Romaniolam, & in ea Bononiam & Ravennam urbes, tenet. In Gallia Comitatum Avenionenſem in poteſtate ſua ac ditione habet. Parmenſis Ducatus in clientela fiduciaria Eccleſiæ Romanæ eſt: conceſſitque eum beneficiario nomine filio ſuo Petro Ludovico Farneſio Paulus III. Pontifex. Poſt id tempus interdicto quodam cautum eſt, ne vacuas Eccleſiæ poſſeſſiones beneficiarias aliis Pontifex traderet, vel ullo bona Eccleſiaſtica beneficiario nomine cuiquam concederet: idque eo factum eſt, ut ne Pontificis opes imminuerentur, & ſi quando vectigalia, quæ extrinſecus ei proveniunt, demerentur, eſſet, unde ſe ſuosque alere & ſumtus aulæ ſuſtinere poſſet. Regni quoque Neapolitani poſſeſſionem beneficiariam tradendi cuilibet jus habet Eccleſia Romana. Cujus rei ut exſtet documentum aliquod, Pontifici aſturconem album & aliquot aureorum millia tradi quotannis Rex Hiſpaniæ jubet. Cetera, quæ ſibi Pontifex in varias terras vindicat, jura, Principes conſtanter ei abnuunt hoc tempore. Quæ in ditione Pontificis ſunt terræ, & frequentes incolis, & admodum fertiles, & multis oppidis iiſque ſatis amplis conſpicuæ ſunt. Vectigalia duorum, ut vulgo vocant, millionum ſummam explere perhibentur. Ceterum, ne nimias ſibi opes populares compararent, ſatis ſuperque cautum ac proviſum eſt a miniſtris Pontificis. Quanquam autem in iis regio-

nibus ſatis magnus hominum rei militaris peritorum proventus eſſe videatur; tamen quum aliam plane, atque reliqui Principes, viam ſui defendendi ac tutandi Pontifices inſiſtant; nihil eſt, quod eorum copias rei bellicæ magnopere prædicemus. Viginti circiter triremes armatis inſtructas habent, quibus tutiſſimam & perpetuam ſtationem portus *Civitatis Veteris* (vulgo *Civita Vecchia*) præbet. Inter arcana ſtabiliendæ dominationis conſilia nihil fere Pontifex (quatenus Principis, ut vocant, ſecularis perſonam ſuſtinet) antiquius habet, quam ut & pax conſervetur in Italia, & ejus imperia, ita, uti nunc ſunt, diviſa in perpetuum ſint inter Regulos, neve quiſpiam in ea exiſtat, qui tantis polleat viribus, ut unus reliquis præſcribere leges poſſit. Providere item & cavere inprimis debet, ne, trajecto mari, Turca ſedem in Italia capiat. Quod ſi is infeſto eam exercitu ingreſſus fuerit, non ſolum omnem Italiam conjungere vires, verum etiam univerſum orbem Chriſtianum, ſuis excitum ſedibus, evocari ad opem ferendam, communemque hoſtem repellendum, oporteret. Neque enim reliquæ Europæ gentes æquo animo tulerint, in Barbarorum poteſtatem terram nobiliſſimam venire. Ab Imperio Germanico, dum in eo, in quo nunc eſt, ſtatu res Germanica ſtabit, nullum Pontifici periculum impendet. Quod ſi vero eveniret, ut unius imperio Germania regeretur, periculum eſt, ne in antiquum jus repetere Italiam dominus & arbiter Germaniæ inſiſtat. Hiſpanus Galluſque ſoli exitium afferre Pontifici, aut terrorem ſaltem incutere poſſunt. Adverſus eos hoc conſilio utitur Pontifex, ut aut mutuis eos bellis diſtentos a ſe avertat, aut vires utriuſque ita exæquet modereturque, ne alterum alter dele-

delere penitus aut evertere poſſit. Ceterum, Pontificem vehementer optare, ut ex Italia, maxime Regno Neapolitano, Hiſpanus pellatur, facile crediderim. Sed ſi per ſe ipſe tantam rem aggrederetur, cœptis haud temere fortuna reſpondebit. Quod ſi vero Gallorum opera Hiſpanos pellere poſſeſſione Neapolis niteretur; id ſcilicet conſequeretur, ut, dum minus vitat malum, in majus incidat. Itaque ſatis habeat Pontifex, neceſſe eſt, providere, ne ulterius in Italia imperium Hiſpanus proferat: & ſane, ſi longius ibi graſſari vellet, ad ejus impetus retundendos Gallus & Principes Italiæ promti paratique forent. Nihilo æquiore animo laturus eſſe Pontifex videtur, Gallum ſuas opes in Italia ita firmare, ut ad nutum & arbitrium ſuum moderari omnia & circumagere poſſit. Id præcavere Pontificem inprimis oportet. A reliquis Principibus ac Rebuspublicis Italiæ, quod ſibi metuat Pontifex, nihil eſt. Tametſi enim occulto eum odio proſequantur, propterea quod & infinita rerum divinarum poteſtas eis formidabilis exiſtit, & inter eos nonnulli male habiti a Pontifice & injuriis affecti ſunt, in ſpeciem tamen venerari eum & colere coguntur, & ne cogitare quidem de potentia ejus infringenda ſuſtinent. Iidem tamen nequaquam patiuntur, Pontificem adverſum quemquam eorum quidquam moliri, aut aliquo Italiæ Regulo poſſeſſionibus & ditione everſo, imperium latius propagare. Italorum enim gens, ut eſt prudentiſſima & propter æmulationem potentiæ ad omnia intenta, inteſtinas ſuorum Principum vires ita librat & exæquat, ut ne quis unus ſe ſupra ceteros efferat.

§. 30. Quod ſi Pontificis, tanquam Domini & Arbitri Reip. Chriſtianæ, Servatoris noſtri vi- *Peculiares Papatus pro-*

prietates. ces in hiſce terris gerentis, rationem habeamus: tam ſubtilis & ſolers deſcriptio Monarchiæ Eccleſiaſticæ eſſe deprehenditur, ut poſt hominum memoriam non aliud corpus majori conſtructum artificio & venuſtiore ratione compoſitum eſſe videatur. Quo longius ab eo ſcopo, quem ſibi reliquæ Reſpublicæ propoſitum habent, ratio rei Pontificiæ recedit, quove futilior & inanior ei dominationi titulus prætexitur, eo majori artificio & calliditate opus fuit ad eam inſtituendam pariter & conſervandam. Reliquæ enim Reſpublicæ præter ſecuritatem & otium nihil ſpectant: atque earum rerum gratia cives non ſolum opes ſuas ac facultates conferunt,ſed vitam etiam periculis objicere non dubitant, ut ejusmodi ſibi præſidium comparent, quo domi foriſque pace frui, & ab injuriis & impetu hoſtium tuti eſſe poſſint. Idque curare unumquemque eorum civium oportet, ut ſuis ſeſe opibus, ſeu hereditariis, ſeu ſua ipſius induſtria & labore partis, ſuſtentet. At vero Pontificiæ dominationis ea ratio eſt, ut ad opes, auctoritatem & divitias Pontificum & Cleri omnia referat: ceterum, quo ſecuritati ſuæ conſulant, & imperium ſibi firment, alienis niti opibus Pontifices conſueverunt: nec enim artes eis ad perſuadendum idoneæ, & ſcitæ machinationes deſunt, quibus ad ſerviendum commodis Pontificis imperiti mortales impellantur. Quumque alioquin ceteræ Reſpublicæ in exercitus & præſidia locorum ſuſtentanda magnas facere impenſas neceſſe habeant: Pontifici e contrario ſuæ ipſius copiæ, quantumvis magnæ, non ſolum non impendio aut oneri, ſed lucro inſuper & emolumento ſunt. Quumque prudentiores Rerump. moderatores imperii intra terminos coercendi auctores ſemper fuerint: Pontificem quod ea cura tangat, nihil eſt:

eſt: neque enim, etiamſi in Indiam ad Orientem verſam, & in Americam, quæ Occidentem ſpectat, imperium proferret, ullum ex ea re incommodum Pontifex aut periculum ſentiret. Tum & recta ratio, & divina præcepta luculenter evincunt, juſtam eſſe & legitimam ſummorum imperantium poteſtatem: nec enim ſine ea homines vitam honeſte, tranquille, commode, ſine confuſione rerum, ſine tumultu, tranſigere poſſunt. Fieri autem nullo modo poteſt, ut ejusmodi ſpecioſum Pontificiæ dominationis titulum, & tam firmis ſubnixum fundamentis, quisquam in medium proferat, aut ſaltem demonſtret, nihilo magis ſalvam eſſe rem Chriſtianam ſine arbitro rerum divinarum, & capite quodam Eccleſiæ poſſe: quam ſine civili imperio & magiſtratibus tranquillitas generis humani & ſalus conſervari queat. Quæ ſi cui ad credendum difficilia videntur, vel unicam, ſed firmam, quæve id dilucide evincat, rationem afferat; & erit nobis magnus Apollo. Quod ſi vero provocare ad auctoritatem Sacrarum Litterarum & divina præcepta collibitum fuerit; id inprimis probari enucleate & dilucide, omnibus in capitibus, quæve ex iis manant, concluſionibus & pronuntiatis oportet; Servatorem noſtrum, miſſis in omnes Orbis partes Diſcipulis, ad Chriſtiana ſacra propaganda, non ſolum poteſtatem ſpargendi ejus doctrinæ ſemina ubique gentium feciſſe, ita ut nemini mortalium liceret, eos aut a concionibus prohibere, aut ad dogmata ſua vel nova acceſſione augenda, vel mutilanda compellere, (id quod dubitationem non habet) verum etiam facultatem eis dediſſe Sacerdotia & ſacrorum Chriſtianorum miniſteria, quot & quibus vellent, ſine auctoritate magiſtratuum etiam vera & orthodo-

xa religione imbutorum, demandandi, & ut ii viciſſim ſuum ordinem ſine modo & more augeant & amplificent, omnibus invitis & inconſultis, etiam iis, quorum ea re legitima poteſtas imminueretur, concedendi. Sacerdotibus item, quum inſtar cicadæ rore victitare nequeant, fas eſſe opes omnibus modis comparare, non ſolum quantæ ad uſus vitæ ſatis eſſent, ſed ad luxum etiam & magnifici cultus apparatum. Jam, qui ſe in Monachorum Sacrificulorumque diſciplinam tradiderint, nec ipſos poteſtati Magiſtratuum eſſe ſubjectos, nec bona quocumque modo ab eo Ordine parta, quamvis & ex facultatibus Reip. promanarint, & in finibus ejus poſita ſint, & ejus firmata præſidio defendantur: ita ut magiſtratibus haud liceat ejusmodi bonis vel onera imponere, vel modum definire, vel in alios uſus avertere. Ei quoque Ordini, ſive ſacrorum miniſteriorum, ſive facultatum & poſſeſſionum agenda cura eſſet, ſummo cum imperio præeſſe debere alium ejusdem Ordinis: nec in eum Ordinem aut bona ejus multo plus juris habere ſummos Magiſtratus, etiamſi vel increſcens nimis multitudo ſacri Ordinis vel petulantia exitio Reip. foret: nec ſalva ea eſſe, aut ſaltem florere ſine ejus opibus poſſet: impetrari autem eas, niſi Præfectus ejus Ordinis ſua ſponte conſentiat, nefas eſſe. Hæc, inquam, talia plana fieri & firmiſſimis rationibus oſtendi a Pontificiis debent. Adhæc, quædam rei geſtæ capita luculentis comprobari argumentis neceſſe eſt. Ac primum quidem, rerum divinarum poteſtatem & imperium Eccleſiæ ſoli Petro Apoſtolo delatum eſſe a Chriſto, nec e reliquis Apoſtolis quemquam in ſocietatem regiminis ulla ex parte adſcitum; atque eam dignitatis exſuperantiam non ſolum penes ipſum

Pe-

Petrum eſſe debuiſſe, verum etiam pari jure iis, quos in eo loco, ubi ipſe Epiſcopatum geſſiſſe traditur, ſucceſſores habiturus eſſet, in perpetuum eſſe transmiſſam. Item, Petrum unquam Romæ fuiſſe Epiſcopum, & imperium Eccleſiæ ibidem geſſiſſe, eique urbi nec alii, in qua ſacra Chriſtiana popularibus tradiderat, ſummam rerum divinarum poteſtatem in perpetuum attribuiſſe, & propriam eſſe voluiſſe. Quæ quidem pronuntiata & concluſiones quum probari & Sacrarum Litterarum auctoritate firmari vix ac ne vix quidem poſſint; providere Doctores Pontificios & cavere inprimis oportet, ne quæſtionem eam ſimpliciter nimis & accurate auditoribus proponant; ſed vel perplexis verbis rem totam involvere, vel levi, quod ajunt, brachio pertractare, ſed varias potius ratiocinationes, quantumvis futiles & alienas, auribus popularium inculcare expedit; veluti divinitus nobis promiſſum eſſe, fore, *ut inferorum portæ Eccleſiæ non prævaleant*: item exaggerare antiquitatem Eccleſiæ, auctoritatemque & felicitatem, perpetuam Pontificum ſucceſſionem, teſtimonia Patrum & Conciliorum, cultus divini caſtitatem tot ſeculorum, tot gentium auctoritate, tot denique tantisque miraculis comprobatam; & quæ ſimilia ſunt exornandæ declamationis, & exquiſitis verborum lenociniis refarciendæ argumenta. Peraſtutum quoque & inprimis utile artificium eſt, quo adverſarios, & contradicere auſos, omni omiſſa ratiocinatione, hæreſeos damnant: quod eam vim habet, ut ejusmodi homines, inficeti, bardi, nec artis, quam profitentur, intelligentes pronuntientur, quive probare ſuam doctrinam viris eruditis & rerum gnaris haud ſuſtineant, nec, ſi velint, poſſint: qui denique extemplo rapi ad ſupplicium & ultricibus flammis devoveri debeant.

§. 31. Ce-

Cur de neceſſitate fuerit, Papatum in Monarchiam evehi?

§. 31. Ceterum, Eccleſiaſticam dominationem unius ſubjici imperio, & Monarchica forma deſcribi, neceſſario debuiſſe, nemo eſt, qui non videat. Nam Democratia aut Ariſtocratia, nec conveniens eſſe & conſentanea Sacro Imperio, nec ſtabilis videbatur, quum ob alia incommoda, tum quod populare aut optimatum imperium, in tanta hominum refractariorum (nec enim res aliter teneri poterat) & præfracte diſſentientium multitudine, tam ſeveris & accuratis legibus circumſcribi & temperari nullo modo poterat, ut non diſſenſiones confeſtim, & ex iis factiones ſeditionesque orirentur. Ita futurum fuiſſet, ut tota machina, infirmis alioqui fundamentis innixa, brevi penitus corrueret. Ex variis autem Monarchiæ generibus illud potiſſimum primi ſacræ Reip conditores delegerunt, quo non aliud accommodatius ad ipſorum inſtitutum excogitari poterat: adeo ut quæ ſuis præceptis quantumvis argutis Politici adumbrarunt, nihil eſſe videantur, præ iis, quorum ad vivum expreſſam ab illis imaginem cernimus. Nonnulli equidem Reges, ut ſibi & regno ſuo ſplendorem aliquem & auctoritatem adderent, ſeu divina ſe ſtirpe ortos, ſeu Deorum juſſu aut auſpiciis oſtentisque attributum ſibi & firmatum imperium finxerunt, ſeu denique poſt mortem in numerum Deorum relati & pro Diis culti ſunt. Verum enim vero Pontifex his rebus non contentus, ipſius ſe *Jeſu Chriſti*, ſupremi rerum cœleſtium juxta & terrenarum Arbitri ac Domini, Vicarium in terra, & quaſi *vice-Deum* quemdam eſſe mortalibus perſuaſit: ſibique hæc longe alio atque multo excellentori ſenſu convenire, atque reliquis Magiſtratibus, qui Dei vices in his terris obtinere & divino nomine jus dicere memorantur: ſe quippe partæ a Chriſto gratiæ divinæ & reſtitutæ ſalutis diſpenſa-

to-

torem unicum eſſe, nec qui auctoritatem ejus haud ſuſciperent, nec majeſtatem agnoſcerent, ullum ad cœleſtem beatitudinem aditum eos habere, contendit. Nec enim alia res ad animos mortalium venerationis quodam ſenſu concitandos & quaſi ſacro horrore perfundendos magis eſt idonea, quam divina majeſtas: nec fere quidquam ad homines movendos, ſive obſequium præſtare, ſive labores ſuſcipere, ſive ſumtus ſuſtinere debeant, efficacius eſt, iræ divinæ metu & æternæ ſalutis amittendæ diſcrimine. Quæ ut primum perſuaſa imperitis hominibus fuerint, non eſt, quod reliqua Chriſtianæ diſciplinæ capita aliis firmentur argumentis, quam vulgato illo, *αὐτὸς ἔφα*, *Pontifex ipſe dixit.* Porro Regna perpetua ſucceſſione & quaſi per manus poſteris tradi, quam ſuffragiis deferri, ſatius eſſe & tutius plęræque gentes ratæ, naſci Reges, quam creari maluerunt. Ceterum, rationibus Pontificiis id inſtitutum haudquaquam convenit. Nam quibus in locis mos obtinet, ut paterni Regni hereditatem filius confeſtim adeat, fieri vix poteſt, quin impubere adhuc & immatura rebus gerendis ætate filii nonnunquam exiſtant. Jam abſurdum foret & putidum, qui puerili ætate, ut ille ait, *in arundine longa equitaret*, eum Vicarium Dei Opt. Max. appellari, & ſummum rei Chriſtianæ antiſtitem tutoremque ipſum alterius tutela per ætatem indigere. Nec ſuſtinere cum dignitate eam perſonam tanta cum gravitate conjunctam Principes adoleſcentes facile poſſent: nec ſpes ulla foret, pari omnes ſtudio ad illud vitæ genus amplexandum incitatum iri. Ut in pauca rem conferam, hereditarium jus e ſacro profanum effeciſſet imperium: quo quidem titulo monſtroſo nimis & prodigioſo, ſi ſubnixa res Romana foret, ſtare tamdiu ſalva & incolumis ne-

Et quidem electione conſtantem.

nequaquam poterat. Quin ipſi etiam Primores ſacri Regni, & ſummæ dignationis miniſtri, labefactatis Pontificibus & in ordinem coactis, ad principatum Eccleſiæ invadendum haud dubie animum adjeciſſent: qui tamen hoc tempore in poteſtate Pontificis ſunt, nec gravate imperata faciunt, in ſpem ſcilicet erecti fore, ut quando vi aperta adipiſci nequeant Pontificatum, ſuffragiis aliquando ſeu ipſi, ſeu ex ſuis aliqui conſequantur. Illud denique incommodi jus hereditarium habebat, quod, exſtincta, penes quam ſacrum imperium fuiſſet, familia, periculum erat, ne exorta de novo Pontifice creando contentio totam convelleret machinam ac funditus everteret. Cœlibem quoque vitam agere ſummum rerum divinarum arbitrum & antiſtitem, conſultum eſſe videbatur: multum quippe ea res momenti ad dignitatem aulæ Romanæ habet: nec enim credibile eſt, mulieres tantam dignitatem, tantas opes adeptas, ita vitam moreſque compoſituras fuiſſe, ut earum exemplo reliqui ad pietatis in Deum officia & ſanctitatis ſtudia incitarentur. Atque eo pacto ſuſtineri quodammodo ſimulatio ſanctimoniæ poterat: quum Pontifex ita deditus & quaſi immerſus contemplationi rerum cœleſtium videretur, ut a voluptatibus corporis & cupiditatibus penitus abhorrere, nec ullum earum rerum ſenſum habere crederetur. Nec veriſimile videbatur, eum, cui & uxor eſſet, & liberi, tam ſui oblitum eſſe, ut non fræna ſubinde cupiditatibus laxet, nec privatis ſæpe rationibus & commodis bonum publicum poſthabeat. Neque enim alia res magis animos mortalium movet, quam conjugum & liberorum, quorum nobis incolumitas inprimis eſt cordi, reſpectus. Ejus rei luculentum nobis exemplum, quod ad rem Pontificiam attinet,

Pontifex cur cœlibem agat vitam?

præ-

præſtant nothi Alexandri VI. & Pauli III. Pontificum. Fortaſſis in concilio quoque metum habuerunt, ne videlicet ex Principibus, ut vocant, ſecularibus aliquem Pontificatus invadendi, & in domum ſuam ac familiam in perpetuum transferendi cupiditas inceſſerit: id ne fiat, inſtituto cœlibatus prohibetur. Conclavia quoque comitiis habendis ſolerter & utiliter ſunt excogitata, & ad immoderatam ambitionem cohibendam, & ad diſſenſiones, quibus antea dignitas Pontificia vehementer imminuebatur, comprimendas. Accedit, quod eo pacto, ne Interregna fiant, prohibetur. Quæ quum ita ſint, facilius eſſe videtur, ſuffragiis aliquem inveniri, qui tantam & tam aſtutam ſanctitatis ſimulationem ſuſtineat, quemve, ut digniſſimum omnium & præſtantiſſimum, divina quadam providentia Vicarium Dei creatum eſſe, probabilius & ſpecioſius, quam in ſucceſſione, aſſeclæ Pontificis in vulgus ferant, artium conclavis ignarum. Illud utique conſequi ſuffragatione poſſunt, ut non niſi ejusmodi vir ad gubernacula rei Chriſtianæ admoveatur, qui rerum civilium & quas ambitus ſubjicit, artium gnarus, depoſito juvenili fervore, & improvidæ ætatis conſiliis abjectis, magnam ſibi reverentia ſenectutis & rerum uſu auctoritatem comparaverit. Utili quoque inſtituto ſancitum eſt, ut in comitiis Pontificiis ſuffragiorum partes duæ ex tribus Pontificem crearent: ideo factum id eſt, ut ne multi nimis ex ordine Cardinalium exiſterent, quibus Pontifex recens creatus diſpliceret. Hoc tempore id inprimis ſpectare in comitiis Cardinales ſolent, ne Tranſalpinus aliquis, ſed Italus genere, ſummam rerum divinarum poteſtatem adipiſcatur. Idque fit eo conſilio, non ſolum quia tantam amplitudinem, tantos honores, tantas Pontifica-

Conclave cui bono?

Pontificis legendi requiſitæ qualitates.

tus opes indigenæ, quam peregrino, deferri Patres Purpurati malint; verum etiam quod ea eſt rei Pontificiæ ratio, ut ex æquatis libratisque Hiſpaniæ juxta & Galliæ viribus ſalus ejus & ſecuritas pendeat. Jam ſi vel Hiſpanus aliquis, vel Gallus ad eam dignitatem eveheretur, futurum haud dubie eſſet, ut eo ſublato & everſo æquilibrio res ita ad ſuam quisque gentem Pontifex traheret, ut ejus opes, in lance poſitæ, plus ſatis propenderent, atque adeo ab amicitia Pontificis reliquæ nationes averterentur. Ætatis quoque habetur ratio; nec temere regendæ Eccleſiæ juvenis præficitur. Ad ſenes potius rem trahunt Cardinales, ut ceteris quoque aliqua ejus dignitatis adipiſcendæ ſpes affulgeat. Verentur item, ne, ſi quis integra adhuc ætate Pontificatum iniiſſet, imperii diuturnitate fundamenta, quibus Pontificia dominatio innititur, convellat, aut priſca inſtituta immutet: neve aut nimiis opibus ac divitiis familiam ſuam augeat, aut, magna Cardinalium parte beneficiis ſibi devincta, eo rem deducat, ut hominum ſibi obnoxiorum ſuffragiis ſubnixus Pontificatum ſuæ genti in perpetuum firmet. Nec ullo juventutis robore ad illud munus obeundum opus eſt. Non enim manu res geritur, nec proficiſci in expeditionem Pontifices neceſſe habent: ſatisfeciſſe officio videntur, ſi modo auſteræ gravitatis ſpeciem præ ſe ferant. Nec propinquitatis aut affinitatis curam Patres Conſcripti omittunt: ne, ſi magna nimis cum defuncto neceſſitudo ſucceſſori interceſſerit, omnibus Sacerdotiis & rerum Eccleſiaſticarum procurationibus opimis una eademque familia cumuletur: & ſi quid offenſum aut perperam admiſſum a priore Pontifice fuerit, ut id ſucceſſor emendet & corrigat. Poſtremo, ejus potiſſimum in comitiis

ratio

ratio habetur, cujus nec in Hiſpanum, nec Gallum nimis inclinata voluntas ſit; ſed qui medium ſe inter utrumque gerens neutri ſit inviſus. Quocirca palam edere nomina eorum, quorum in comitiis Pontificiis nullam haberi rationem volunt, utriusque gentis Reges conſueverunt. Sæpenumero tamen evenit, ut is creetur Pontifex, quem minime ſuſpiceris. Scilicet Cardinales, artium & machinationum, quibus in conclavibus in factiones fere diducuntur, pertæſi, nonnunquam nihil magis optant, quam ut dimiſſis comitiis ex iſto quaſi ergaſtulo eximantur, & in libertatem vindicentur. Ita partium ſæpe ſtudiis repente ad unum, cujus initio nulla eſt habita ratio, verſi ſunt animi. Nec raro fit, ut quam quis, dum Cardinalis eſſet, de ſe opinionem fecerat, eam Pontifex factus omnino fallat. De cetero Pontifici Sacrum Imperium capeſſenti nullæ feruntur conditiones: nec enim ſatis ex dignitate Pontificia foret, legibus eum & pactis hominum alligari, qui Spiritum Sanctum *in ſcrinio pectoris* circumferre dicitur. Quo loco apud illuſtriores Germaniæ Epiſcopos Collegium Canonicorum eſſe conſuevit, eodem apud Pontificem in regendis ejus ditionis provinciis & Collegium eſt Cardinalium, ut quaſi Senatus perpetui vicem obtineat; cujus conſilium in rebus gravioribus Pontifex exquirit. Fit tamen ſæpe, ut Pontifex & ejus nepotes, ſpreta fere Cardinalium auctoritate & conſilio, ad ſuum ipſorum arbitrium & libidinem omnia adminiſtrent. Potiſſima Cardinalium dignitas & amplitudo in eligendi Pontificis facultate conſiſtit, eumque ex ſuo Ordine deligunt: quod & potiſſimum in eam dignitatem jus habent, & qui crearetur Pontifex, rerum Romanarum peritus, & negotiis aulicis adſuetus eſſe debet. Juſtus Cardinalium numerus

Cardinalium Collegium.

Oo 2 eſt

eſt ſeptuaginta: eam tamen ſummam raro explent. Urbanus VIII. Pontifex primus ſancivit, ut honoris cauſſa *Eminentiſſimi* nominarentur: quod *Illuſtriſſimi* titulus, quo iſte Ordo antea inſignitus erat, pervulgatus nimis eſſe in Italia cœperat. Ceterum, ejus Ordinis majora ſibi & honoratiora nominis inſignia ſibi aſſumentis exemplo & reliqui Italiæ Principes, *Excellentiſſimi* titulo antea contenti, *Celſiſſimi* dici voluerunt. Cardinalium creandorum jus penes Pontificem eſt: apud eum tamen Galli, Hiſpani, aliorumque Principum commendationes magnum pondus habent. Cardinales Regiam æquare dignitatem, paraſiti nonnulli aulæ Romanæ & mancipia Pontificis litteris mandare non erubeſcunt. Octo-Viris utique S. R. I. ſuperiores ſeſe eſſe & honoratiores Cardinales contendunt. Ex eo tempore, quo rerum in Eccleſia potitus eſt Sixtus IV. anno videlicet CIↃCCCCLXXI. Pontifices ad locupletandos ex fructibus Eccleſiæ & potentia augendos propinquos inprimis animum intenderunt. Exempli cauſſa, proditum memoriæ eſt, Sixtum V. quum quinque annos Imperium Sacrum geſſiſſet, ſuæ familiæ ſupra tres *Ducatorum* aureorum *milliones*; Gregorium XV. autem, menſes tantummodo XXV. rerum potitum, tres *Scutatorum milliones*, & amplius, in prædiis & poſſeſſionibus, præter id, quod in nummis habebat, morientem ſuæ genti reliquiſſe. Sub mortem Urbani VIII. Sacerdotia aliosque opimos Eccleſiæ proventus numero circiter CCXXVII. ſola Barbarina Domus obtinuiſſe perhibetur: ſingula autem Sacerdotia, alia trinis Scutatorum, alia V. alia IIX. alia item X. millibus, penſionibus annuis, æſtimabantur. Opes ejus domus in univerſum triginta *millionum* Scutatorum nummorum ſummam explere

Papæ propinquos ex reditibus Eccleſiaſticis ditare conſueverunt.

plere vulgo credebantur: quæ immenſa opulentia multis religioni & magno offendiculo fuit. Verum rem paullo accuratius cum animo reputanti, ſtultiſſimum fore videtur, Pontifices, exuta propenſione animi, qua, natura duce, in ſuam quisque familiam fertur, belliſſimam pecuniæ conficiendæ & ſuos locupletandi occaſionem e manibus emittere, nec, dum licet, metere fructum tanti faſtigii: quum univerſa res Pontificia opibus Cleri & ſplendore nitatur. Atque ita fere natura comparatum eſt, ut qui illuſtri apud viros principes gratia & rebus ſecundis florent, comitem habeant invidiam: quæ paris felicitatis potiundæ ſpe dejecta bonis alienis dolet. Quumque magnos in rem militarem ſumtus facere Pontifex nequaquam neceſſe habeat, ubi tantos Ecclefiæ fructus melius, quam apud propinquos, collocare queat, non video. Ex quo rei Eccleſiaſticæ ſummam tenuit Urbanus VIII. uni ex nepotibus Pontificiis ſummus dignitatis gradus & rerum adminiſtrandarum arbitrium deferri cœptum eſt. Is *Cardinalis Patronus* vulgo dicitur. Commiſſi nepoti regiminis ea, inter alias, potiſſimum affertur cauſſa, quod æquum videtur eum, qui generis propinquitate junctus Pontifici Maximo eſt, ceteris præferri, & ſimul tutiſſimum eſſe, neceſſarii cujusdam cuſtodia Pontificem eſſe ſeptum, multis alioquin inſidiis expoſitum, & majori in diſcrimine verſantem, quam Princeps, jure hereditario imperium per manus tradens, cujus cædem ulciſci ſucceſſor ſolet. Ac quantopere ſibi a veneno Pontifex metuat, vel ex eo licet colligere, quod quum ſacra Synaxi utitur, panem conſecratum & vinum *Sacellanus* (ejus enim curæ illa ſunt commiſſa) guſtare ſimul cogitur. Id quoque utilitatis habere videtur commiſſum nepotibus regimen, quod,

Cardinalis Patronus.

dum ex ſuffragiis Cardinalium creatio Pontificis pendet, Præſides provinciarum & Miniſtri, graſſari rapinis, & pecuniam contra jus fasque conficere, & alter alterius imminere exitio, prohibentur. Nepotum enim, quia pauci ſunt, facilius expleri avaritia poteſt; nec ii reliquos Miniſtros, quum omnis in ipſorum caput invidia Reip. male adminiſtratæ recidat, impune prædari paſſim & Reip. commoda ad ſe rapere ſinunt. Id quoque commodi Pontifici præſtant nepotes, quod & arcana Principum conſilia & rationes majori cum cura, quam reliqui Miniſtri, quibus nulla cum Pontifice neceſſitudo intercedit, explorant, & majori ſtudio & vigilantia pro ſalute Reip. metu vindictæ, ſi negligentius rem gererent, excubant. Itaque rationibus eorum expedit, unum alterumve Principem, opibus florentem, beneficiis ſibi aut officiis devinctum adjungere, & ejus ad incertos caſus præſidio ſuas opes firmare. Conſilia quoque, quæ in vulgus emanare haud e Rep. eſt, tegi per eos commodiſſime poſſunt. Niſi denique rerum ſumma commiſſa nepotibus foret, ex nutu & arbitrio Cardinalium pendere Pontificem neceſſe eſſet: eos autem, ſeu annuis ſtipendiis, ſeu luculentis Eccleſiæ proventibus ſibi conciliatos Principes præpotentes ſtudiis in factiones diduxerunt.

Clerus in Papatu cœlebs.

§. 32. Qui Sacro ſubjecti Imperio ſunt, dividi in duas claſſes poſſunt: altera Ordinem Eccleſiaſticum continet; altera e reliquis conſtat Chriſtianis, qui cum Eccleſia Romana ſentiunt: ii *Laici* vulgo dicuntur. Ille comparari cum juſto & aſſiduo Principis præpotentis exercitu poteſt, quo gentes armis domitæ & provinciæ in poteſtatem redactæ in officio contineantur. Hi parentium & ſtipendiariorum vicem obtinent, qui ad tantas copias ſuſtentandas maximos erogare ſumtus coguntur.

guntur. Eccleſiaſticum Ordinem impoſita abſtinendi ſeſe a conjugio neceſſitas, quaſi nota quædam peculiaris, a popularibus diſtinguit. Id inſtitutum ſingularis cujusdam ſanctitatis ſtudio ſuſceptum eſſe in vulgus fertur, & quod earum rerum, quas afferre matrimonium ſolet, cura ſoluti Sacerdotes munus ſuum obire expeditius poſſent. Re autem vera ideo nuptiæ interdictæ ſunt Clericis, ne majorem conjugum ac liberorum, quam rei Eccleſiaſticæ, rationem haberent, neve earum rerum reſpectu Magiſtratibus, quorum in ditione ſunt, ſeſe adjungerent, aut Eccleſiaſticas opes in privatos ſuorum uſus averterent. Porro, ut omnibus in rebus, maxime adverſus Principes, quorum ſub imperio ætatem agunt, mandata Pontificis promptius & alacrius exſequerentur: quippe qui non admodum firmo vinculo Reip. alligati, nec ullius rei, niſi ſuæ tantummodo vitæ ſuſtentandæ, curam ſuſtinentes, Principum iram & indignationem contemnere nullo negotio poſſunt. Nec enim aliud majus fidei pignus, ullos certiores obſides habent ii, qui rerum potiuntur, quam uxores cujusque civis ac liberos. Cœlebs autem, quum nullo, niſi ſui reſpectu, moveatur, victum quæritare ubique gentium poteſt. Et dedit alioquin operam Pontifex, ut ex poteſtate & ditione Principum ac Magiſtratuum Clericos eximeret, & ſuæ ipſius jurisdictioni ſubjiceret. Nec tam uberem meſſem habitura avaritia Clericorum fuiſſet, ſi ſibi ſuisque uxoribus ac liberis opes colligere, non Eccleſiæ ſtipem emendicare ſe, ſuſpicionem dediſſent. Ceterum, qui cœlibatus onus Clericis invitis impoſuerunt, turpiſſime lapſi ſunt, quod præſenti quodam refrænandæ libidinis remedio conſulere caſtitati eorum neglexerunt: quæ res grata inprimis & decora ei

Ordini fuiſſet. Quanta Eccleſiaſticorum Monachorumque multitudo ſit, vel ex eo licet conjicere, quod Paulus IV. dixiſſe fertur, ſeſe in poteſtate ſua Parochiarum ducenta & LXXXIIX. millia, Cœnobiorum millia XLIV. habere, dummodo numerus, & maxime Monaſteriorum, conveniat. Clericorum claſſis dividi rurſus poteſt in eos, qui Sacerdotes & Ordinis Eccleſiaſtici ſimpliciter ſunt, & qui peculiari voto ſeſe alligarunt & in certam diſciplinam ſe tradiderunt, veluti Monachi & Jeſuitæ. Ii Pontificis quaſi milites prætoriani eſſe videntur. Auctoramenta ejus militiæ ſunt, honores ac dignitates, opes, vacatio munerum, otium, ſtatuta alimenta: qui paullo rigidiore diſciplina continentur, iis eximiæ & ſingularis ſanctitatis opinio, meritorum magnitudo, & quædam, præ ceteris, exſuperantia dignitatis, tanquam præmia militiæ, proponuntur.

Dogmata Pontificia Statui accommodata.

§. 33. Conſiliorum, quibus Laicos Pontifex in officio continet, ſumma eo refertur, ut ipſum & ſacros milites, tanquam procuratores effectoresque ipſorum ſalutis, & animorum dominos, reſpicere condoceſiant: nec enim alio fræno magis circumagi quiſquam ad alterius nutum poteſt. Ceterum, ut Eccleſiaſticæ dominationi ea res accommodetur, deinde vel priſca Chriſtianæ Religionis inſtituta eo ſunt detorta, vel nova, quæ ad rem pertinerent, inventa. Rem enim paullo accuratius conſideranti manifeſtum erit, iis capitibus, quæ in controverſiam vocantur, aliquem dignitatis Cleri, opum & vectigalium reſpectum plerumque ſubeſſe. Principem locum obtinet majeſtas & auctoritas Pontificis, quæ tanta eſſe traditur, ut non ſolum ſupra Concilia ſit, verum etiam nec fallere poſſit, nec falli. Id dogma Lojolitæ inprimis ad ſummum perduxerunt: quo

quo ſalvo, nihil eſt, quod teneri aut defenſari nequeat. Non alia igitur res magis fundamenta Pontificiæ dominationis convellit, quam ſuperiorum temporum dogma, ab omnibus fere, &, ni fallor, etiamnum a Pariſienſi Academia receptum; quo Conciliorum auctoritas aut ſuperior Pontifice, aut ſaltem non inferior eſſe traditur. Ea quippe ſententia neſcio quid Democratici inſtituti redolens, unius imperio omnino adverſatur: nec ſatis conſentaneum eſſe videtur, Pontificem, ſupra reliquorum mortalium ſortem quodammodo evectum, ſatellitum ſuorum & clientium judicio cenſorio & notationi eſſe obnoxium. Nam quæ vel ſacra volumina, vel Patres Eccleſiæ adſcribunt, ea ad Pontificem ſolum trahi, ſi Diis placet, debent, non ſecus, ac quæ Rex fecerit, ea Regno attribui vulgo dicuntur. Sacrarum Litterarum lectione Laici prohibentur, nec eas evolvere cuiquam, niſi Clericis, fas eſt: quæ res non ſolum ad amplitudinem Sacerdotum pertinet, ut qui ſoli digni habiti, qui divina oracula velut ex propinquo inſpiciant: verum etiam prohibet, ne quid in iis Laici reperiant, quod cum rationibus Clericorum pugnet, neve ſapere diſcant, aut diſcuſſa caligine, qua eis impune illudere conſueverunt, fidem derogare Sacerdotibus occipiant. Ad hæc illud quoque conſequuntur Pontificii, ut a ſtudio rerum divinarum & perſcrutandis quæſtionibus Theologicis averſi Laici ſolis Sacerdotibus ea perquirenda relinquant. Ne igitur quidquam alienum aut noxium rationibus Pontificiis proferatur in medium, Sacras Litteras interpretandi poteſtatem Theologi Pontifici ſoli tribuunt. Ob eandem cauſſam, penes ipſum omnium controverſiarum dijudicandarum jus & arbitrium eſſe contendunt. Imperfecta quoque &

 mu-

mutila eſſe Sacra Scriptura traditur, &, quæ ei deſunt, *Traditionibus*, ut vocant, ſuppleri oportere. Aſtute ſcilicet: ut ſi quod utile rei Pontificiæ dogma exſtiterit, cujus ne veſtigium quidem ullum in Sacris Litteris reperiatur, ad illud defenſandum, præter majorum inſtitutum, nullis argumentis opus eſſet. In eo, quod de peccatis circumfertur, dogmate *diſtinctio* (ut barbare vocant) *peccati venialis & mortalis*, & quæ de *caſibus reſervatis* traduntur, commodis Ordinis Eccleſiaſtici unice inſerviunt. Nam, quibus *Confeſſionum Sacrarum* formulæ continentur, libelli (quorum tanta eſt multitudo, ut eos integra plauſtra, aut naves Indicæ capere nequeant) eo conſilio ſunt conſcripti, non ut peccatis obviam eatur, ſed ut, conſtituto in expiationem ſingulorum criminum pretio, & opes Clericorum firmarentur, & avaritia aleretur. Ad rationes Clericorum item accommodatum eſt dogma ſolatii plenum, de *remiſſione peccatorum*. Nam quum nihil utilitatis Clericis afferret, impetrata per pœnitentiam & fiduciam propitiati per Chriſtum Numinis Divini venia peccatorum, ad veram pœnitentiam & noxæ remiſſionem inprimis pertinere traditum eſt, ut ſingula peccata, etiam leviſſima, Sacerdoti ordine enumerentur, & in ejus quaſi ſinum effundantur. Ea re illud conſecuti ſunt, ut non ſolum ſibi obnoxios homines haberent, &, quaſcunque ex uſu ſuo eſſe cenſuerint, opiniones cogitationesque in eorum animis imprimerent; verum etiam res abditas & ſecretas, arcana cujusque conſilia, inſtituta, mores, indolem, & ſimilia cognoſcerent, magno ad dirigenda in poſterum conſilia momento: enuntiare autem quidquam e ſacris Confeſſionibus, religio eſt: nec enim aliter rem ſua ſponte monſtroſam & ab ingenio

genio

genio generis humani averſam tueri & defenſare poſſunt. Satisfieri quoque de peccatis Deo volunt, idque Sacerdotis arbitratu; cui quidem Ordini ea res uberrimam lucri meſſem præbet. Quanquam enim expiare crimina certis fere precationum formulis, peregrinationibus religionis ergo, jejuniis, affliĉtando loris & lacerando corpus, reus plerumque jubetur: fit tamen ſæpenumero, ut peccatores maxime locupletes, certa pecuniæ ſumma, in cœnobia, in templa, in pauperes (inter eos etiam Monachi, *Ordinis*, ut vocant, *Mendicantium*, referuntur) noxæ expiandæ cauſſa, eroganda, mulĉtentur. Iſti Monachi ex cap. XXV. Matth. ideo ſe *Minimos Fratrum* appellari voluerunt, ut in eorum peram ſuperſtitioſi mortales certatim dona ingererent: ea quippe divinorum verborum interpretatio fecit, ut amplius centum hominum robuſtiorum millibus alendis res Chriſtiana gravaretur. Prioris quoque generis expiatio, ſi gravis nimis eſſe videatur, redimi pecunia poteſt. Quid enim? Ecquis paullo ditior non muneribus coleret, aut inhonoratum eſſe ſineret *Reverendum Patrem*, cujus in irroganda pœna lenitatem & moderationem vel jam expertus ſit, ut natura inſitam, vel largitionibus venalem in poſterum aucupetur? *Bona*, ut vocant, *opera* inter eas res, quibus æterna comparatur beatitudo, cur relata ſint, eisque promerendi quidpiam a Deo vis ſit attributa, haud difficilis eſt conjeĉtura. Poſteaquam enim ad definienda *bona opera* ventum eſt, principem locum obtinuerunt largitiones Eccleſiaſtico Ordini, templis, & cœnobiis faĉtæ, item quæ per ſummam ſuperſtitionem & ſanĉtitatis ſimulationem Pontifices eorumque aſſeclæ peragi præceperunt. Acceſſit, quod doceri cœptum eſt, tantam Monachis

chis ineſſe excellentiam virtutis, ut ea non ſolum pro ſe ipſi ſatisfacere Deo, verum etiam de abundantia ſua aliis largiri, & miſerorum Laicorum crimina *operibus*, ut vulgo vocant, *ſupererogationis* expiare queant. Ex ea copia ingens & inexhauſta eſt officina inſtituta, & quæſtuoſiſſimo mercium genere referta. Nec enim, qui eas vendit, emere ipſe, aut in eas conſervandas ſumtus ullos facere neceſſe habet: eas nec vetuſtas corrumpit, nec ſitus imminuit; nec ad eas, vitio & vanitate poſtmodum deprehenſa, redhibendas ſpatium emtori datur. Infinitis quoque ritibus ac cærimoniis repletus eſt divinus cultus; dies feſti & ſupplicationes ſine cauſſa decretæ & ſine modo multiplicatæ: templa, ſacella, altaria, non neceſſaria, dedicata: non alio conſilio, quam ut Clerici haberent quod agerent, neve otio torpeſcere viderentur. Adde, quod ſemper aliquod ex ejusmodi miniſteriis lucrum ad Clerum redundat. Quapropter numerum *Sacramentorum* Pontifices auxerunt, & *ſeptem* eſſe decreverunt. Nec enim ullum eorum ſacrorum gratuito munere peragitur a Sacerdote, ſacræ Synaxeos uſum, etiamſi, qui ea uteretur, nemo eſſet, introduxerunt: ſacrificium eſſe ad ſalutem viventium juxta ac mortuorum comparatum affirmantes, ſcilicet ut vivos pariter ac mortuos ſtipendiarios ſibi & vectigales facerent. Id Sacrificium *Miſſæ* vulgo dicitur. Nullam rem majoris momenti agendam quisquam ſuſcipit, quin, ut auſpicato rem gerat, *Miſſam* prius peragendam curet. Nemo moritur, paullo locupletior, quin teſtamento caveat, ut, ad animæ ſuæ ſalutem, certus Miſſarum numerus, ſtatis temporibus, celebretur. Pro iis miniſteriis mercedem ſolvi Sacrificulo oportet. Rurſus, perperam ſemel introducta conſuetudo, ut

Lai-

Laicis ſacra Synaxi utentibus calix negaretur, poſtremo in neceſſitatem legis eſt verſa. Et quanquam ſancita ab ipſo Chriſto res divina, & ab Eccleſia tot ſeculorum uſu comprobata, rem in clariſſima luce ponit, in eo tamen, quod ſemel placuit, pertinaciter perſiſtere, quam a Clericis erroris confeſſionem exprimi ſatius eſſe putarunt Pontifices, qui Clerum etiam in ejus Sacramenti uſu aliquid præcipui, præ Laicis, habere voluerunt. Quin immo, ut Deo hominibusque eo petulantius illudant, calicem non conſecratum (Spuhlkelch ſive Spoelkelk) Laicis præbent, quem per ſummam contumeliam, oris eluendi cauſſa, miniſtrari prædicant, perinde quaſi quidquam ſordidum in ſacra Synaxi hauſtum ore eſſet. Matrimonium, quamvis invita, quod ajunt, Minerva, & inepto conſilio, in numerum Sacramentorum retulerunt, ut penes Clerum earum cauſſarum, quæ ad conjugia pertinent, cognitio & arbitrium eſſet: ex iis autem controverſiis, quum & multiplices eſſent & late paterent, (in iis enim ſtatus hominum, hereditates, ſucceſſiones, immo integra ſæpe Regna vertuntur) ingens lucri ſpes affulgebat. Itaque Maria Britannorum Regina, quum ſine auctoritate Pontificis pro filia juſtis nuptiis nata haberi haud poſſet, inſtaurare in ſuo Regno & quaſi poſtliminio revocare Pontificium cultum coacta eſt. Ita magno inter alia beneficio Pontifici Philippus III. Rex Hiſpanorum devinctus fuit, quod, legis ab illo gratia facta, ipſius quaſi conceſſu, natus erat e conſobrina ſua. Nec enim ejusmodi matrimonium reliqui Chriſtiani temere ratum habuerint. Ad hæc, quo uberiorem ex facienda petentibus gratia legis meſſem Sacerdotes facerent, tot novi cognationis gradus ad prohibendas nuptias conſtituti a Pontifice, & *ſpiritualis*

ritualis inſuper cognatio quædam, novo commento, excogitata eſt. *Extrema Unctio* belliſſimam occaſionem admonendi, per ſpeciem benevolentiæ, morientes, ut teſtamento *legata*, ut vocant, *ad pias cauſſas* relinquant, Sacrificulo præbet, qua in re ſui quisque potiſſimum Ordinis utilitati ſervit. Nec alio conſilio *Purgatorium* eſt inventum, quam ut morientes, ut ſunt facultatum ſuarum aliis jamjam relinquendarum contemtores, liberales ſe & munificos Clericis præbeant, quo hac quaſi mercede Miſſarum & deprecationum perſoluta, eo citius ex arido illo & ſitiente loco liberentur. Multum quoque commodi Clero attulit *Reliquiarum* cultus: qui, ut alia omittam, id potiſſimum utilitatis præſtat, ut magna virorum illuſtrium beneficia & merita in ſe Pontifex remunerari officulo vetuſtate exeſo poſſit. *Sanctorum Invocatio* ſpecioſum obtentum ad templa dedicanda, ad dies feſtos inſtituendos, ad Sacerdotes ſacris miniſteriis præficiendos alendosque præbet. Ceterum, magnam Pontifici dignitatem addit, quod in cœleſtium ac divorum numerum, niſi auctoritate ejus, nemo refertur; perinde quaſi in cœlo quoque mandare, quibus vellet, munera fas ei eſſet, & Deus, quoscunque ei commendaſſet, recipere, ut vulgo vocant, *Referendarios* cogeretur. Hoc pacto in reliquis quoque Rebuspublicis omnes ad unum cives incliuare & inflectere ad ſuam voluntatem poteſt; ut, ſi omnem ad ejus utilitatem curam & cogitationem intendiſſent, magna ipſorum ambitioni & credulitati præmia proponat. Superioribus quippe temporibus, maxime poſtquam adolevit ſuperſtitio, mos fuit, ut non niſi Eccleſiaſtici Ordinis viri, aut novis ludibriorum inventis inſignes, aut ſimulatione ſanctitatis conſpicui, in

in numerum divorum referrentur. Quod ſi ex profanis aliquis tantam dignitatem eſt adeptus, vel ſuis ipſius, vel eorum, quibus uſus eſt honoris ſui adjutoribus juxta & petitoribus, meritis in Pontificem, eam acceptam referebat. Ceterum, quibus miraculorum commentis, quibus ſimulacris & ſignis, quam inani ſpectrorum lemurumque terrore, quibus exſecrationibus, & exorciſmis, jubilæis, indulgentiis, cibis prohibitis, aliiſque id genus artibus, obcæcatos ſuperſtitione homines argento emungere Sacerdotes ſoleant, commemorare ſuperſedeo.

§. 34. Secundum hæc, ad ſtabiliendam rem Pontificiam magnum in Academiis momentum fuit; quæ partim a Pontifice, partim ab aliis Principibus & Rebuspublicis ſunt conditæ, Pontificis tamen auctoritate comprobatæ ſunt maxima ex parte; iſque ſummum in eas jus etiamnum ſibi vindicat. Quæ res quorſum ſpectet, & quam vim habeat, ſatis manifeſtum eſt. Nam qui aliis in poſterum, aut eruditionis præcepta tradere, aut præeſſe debent, ii docentur ea in Academiis, & iis imbuuntur opinionibus, quas vel ipſi vita deinde & moribus exprimant, vel aliis quaſi per manus tradant. Qua re factum, ut omnis Academiarum, &, quæ in iis tractabantur, ſtudiorum ratio ad utilitatem Pontificis omnibus in rebus accommodaretur. Satellites autem Pontificiæ dominationis fuerunt non ſolum Profeſſores Theologiæ, qui principem ſibi locum vindicarunt, verum etiam Doctores Juris Canonici, qui ad amplificandam Pontificis dignitatem, & impoſita Orbi Chriſtiano decreta ac ſordidos quæſtus defendendos, & inſigni quadam acceſſione augendos, incubuerunt. Poſteaquam enim tantam ſibi juriſdictionem Eccleſiaſticus Ordo vindicavit, quo quam

Ad ſtabiliendam rem Pontificiam magnum in Academiis momentum fuit.

quam diutiſſime ejus avaritia largitionibus litigantium aleretur, Jure Canonico tantis difficultatibus judicia & lites ſunt obſeptæ, ut exitum fere nullum habeant, nec, niſi ſero admodum, terminentur. Philoſophi quoque nexu & mancipio Pontificis maxima ex parte erant; ut ſi quis, omiſſis rebus ineptis & inanibus, quid in quaque re verum ſit, perquirere in animum induxiſſet, in eum reliqui confeſtim impetum facerent, & ejus inſtitutum omnibus modis exagitarent. Quæ in iſtis Academiis tradebatur Theologia juxta & Philoſophia, ad inſtruendos homines eruditionis ac prudentiæ præceptis nequaquam referebatur: verum obſcuris quæſtiunculis & vaniſſimis ineptiis præſtantiſſima delebantur ingenia, & ab iis rebus, quæ ad fraudes Pontificis detegendas aditum habebant, penitus cognoſcendis avertebantur. Scholaſtica quippe Theologia non ea continet, quæ ad perſcrutandas & explicandas SS. Litteras pertinent, ſed magna ex parte in definitione futilium & inanium quæſtionum verſabatur, quæ a Petro Lombardo, Thoma Aquinate, Scoto, aliiſque ſophiſticæ & ineptiarum architectis in medium ſunt prolatæ. Quæ illis Philoſophia dicitur, quanta quanta eſt, nil niſi colluvies quædam eſt ſomniorum futilium & ineptiarum, quarum cognitio, quum præter vocabula inania & ex ipſa barbarie hauſta nihil contineat, plus detrimenti quam emolumenti ingeniis hominum, ſiquidem præter eas nugas nullis bonarum artium ſtudiis exculti fuerint, affert. Adeo ut in ſumma ignorantia ſummam ſcientiam plerique omnes ponant, &, quod ille ait, intelligendo faciant, ut nihil intelligant. Atque in hiſce tricis ac nugis addiſcendis non ſolum iis temporibus, quibus barbaries ubique dominabatur, deſuda-

ſudatum in Academiis eſt; verum etiam, quod mireris, etiamnum, poſtquam bonarum litterarum ſtudia eruta e tenebris & in clariſſima luce ſunt poſita, eandem ineptiendi viam & ipſi inſiſtunt, & aliis incredibili ſtudio commonſtrant Pontificii, ut poſt inventas fruges glande veſci volupe eis eſſe videatur: bonarum autem artium diſciplinæ, maxime eæ, quæ in moderandis actionibus vitæ civilis quandam quaſi facem hominibus præferunt, oppreſſæ jacent. Ea inprimis, quæ de vita & moribus agit, perutilis & neceſſaria doctrina, detorta prorſus & depravata, atque inexplicabili quodam errorum & difficultatum labyrintho obſepta ab iis eſt, non aliam ob cauſſam, quam ut æſtimationem ſingulorum hominum, dum ſecreto peccata confitentur, haberent, & eorum animos tot ſcrupulis, tot incertis opinionibus implerent angerentque, ut vitæ ſuæ ratio ipſis haudquaquam conſtaret, nec ex veris & firmis præceptis prudentiæ moderari & temperare actiones ſuas poſſent; ſed vivere ex præſcripto lucripetarum Sacrificulorum, qui ſacris Confeſſionibus præſunt, neceſſe haberent.

§. 35. Ceterum, quum inprimis neglecta bonarum artium ſtudia ingentem Pontifici cladem, Lutheri ætate, intulerint; Jeſuitæ poſtmodum, ut cohors prætoria Pontificis, ſuſcepta rei Scholaſticæ procuratione, non in Academiis ſolum publice tradere graviores diſciplinas, ſed etiam puerilem ætatem informare ad rudimenta litterarum cœperunt, quo, tranſlato ad ſe quaſi monopolio bonarum artium, eas ad rationes *Regni tenebrarum* ita accommodent, ut ex iis non ſolum nihil detrimenti, ſed multum etiam commodi, ad rem Pontificiam redundet. Et ſane puerili inſtitutione non modo magnam dignitatem ſuo *Rei Scholaſticæ procuratio cura Jeſuitis ſuſcepta?*

Ordini & opes ingentes compararunt; verum etiam Pontificiam dominationem, pro cujus ſalute & incolumitate vota præcipue & præ reliquis Monachis Jeſuitæ faciunt, firmiſſimis fulcris ſtabiliverunt. Per eam enim occaſionem, quum veneratione quadam erga Pontificem, tum aliis opinionibus ad inſtitutum rei Pontificiæ accommodatis, teneras adoleſcentum mentes imbuunt, efficiuntque, ut a teneris, quod ajunt, unguiculis pueri imbibitas animo opiniones mordicus tueri adſueſcant, nec ab ea ſe ullis quamvis firmis rationibus depelli ſinant, atque adeo ad cognoſcendam veritatem inhabiles omnino fiant. Indolem quoque diſcipulorum, omnesque animi affectiones penitus explorant, hoc pacto, ut ſi quando illi publicarum rerum conſiliis adhibeantur, capere ex cujusque ingenio & moribus conſilia in poſterum poſſint. Quorum eis vel animi & ingenii præſtantia probatur, vel opes arrident, eos pellicere in ſuum Ordinem omni ope nituntur: adeo ut laudata tantopere diſciplina Scholaſtica ad rem Pontificiam tutandam unice referatur. Quamvis autem præſtantiſſimam ſeſe ac compendiariam pueros in Latina lingua inſtituendi viam tenere glorientur Jeſuitæ, cavent tamen inprimis, ne diſcipuli, niſi quos in ſuum Ordinem cooptare conſilium eſt, ſapientes nimis evadant. Eo igitur erudiendæ juventutis inſtituto quum multos viros ingenio & doctrina præſtantes ad ipſorum vitæ genus amplexandum induxiſſent, ipſi quoque, alioquin ſegregata a ſe reliquorum Monachorum ruſticitate, & ſordidiſſimis inficetorum Sophiſtarum moribus rejectis, in conſuetudine atque omni vita incredibilem quandam humanitatem & mores politiſſimos præ ſe ferrent: per ſpeciem ſacrarum Confeſſionum in Regias ple-

ro-

rorumque Principum irrepſerunt, & conſiliis publicis ita ſe immiſcuerunt, ut multis in locis ex ipſorum nutu omnia adminiſtrentur. Neque enim, dum in ea ſtatione ſunt, ſuæ ac Pontificis utilitatis curam unquam omittunt. Quibusdam tamen in locis, quum ſatiari & expleri avaritia eorum haud poſſet, & incredibili rerum novarum ſtudio omnibus ſeſe negotiis illigarent, collectam gratiam effuderunt. Acceſſit veterum Monachorum in eum Ordinem odium, ut qui de dignitate illorum, opibus ac proventibus multum detraxit. Huc pertinet, quod, ne quid noxium rei Romanæ & perniciofum in oculos hominum incurreret, omnium librorum cenſorium quaſi judicium ſibi Pontifex & ejus aſſeclæ vindicarunt. Eam autem cenſuram tam fraudulenter & nefarie geſſerunt, ut non ſolum pro lubitu omnia, quæ minus probabantur in priſcis Scriptoribus denuo in lucem edendis, litura obducerent, ſed eos interpolarent etiam, & integra loca, quæ ad rem facere videbantur, insererent. Qui ab iis, qui in ditione Pontificis ejusque ſectatorum ſunt, de integro conſcribuntur, libri cum cura recognoſcuntur: ſi quid alienum ab eorum rationibus in eos irrepſiſſe deprehenſum fuerit, in *expurgatorio*, ut vocant, *Indice*, conſignatur, eo conſilio, ut omittatur in altera editione. Adverſariorum autem Scripta importari omnino prohibentur, nec ea legere cuiquam fas eſt, niſi quibus nominatim ea venia data ſit: eorum autem ſatis ſpectata fides & uſu rerum comprobata verſutia eſt. Hoc pacto, quum, quæ ad Pontificia dogmata confutanda memoriæ ſunt prodita, oculis hominum nunquam ſubjiciantur, affingere adverſæ parti, quæcunque volent, Pontificii poſſunt. Quumque flagitioſa Sacerdotum vita rem Pontificiam in-

Cenſura librorum.

primis afflixerit, eaque probra editis libris Proteſtantes omnibus ob oculos poſuerint; paria viciſſim flagitia Doctoribus Proteſtantium exprobraſſe Pontificios, in ultionem intentos, quorundam obſervatione conſtat. Itaque non ſolum quæ ab uno alterove admiſſa peccata ſunt, in unum volumen congeſſerunt, verum etiam nunc innoxiis turpiſſimorum flagitiorum crimen inferunt, nec aliud falſæ criminationis argumentum, quam contrarium probari ab adverſa parte debere, aſſerunt. Ea re in magnam apud ſuos invidiam & contemtionem Proteſtantes adducunt. Nec, ut ſunt perfrictæ frontis, de miraculis ſuis, de Martyrum cruciatibus, de reliquis facinoribus præclaris, quæ in terris longinquis patraſſe ſe commemorant, mira prædicare erubeſcunt, in ſpem erecti, fore, ut magnam, apud imperitos ſaltem, auctoritatem & ſanctitatis opinionem ea re conſequantur. Eas artes, ad memoriam poſteritatis, cum cura conſignavit inter alios *Edwinus Santis*, Eques Anglicus, edito libello, de *Statu Religionis*.

Excommunicatio & Inquiſitio.

§. 36. Hiſce duriores etiam & acerbiores dignitatis tutandæ vias Pontifex & olim iniſtitit & nunc ingreditur. Superioribus equidem temporibus non alia re major, quam anathematis fulmine terror mortalibus incutiebatur; quum integra Regna diris devota omni ſacrorum uſu prohiberentur: hoc pacto Imperatores & Reges officium facere, & in Pontificis poteſtate eſſe, ſubigebantur. Hoc vero tempore inutile & hebetatum telum, præterquam tenuis aliquis Italiæ Regulus, nemo pertimeſcit. Sed in Italia & Hiſpania peculiare conſtitutum eſt Judicium, quod *Officium S. Inquiſitionis* vulgo appellatur. Eo Judicio in eos inquiritur, cauſſæque eorum diſceptantur, qui hære-

hæreſeos ſuſpecti ſunt. In graviſſimis autem hæreſibus, & non niſi ultrice flamma expiandis, numerantur ea, quæ auctoritati Pontificis, & ſancitis ab eo dogmatis ac legibus adverſantur. Ita domiti populares in officio continentur, & qui in ea terra incolunt, vitare horrendum tribunal, ceu peſtem, debent: tanta quippe ſeveritate exercetur judicium ab iſtis Quæſitoribus, ut, qui in eorum manus ac poteſtatem venerit, ultimum ſupplicium effugere vix ac ne vix quidem poſſit.

Rationes quibus permota plebs in fide Pontificis perſeverat.

§. 37. Quanquam autem & regiminis Eccleſiaſtici & cultus Divini ratio, & reliqua, quorum mentionem feci, vim ſatis magnam habent ad continendos in fide & auctoritate Pontificis homines, Pontificio maxime Clero ita res ſuas adminiſtrante, ut ſatisfacere omnibus ſtudeat; & ego ipſe facile credo, magnam eorum partem, qui in ditione Pontificis ſunt, perſuaſum habere, vera eſſe quæcunque ipſis a magiſtris ſuæ religionis traduntur; alios item occaſione eruendæ veritatis deſtitutos eſſe: credibile tamen omnino videtur, ex eruditis & rerum humanarum gnaris permultos exiſtere, qui totius rei compagem, & quam infirmis vinculis ea machina contineatur, facile perſpiciant. Ceterum, quo minus jugum excutiant, aliæ obſtant cauſſæ. Plurimos, mea quidem ſententia, continet a defectione deſperatio emendandæ religionis, quod ſe tantæ rei impares eſſe intelligunt: ipſi tamen prodere ſalutem, &, quas ſub Pontifice ſibi compararunt, opes ac dignitates projicere, famemque ex ſumma copia tolerare, tranſitione ad Proteſtantes facta, nolunt, quod præceps nimis & temerarium tentandæ patientiæ conſilium foret. Itaque ad æternam beatitudinem conſequendam ſatis eſſe putant, ſi in Chriſto ac ejus meritis omnem ſalutis

ſuæ ſpem repoſitam habeant. Nam reliqua, quæ humana adjecit ſuperſtitio, ſacrorum miniſteria, & obiri in ſpeciem, &, quatenus viſum eſſet, credi, ſalva religione, poſſe. Nec ad rem pertinere, quod ea mulieres, & imperita multitudo ad res immodicas & ſuperſtitiones immoderatas ſua ſponte proclivis, ſerio credunt. Permultos quoque eorum eſſe, dubium non eſt, qui ea, quæ divinitus præcepta ſunt in religione, diſtinguere ab iis, quæ ſuæ utilitatis cauſſa Clerici adjecerunt, nequeant. Ii igitur, iſtorum detecta fraude, quum divina quoque juſſa pro commentis anilibus habeant, omnem poſtremo ſenſum Divini Numinis exuunt, & ne quod ab hominibus periculum aut incommodum ſibi arceſſant, nefandam opinionem ſpecie exteriore & religionis ſimulatione tegunt. Et facile poteſt quivis rerum humanarum gnarus exiſtimare, quam nullo negotio fieri poſſit, ut præſtanti & acuto ingenio Hiſpanus aliquis aut Italus, qui nec Sacras Litteras unquam, nec ullum melioris notæ librum Proteſtantium perlegerit, ubi Cleri Pontificii artes fraudesque olfacere cœperit, in ejusmodi cogitationes incidat. Illud quoque conſtat, ab Lutheri ætate rem Pontificiam longe aliam ſibi adſciviſſe faciem, alium induiſſe habitum, majoremque, quam antea, ſpeciem ſanctitatis præ ſe tuliſſe. Porro, magna hominum ſummæ & medioeris conditionis pars ſuis rationibus a dominatu Pontificio inprimis conſultum ac proſpectum eſſe intelligunt. Suis enim in ſacrum Ordinem, ſeu Equitum, ſeu Sacerdotum & Monachorum, cooptatis, quum nihil ad vitæ uſum cultumque deſit; familiæ illuſtres non ſolum magno levantur onere, ſed creſcendi etiam locum nonnunquam, & caput altius extollendi facultatem adipiſcuntur. Volupta-

luptati certe eſt parentibus ſuperſtitione obcæcatis, liberos, relictis profanis, in religioſiſſimas familias, & ſanctitatis laude inprimis conſpicuas, nomina dare, & quaſi in numerum ſanctorum hominum referri. Denique, ita fere comparatum eſt, ut quibus in omni vita adverſa fortuna fuit, nec ulla emergendi e tantis difficultatibus ratio conſtat, ii, deſperata ſalute, in cœnobium ſeſe, tanquam ultimum inopiæ perfugium, recipiant. Qua quidem commoditate, ſi ſublata & everſa Pontificia dominatione Eccleſiaſtica bona in ærarium Reipubl. aut fiſcum Principis redacta forent, haudquaquam uterentur. Radices quoque tam alte egit iis in locis, in quibus floret res Pontificia, ut, ſi quis eam exſcindere conatus fuerit Princeps, expedire tamen exitum inſtitutæ rei haud poſſet. Neque enim Cucullati adverſus eum ſuperos inferosque juxta concitare, &, ſi eo parum proficiant, ad ultimum *Jacobum Clementem* aliquem redivivum, aut *Ravalliacum* percuſſorem ei immittere verebuntur. Quin ipſi quoque Principes maxima ex parte aut magnam in ſacra iſta dominatione utilitatem Reip. verſari credunt, aut non ſolum in rebus novis commodum nullum, ſed & magnam perturbationem rerum omnium animo proſpiciunt.

§. 38. Italiæ inprimis intereſt, ſalvam & incolumem rem Romanam eſſe. Pertinet enim ad ejus amplitudinem ac dignitatem, & Pontificiam ſedem in ſuis finibus eſſe conſtitutam, & in præſentia ad Pontificium faſtigium aditum, niſi Italo natione, nemini patere. Nec ulla Domus illuſtris eſt in Italia, in qua non aliqui ſaltem utilitatem ex Pontificia dominatione capiant. In Polonia Epiſcopatus & perquam luculentos Eccleſiæ proventus Nobiles indigenæ, magno ſuo bono,

Qui Status utilitatem ex dominatione Pontificia capiant.

no, tenent. Itaque Nobilitatis, penes quam ſumma imperii eſt, ne quid detrimenti res Pontificia capiat, maxime intereſt. Epiſcoporum quoque, ut qui & Senatores Regni ſint, magna in Polonia auctoritas eſt. Nec minori potentia Eccleſiaſticus Ordo pollet in Luſitania, ut ſi immutare quidquam in rebus Eccleſiaſticis Rex inſtituiſſet, Clerici ad unum omnes defecturi ad Hiſpanum, & ejus partes incredibili acceſſione firmaturi eſſent. Qua re factum, ut ſuperioribus annis adverſus Pontificem Luſitanus ne hiſcere quidem auderet, licet, quod novos creari Epiſcopos abnuiſſet, a Pontifice, Hiſpanis gratificaturo, duriſſime habitus, juſtam exuendi ſe jugo Pontificis cauſſam habuerit. In Germania ex Ordinibus nonnulli in fide & auctoritate Pontificis manſerunt, & quidem inter Civitates Imperiales Colonia Agrippina, incredibili Cucullatorum multitudine referta, itemque alia minora oppida. Inter Comites & Equeſtrem Ordinem ii ſe a defectione continuerunt, qui ad Eccleſiaſticas dignitates & vectigalia perquam opima viam ſibi obſtrui noluere. E *Secularibus*, ut vocant, Principibus Bavarum in officio continuit inſitum ei familiæ faſtigii Imperatorii deſiderium. Eam autem ſpem infringere aut eripere defectio ab Eccleſia Romana potuiſſet. Ceterum, quæ rationes aliquot Proteſtantium Principes impulerint, ut cum Eccleſia Romana in gratiam redirent, ſatis inter omnes conſtat. Nec mirum videri debet, Epiſcopos in fide Pontificis conſtanter manere, quippe quibus commodius multo & optabilius eſſe videtur, in faſtigio Principali opibus circumfluere, quam in ſtatione miſeri Præconis verbi divini egeſtate conflictari. Exemplo quoque duorum Electorum Colonienſium deterrentur, qui ſuperiore ſeculo renovare & reſti-

tuere

tuere collapſam Eccleſiæ diſciplinam aggreſſi ſunt infelici exitu. Ex quo rerum potitus eſt Carolus V. quum belliſſimam ordinandi Imperii & reſtituendi occaſionem Hiſpanorum conſilia diſcuſſiſſent, rei Germanicæ ratio haud tulit Imperatorem, etiamſi maxime vellet, deſciſcere a Pontifice Romano. Nam, ut nunc res ſunt, Principes Eccleſiaſtici ſtare cum Imperatore coguntur, quo præſidium aliquod adverſus Principes *Seculares* habeant. Quod ſi vero ſeceſſionem facere a Pontifice Imperator in animum induceret, Eccleſiaſticum Ordinem primum haud dubie in ſe irritaret: deinde a Secularibus Principibus haud magna auxilii ſpes foret: maxime, vetuſtis Principum familiis, quibus hoc tempore propter religionis invidiam omnis fere Imperatoriæ dignitatis ſpes inciſa eſſe videtur, par ſibi, ac Auſtriaca Domus, jus in illam vindicaturis: Pontifex quoque, ſi defectionem Imperator moliretur, cœlum terræ miſcere, & ſuperos inferosque juxta concitare in eum extemplo inſiſteret. Nec eam invadendi Imperii & potiundæ ſummæ dignitatis occaſionem Gallus dimitteret: fierique poſſet, ut ei, tantum facinus molienti, ex Ordine Eccleſiaſtico, qui eſt in Germania, multi ſeſe adjungerent. Hiſpani magnum tuendæ & amplificandæ Pontificiæ dignitatis ſtudium præ ſe ferunt; partim quod ad poſſeſſionem & otium Regni Neapolitani & Ducatus Mediolanenſis conſervandum benevolentia Pontificis inprimis indigent: partim quod conſiliis ſuis Religionis Catholicæ tutandæ & propagandæ ſtudium prætendere in more habent. Quanquam inita eo obtentu conſilia infelicem fere exitum habuerunt. De opibus, quibus Eccleſiaſticus Ordo in Hiſpania admodum pollet; de falſis item & horrendis opinionibus, quibus, ut in invidiam

Proteſtantes adducerent, imperitæ multitudinis mentes Clerici imbuerunt, nihil dicam. Gallus haud ita magnam rei Romanæ juvandæ & ornandæ cupiditatem præ ſe fert: nec unquam adduci ſe paſſa eſt Eccleſia Gallicana, ut ſe imperio Romani Pontificis ita, ut ex ejus nutu tota penderet, ſubjiceret. Et ſi quid poſtulare a Gallis Pontifex inſtiterit, quod convellere libertatem Eccleſiæ Gallicanæ videatur, ei rei Supremum Conſilium Pariſienſe confeſtim occurrit. Multas quoque propoſitiones, quas paraſiti & mancipia Pontificis excogitarunt, Sorbona rejicit damnatque. Porro, Nuntii Pontificis cum cura ſervantur in Gallia, neve longius, quam oportet, progrediantur, inprimis providetur. Ii Roma egredientes directa & ſublata in ſublime cruce proficiſcuntur: Galliæ fines ingreſſi eam ſubmittunt, donec obeundi muneris poteſtas a Rege datur. Chirographo autem Regi cavent, ea ſe poteſtate, nec aliter, nec diutius, quam ei placuiſſet, uſuros eſſe. Opera quoque Scribarum Gallicorum uti, & diſcedentes commentaria rerum ſuarum, item ſignum, quo obſignare litteras conſueverant, relinquere, aliosque ſervare ritus neceſſe habent, ſine quibus, quidquid egiſſent, irritum omne futurum eſſet. Quocirca dictitant Galli, Nuntio Pontificis obeundæ legationis poteſtatem non minus a Rege quam a Pontifice datam, adeoque precariam eam eſſe, & ad nutum Regis adimi ei poſſe. Quam ob cauſſam Nuntius, ubi in conſpectu Regis eſt, removet crucem & abſcondit; perinde quaſi omnis ejus jurisdictio, præſente Rege, evaneſceret. Et opinio eſt, rerum potiente Richelio, Patriarchæ in Gallia conſtituendi conſilia agitata eſſe. Quæ tamen, mea quidem ſententia, haud ex uſu rei Gallicæ forent.

Eccle-

Eccleſiaſticus enim Ordo id haudquaquam æquo animo pateretur, haud ex vano metuens, ne per eam occaſionem luculentos & opimos Eccleſiæ proventus Rex vehementer diminuat & circumcidat. Quod ſi ad Imperatoriam dignitatem Gallus adſpiraret, defectio ſane a Pontifice Romano aliena prorſus ab inſtituto foret: potius enim Imperio Princeps, tantis, quantis Gallus, opibus pollens, non ſolum veterum Imperatorum jura, diuturnitate ſilentii fere oblitterata, revocare atque e tenebris quaſi eruere inſiſteret: (magna autem eorum jurium pars ad urbem Romam refertur:) verum etiam per ſpeciem tuendæ rei Pontificiæ eos, qui ab Eccleſia Romana receſſerunt, in antiquum jus repetere nullo negotio poſſet. Ceterum, Pontifex a Monarchia Gallicana vehementer abhorret, haud ex vano metuens, ne purgata ab inveteratis vitiis & ordinata aula Romana, & Pontificia poteſtate circumſcripta, ita in ordinem redigatur a Gallo, ut præter Patriarchæ alicujus exiguam vim ac poteſtatem nihil ei relinquatur. Nihilo melius cum ipſo actum foret, ſi, quam animo agitabant jamque parturiebant, Monarchiam Hiſpani peperiſſent ſibi & ad exitum perduxiſſent: quanquam, ſi ejusmodi exoriretur Monarchia, haud dubie futurum eſſet, ut in arctum res Proteſtantium ac religio cogeretur, & difficillimo collocata loco conſpiceretur. Quæ quum ita ſint, illud tenere oportet, utriusque Regni, cujus modo mentionem fecimus, æquilibrio & æmulatione potentiæ, ceu fundamento, rem Pontificiam inniti. Itaque prohibere inprimis & providere Pontificem neceſſe eſt, ne alterutrer eorum Regum, æmulo peſſum dato & everſo, imperio totius Europæ potiatur. Cujus rei luculentum documentum a multo tempore Firmiſſima Papatus columna.

pore

pore Pontifices, eam, quam dixi, viam inſiſtentes, dederunt. Henrico II. mortuo, quum tenuis & infirma res Francica eſſet, Pontifex, velit, nolit, Hiſpanorum partes ſequi coactus eſt. Hiſpani quippe eum, bonis malisque artibus juxta adhibitis, obnoxium ſibi reddiderunt. Nepotum, ut vocant, Pontificis animos ſollicitabant, qui in tanta vitæ & imperii, quod Pontifex eorum propinquus gereret, brevitate ſtabilire opes familiæ, & quoad fieri poſſet amplificare geſtiebant. Eorum igitur cupiditati ut ſervirent, Hiſpani penſionibus annuis, ſacerdotiis magni vectigalis, prædiis luculentis, dignitatibus ampliſſimis, & nuptiis denique plenis utilitatis dignitatisque, ſibi eos devinxerunt. Itaque hi Pontificem, propinquum ſuum, ſæpe perpulerunt, ut plura, quam debebat, aut fas erat, Hiſpanis gratificaturus, faceret. Quod ſi beneficia ad prodendam ſedem parum apud Nepotes valebant, eos poſt obitum Pontificis omni injuriarum genere exagitare ac vexare Hiſpani inſtiterunt. Eam ob cauſſam Hiſpani id ſemper egerunt, ut qui alienæ ab Hiſpania voluntatis nomine ſuſpectus eſſet, a Pontificia dignitate arceretur. Ceterum, recreata re Francica & magnis opibus aucta, Pontifices, quum jam, dempto Hiſpani metu, ſui juris eſſe, & priſtinam libertatem quaſi poſtliminio recuperare cœpiſſent, inclinata in neutram partem voluntate, hactenus utrumque Regem benevolentia complexi ſunt, quatenus id expedire ſuis rebus credebant. Quamobrem Jeſuita quidam, Guichardus nomine, Lutetiæ Pariſiorum in ampliſſimo templo pro concione dixit anno CIƆIƆCXXXVII. menſe Julio; bellum, quod tum temporis cum Hiſpano Gallus gerebat, ſacrum eſſe, & religionis ergo ſuſceptum: Hiſpanorum quippe conſilia,

lia, niſi eis Gallorum Rex occurriſſet, eo ſpectaſſe, atque eum etiam exitum habitura fuiſſe, ut Pontifex, ſummo faſtigio dejectus, *Eleemoſynarius*, ut vocant, Regis Hiſpanorum fieret.

§. 39. Quod ad eos attinet, qui a Pontifice Romano ſeceſſerunt, pergratum equidem Pontifici fuerit, eos in fidem ipſius & obſequium redire: cum hac tamen exceptione, ne quis ex eorum ruina tantas ſibi opes comparet, ut terrorem deinceps univerſæ Europæ, potentiæ fama, injiciat. Satius quippe eſt, ſalvum eſſe hoſtem, & lucis hujus uſura frui, quam eo occiſo tuam ipſius vitam te amittere. Atque eam ob cauſſam Paulum III. Pontificem, lætis nimis ac ſecundis Caroli V. bello Proteſtantes perſequentis rebus, anxium fuiſſe ac ſollicitum comperimus, adeo ut, quas ei auxilio miſerat, copias extemplo domum revocaret. Ita lætiorem expeditionis, quam in Britanniam Philippus II. ſuſceperat, eventum Sixtus V. tacitus deprecabatur, adeo ut, ſi Hiſpano res ex animi ſententia ſucceſſiſſet, illum lati ab ſe tanto cum ſtudio auxilii pœnitentia haud dubie ſubitura fuiſſet. Ita, orta inter Hiſpanum & Rhætios controverſia de Valle Tellina, horum cauſſæ Gregorius XV. favebat, nulla religionis (ſequebantur enim *Reformatorum* diſciplinam) ratione habita. Nec invitus patiebatur Urbanus VIII. Auſtriacæ Domui aliquam a Guſtavo Adolpho, Suecorum Rege, cladem inferri, præſertim, quum illa Catholicos ac Proteſtantes nullo a ſe diſcrimine haberi, recenti in Principem Mantuanum exemplo edito, declaraſſet. Proditum memoriæ eſt, Pontificem Ferdinando II. ut promiſſa ſibi pecunia repræſentetur poſtulanti, pro argenteo chartaceum tuliſſe ſubſidium, miſſo diplomate, quo Imperatori, omnibuſque, qui in ejus

Quo animi affectu Pontifex in Proteſtantes feratur.

Digitized by Google

ejus exercitu eſſent, militibus, ſi quando eos mortem oppetere contingeret, gratia peccatorum fieret, ut alacriore ſcilicet animo in perniciem ſuam ruerent. Denique, paucis abhinc annis Curiam Romanam haud leviore metu ſuſpenſam tenuit armorum, quæ contra Batavos Rex Gallorum ſumſerat, nimia felicitas: quum in tantum diſcrimen adducta ea Reſpublica eſſet, ut haud procul abeſſe ab interitu videretur. Ceterum, in eam curam Pontifex animum inprimis intendit, idque optat unice, ut ſcitis artibus reconciliatos in fidem recipiat. Hujuſcemodi artes ſunt, ſemina diſcordiæ inter Evangelicos, ut vocant, jacere atque fovere, eorum animos blanditiis permulcere, eos Pontificiarum uxorum nuptiis illigare, filios natu minimos, illuſtri loco ortos, dignitatibus, beneficiis, & opimis Eccleſiæ vectigalibus illectos, Eccleſiæ Romanæ in perpetuum devincire, ſi qui, ſacris Proteſtantium relictis, tranſitum ad Eccleſiam Romanam feciſſent, eos benigne exceptos opibus & honoribus ornare, Evangelicorum Theologos haudquaquam libris editis aggredi, ſed potius ſinere eos mutuis ſeſe altercationibus ac diſſidiis conficere, & ſi quæ his ſunt ſimilia. Atque ſatis compertum eſt & evidens, Pontificium Clerum hoc ſeculo non ſolum magnas in præſentia opes ſibi adverſus Proteſtantes comparaſſe, ſed eo rem deduxiſſe, ut majores indies progreſſus facere poſſit: atque adeo in ſinu, quod ajunt, gaudere, quod Proteſtantium vires inteſtinis inter ſeſe diſſenſionibus conteri quotidie cernit.

Inter Pontificem & Proteſtantes

§. 40. Ex iis, quæ commemoravimus, apparet, ecqua ſpes componendæ Pontificios inter & Proteſtantes controverſiæ ſit reliqua; ita quidem, ut aut remiſſa nonnihil utrinque ſententiæ tuendæ per-

pertinacia, communi utriusque partis conſenſu, *Symbolum*, ut vocant, *fidei* componatur, & jura ſacrorum volumine quodam deſcribantur, levioribus quæſtionibus, ut quæ ad ſummam rei haud pertineant, ad ſcholas rejectis, aut ea reconciliationis ratio ineatur, ut, relicta cuique ſententiæ retinendæ poteſtate, nullaque mutui diſſenſus habita ratione, fraterna quædam neceſſitudo, ab ipſo Chriſto Servatore ſancita, inter Pontificios & Proteſtantes ſtabiliatur, & ſinguli utriusque partis pro membris unius cœtus Chriſtiani habeantur, atque adeo ad mutuam caritatem animorum conſpiratio inter diſſentientes exiſtat. Quod ſi & rei ipſius naturam, & Pontificis rationes accurate nobiscum reputemus, fieri ejusmodi pactionem nullo modo poſſe, exiſtimamus. Etenim, non de iis ſolum rebus, quæ ad jura & diſciplinam ſacrorum pertinent, inter ſeſe diſſentiunt diverſæ doctrinæ Sectatores, ſed contraria etiam utrosque privatæ utilitatis ratio movet. Nam primum reſtitui Pontifex Eccleſiaſtica bona vult; Proteſtantes ea, uti nunc ſunt, retinere cupiunt. Pontifex ſummum ſeſe arbitrum ſacrorum & caput Orbis Chriſtiani ferre; Proteſtantium Ordines rerum ſacrarum poteſtatem tanquam non contemnendam ſummi imperii partem retinere ſatagunt. Nec fieri ſine *contradictione*, ut cum Scholaſticis loquar, *in adjecto* poteſt, ut quis & ſacrorum communionem habeat cum Pontifice & amicitiam colat, nec tamen eundem pro ſummo Eccleſiæ arbitro ac domino velit agnoſcere; perinde ac ſi quis Regni civis dici, nec tamen ſe Regis imperio ſubjectum eſſe fateri vellet. Tum vero divina Pontificis ſapientia, quæ nec falli poteſt, nec fallere, univerſam rei Pontificiæ molem ſuſtinet, ut, ea ſubtracta baſi, totam machinam

num componendarum controverſiarum ſpes ſit reliqua.

chinam corruere neceſſe ſit. Itaque rationes Pontificis haud ferunt, ut Proteſtantibus in ullo, vel leviſſimo, religionis capite, quod quidem adhuc in controverſiam vocatum ſit, quidquam concedat. Nam ſi una in re falſi ſe quidpiam defenſaſſe fatetur, labi utique & errare in Pontificem cadit. Nam quo minus, qui ſemel erravit, ſæpius erret, nihil obſtat. Quod ſi vero Pontificem omnis erroris expertem eſſe Proteſtantes fatentur, reliqua item, quæ tradidit, ſacrorum jura ac dogmata vera eſſe fateantur neceſſe eſt. Jam vero haudquaquam credibile eſt, unquam fore, ut, quæ adverſus Pontificem adhuc tradiderunt Proteſtantes, dogmata ſua ipſorum confeſſione refellant. Nam ut in Laicis nulla mora ſit, quid Eccleſiaſticus Ordo faciet? Quid de conjugibus eorum ac liberis fiet? Itaque operam luſiſſe, & ſuam inſcitiam prodidiſſe, atque adeo uberrimam ipſis Pontificiis ridendi materiam præbuiſſe comperti ſunt, qui laudabili quidem, ſed irrito conſilio, pacis & concordiæ inter Pontificios ac Proteſtantes conciliandæ, vel, ut vocant, *Syncretiſmi* inter eos conſtituendi rationem oſtendere & conditiones ferre, in animum induxerunt. Ceterum, id conſilium rei Pontificiæ non ſolum non incommodum, ſed fructuoſum, agitari cum ſumma moleſtia a Proteſtantium Theologis, haud ægre Pontificii patiuntur: controverſiæ enim de *Syncretiſmo* ultro citroque agitatæ non ſolum graviſſimas inter Evangelicos Theologos contentiones & altercationes pariunt, ſed impetum illum & ardorem animi, quo ad Pontificios impugnandos Proteſtantes feruntur, vehementer reſtinguunt. Ac fieri facile poteſt, ut, ubi quis, dogmatis Chriſtianæ Religionis non niſi leviter tinctus, de compoſitione agi acceperit, haud adeo magnum

inter

inter Pontificios & Proteſtantes intervallum interjectum eſſe ſuſpicetur. Quod ſi, dum in ea hæreſi eſt, aliqua melioris fortunæ, aut majoris utilitatis ei ſpes adfulgeat, adduci facile poteſt, ut, remiſſo Proteſtantibus nuncio, ad Pontificios tranſeat. Par enim caſtelli locive muniti, & pudicitiæ virginalis conditio eſt, ut, ubi de conditionibus agi cœptum eſt, in ſummum utraque diſcrimen adducta eſſe videantur.

§. 41. Sed quærat aliquis, poſſitne Pontifex, & qui ejus ſectam ſequuntur, vi ſubigere Proteſtantes, ut in fidem ejus & obſequium redeant? Illud utique conſtat, multo majores Pontificiis, quam Proteſtantibus, opes ac vires ſuppetere. Pontificis enim partes ſequuntur tota Italia, tota Hiſpania & Luſitania; Galliæ item & Poloniæ pars maxima, Helvetiæ autem ea, quæ ceteris pagis infirmior habetur. In Germania quoque Auſtriacæ provinciæ, Regnum Bohemiæ, &, hoc quidem tempore, omnes, quæ in ditione ſunt Imperatoris, regiones Hungariæ, Epiſcopi item, quive Eccleſiaſtico Ordini cum imperio præſunt, Domus Bavarica, Neoburgo-Palatina, Bada-Badenſis, & inter Principes nonnulli, quorum non eadem, quæ reliquorum, dignitas eſt & amplitudo: pars aliqua Comitum, Baronum, Ordinis Equeſtris, & Civitatum Imperialium: ut nihil dicam de iis, qui in terris Proteſtantium ditioni ſubjectis ætatem paſſim agunt. Quorum omnium ſubducta ratione, ſi numerus iniretur, quantum conjectura licet aſſequi, duæ tertiæ Germaniæ partes conficientur. Ingens quoque Pontificiorum multitudo eſt in Batavia; in Anglia denique complures ejus Sectæ, &, ut ita loquar, fermenti reliquiæ etiamnum ſuperſunt. In partibus Proteſtantium ſunt Anglus, Suecus, Danus, Batavus;

vus; in Germania item Electores, ac Principes, ut vocant, *Seculares*, & Liberæ Civitates, maxima ex parte. In Gallia Hugenotæ armis & omni quidquam moliendi poteſtate ſunt exuti. Diſperſi per Poloniam Evangelici vires omnino nullas habent. Semigallia & civitates Boruſſiæ ſatis benigne ſecum actum eſſe credunt, ſi ſacrorum ſuorum diſciplinam ſalvam & incolumem conſervent: nec enim præterea quidquam aſſequi viribus valent. Nihilo plus momenti, ad rei ſummam, poſitum eſt in Tranſylvania. Pontificiorum quoque multo melior eſt conditio, quam Proteſtantium; propterea quod illi Pontificem, ſummum Antiſtitem Eccleſiæ & Caput eſſe, ad unum omnes agnoſcunt, & ſi minus animo, ſaltem ore & exteriori ſpecie, in cultu divino conſentiunt. Proteſtantes contra Spirituali ejuſmodi Capite, quod in oculos hominum incurrat, deſtituti fluctuant, & animorum inſuper diſtractione fœde lacerati ſunt & diſcerpti. Nam, ut minores Sectas Arminianorum, Socinianorum, Anabaptiſtarum, ac ſimilium omittam, ipſum quaſi Corpus Proteſtantium in duas factiones eſt diſtractum, Lutheranorum & Reformatorum: inter utroſque multi ſunt, qui (turpe dictu!) non minore, quam ipſos Pontificios, odio adverſam Proteſtantium partem proſequantur. Nec etiam apud Proteſtantes univerſali quadam deſcriptione cultus divini ratio continetur: ſed ad ſuum unaquæque Reſpublica arbitrium hæc omnia adminiſtrat & moderatur. Nec diffiteri licet, Pontificium Clerum majore plerumque ſtudio, opera, induſtria, & contentione animi incumbere ad propagandam Religionem, quam Proteſtantes: eorum enim complures in Eccleſiaſtico munere ita verſantur, ut potiſſimum ad tolerandam vitam

tam

tam omnia referant; non ſecus, ac opifices victum quæritare opus faciendo ſolent: regni cœleſtis proferendi poſtrema eſt cura. Monachi e contrario & Jeſuitæ magnam ſibi auctoritatem comparant miſſis in verſas ad Orientem oras & in Americam legationibus, quas *Miſſiones* vulgo appellant: earum res geſtas etſi multis mendaciunculis conſpergere conſueverunt, tamen eſt præclara atque omni prædicatione digna voluntas. Adhæc principes Proteſtantium Reſpublicæ pene inexpiabili, ex æmulatione, odio inter ſe diſſident, ut ingruente bello vires haud temere junctæ eſſe aut ſociaturæ conſilia videantur: ita enim, ut reliquos taceam, inter ſe animati ſunt Suecus & Danus, Britannus & Batavus. Quanquam, ſi adverſam partem animo contemplamur, non minor inter Gallum & Hiſpanum æmulatio intercedere cognoſcitur: quæ quidem impedimento eſt, quo minus illi junctis viribus invadere Proteſtantes, aut quidquam temere moliri contra eos in animum unquam inducant: adeo ut, quamvis multis partibus inferiores Proteſtantes Pontificiis ſint, tamen quod magnopere metuant, ne in ordinem cogantur a Pontifice, nihil eſt. Verum tamen multum intereſt inter eos Proteſtantes, qui nullius imperio ſubjecti peculiarem conſtituunt Rempublicam, & eos, qui in ditione Pontificiorum ſunt: horum quippe haud æque, ac illorum, in tuto collocata Libertas eſt atque Religio. Ita, exempli cauſſa, Hugenotarum in Gallia ſecuritati non alia re, quam data a Rege fide & edicto Nannetenſi, cautum eſt: ac peſſimo ſane loco eorum res eſſent futuræ, ſi quando Regem digna Hiſpano aut Auſtriaco cupiditas religionis propagandæ inceſſerit. Sed tamen Regem eis, dummodo ne ipſi res novas moliantur, ob

cultus divini diſciplinam, vim illaturum eſſe, nequaquam crediderim: præſertim ſi meminerit ac ſecum reputaverit, quam utilem ac fidelem operam Henrico in adipiſcendo Regno Hugenotæ navarint: ut ſine eorum ope haud facilem habuiſſe aditum videretur. Nec Curlandos ac Boruſſos Polonus armis perſequi, ob diverſum ſacrorum cultum, in animum temere inducet: maxime, quoad ſuæ Gedanenſi civitati ſalva libertas erit. Proteſtantes in Germania opibus haud contemnendis pollent, plane, ut ſi continentibus finibus circumſcripti ad unum omnes unius regerentur imperio, florentiſſimi cujuſque Regni vires & amplitudinem adæquarent. Ceterum, multitudo imperantium, dum alii aliud ſpectant, & ſua unumquemque, omiſſa boni publici cura, utilitas movet, & ingentia, quibus eorum terræ disjunguntur, intervalla vires male cohærentes vehementer imminuunt. Intra centum annorum ſpatium bis eos Imperator in tantas redegit anguſtias, ut, niſi Gallus ac Suecus in tempore ſubveniſſent, Religio juxta & Libertas eorum (tam arcto quippe nexu utraque inter ſe copulata eſt, ut altera ſine alterius ruina opprimi nequeat) haud multum abeſſe ab interitu viderentur. Superioribus equidem annis novum & inuſitatum dogma in vulgus edi cœptum eſt: ferebatur quippe, Proteſtantes per ſe ſatis magnas habere vires, ad libertatem pariter ac divinum cultum tutandum, ut eorum, quos ſupra demonſtravi, Regum præſidio haud amplius indigeant: Brandeburgicum autem dignum inprimis ac idoneum videri, cui rei ſummam moderandi provincia demandetur. In ea autem opinione perſeverare eos, Domus Auſtriacæ in primis intereſt. Atque ejus dogmatis obtentu ſuam Brandeburgicus & Luneburgicus cupiditatem tegunt,

gunt, qua ſuæ ditionis facere ſtudent conceſſas Sueco, ut ei ſatisfieret, provincias; propterea, quod non minus eorum Germaniæ Principum, quam reliquorum Ordinum libertatem & ſacra tutari una cum aliis inſtiterat. Sed fac eos exitum inſtitutæ rei explicare, ea certe imperii & opum acceſſio utramque familiam minus formidabilem Imperatori reddet, quam adhuc Suecorum præſidio niteretur. Quod ſi quantum in Gallo ac Sueco fuit, tantum in Dano & Batavo ſubſidii conſtitutum fore putant, vehementer errant. Sed fac item Imperatorem voti damnari & exitum conſiliorum explicare: fac eum, utroque Rege, Gallo & Sueco, terrarum, quas tenent in Germania, poſſeſſione dejecto, & finibus Germanorum penitus expulſo, adflictas Hiſpanorum partes quaſi poſtliminio recreare & in priſtinum amplitudinis locum reſtituere; fac denique Ordinum vires alendo Cæſaris exercitum aliiſque belli incommodis fractas penitus ac debilitatas eſſe, ecquis eo tempore (nec enim facilis ad explicandum quæſtio eſt) Imperatorem compellet ad ingentem & elatum victoriis exercitum dimittendum? Nullam ne ſatis probabilem cauſſam retinendi militis, & ut ab Ordinibus alimenta præbeantur, imperandi Cæſar inveniet? Satiſne magnas Brandeburgicus & Luneburgicus vires habebunt, quibus freti objicere ſeſe conatibus Imperatoris queant? Quod ſi denique ſe ſolos impares tantæ rei Proteſtantes intellexerint, ſtatimne eorum rogatu & arceſſitu, abalienati Reges ad ferendum auxilium accurrent? aut ſi advolare maxime vellent, quis præſtabit, ita tum temporis eorum comparatam rem publicam fore, ut ſuſcipere tantum onus poſſint? Scilicet, ubi ad ultimum periculi ventum erit, redivivus aliquis

Guſtavus Adolphus de cœlo miſſus advolabit, qui laborantibus ſuccurrat, & pari, atque ille, rerum ſucceſſu utatur? Nam qui pactionibus aut chirographis Religioni ſatis cautum eſſe, ullamve principatus Germaniæ invadendi occaſionem Cæſarem prætermiſſurum, ſpecioſiſſimum ejus rei perficiendæ titulum præbente Religionis obtentu & bonorum Eccleſiaſticorum reſtitutione, putat, næ illum omnem ſuperiorum temporum memoriam depoſuiſſe neceſſe eſt. Ceterum, quam irrita & vana ea conſilia fuerint, Pacificatio Neomagenſis ſatis oſtendit. Quæ ſui juris ſunt Reſpublicæ Evangelicorum, & nullius ſubjectæ imperio ſuis utuntur legibus, quod metuant, ne ab hoſte aliquo externo oppreſſæ ſacrorum cultu priventur, nihil eſt. Nec enim conſentientium in ſacrorum diſciplina conſpiratione, quod ex æmulatione rei publicæ naſcitur, odium tolli, documento ſunt Gallus & Hiſpanus, Anglus & Batavus. Nec viciſſim diſſenſionis in Religione ea vis eſt, ut ſi quando Principem Evangelicum evertere & peſſum dare ſubnixus viribus Pontificius aggrederetur, illum reliqui Principes Pontificii confeſtim deſerant: dummodo ipſorum quodammodo interſit, illum ſalvum eſſe & incolumem. Itaque perpetuitas Religionis Evangelicæ in iis Rebuspublicis in intenta divini cultus domi bene conſtituendi & tutandi cura conſiſtit. Ad eam rem nullis artibus, nulla calliditate, nullis technis, quibus utuntur Pontificii, opus eſt: ſimplici tantummodo & expedita via ingrediendum eſt. Summa rei ad hæc potiſſimum capita refertur: ut Eccleſiæ ac ſcholis homines idonei & bonis artibus exculti præficiantur: ut Eccleſiaſticus Ordo fidei & doctrinæ ſalubritate, morum ac vitæ integritate aliis præluceat: ut omnes, & maxime ii, qui in

Republica aliquando auctoritate multum valebunt, ad divina myſteria & ſacrorum diſciplinam penitus cognoſcendam a teneris unguiculis erudiantur: ut adverſus Pontificiorum illecebras firmiſſimis præſidiis muniantur; maxime ſi quando eos concedere in terras Pontificiorum ditioni ſubjectas contingat: ut Clerus ea ſapientiæ & eruditionis præſidia ſibi comparet, quibus adverſariorum artes & machinationes, ad quas comminiſcendas animum dies noctesque intendunt, eludere, aut impetum retundere queant, & quæ his ſunt ſimilia. Sunt qui exiſtiment, ad rationes utriusque Proteſtantium, Lutheranorum videlicet & Reformatorum, partis inprimis accommodatum eſſe, aliquam inter eos concordiæ ſtabiliendæ rationem iniri: eos quippe, præter diſſenſionem in diſciplina ſacrorum, ortum ex contrariæ & pugnantis utilitatis reſpectu odium ſubinde ſtimulat, & ad mutuam perniciem incitat: & ſane res facultatem habere quibusdam videtur, dummodo odium, iram, acerbitatem, nimium amorem ſui, arrogantiam, imbibitas animo opiniones, & calumnias amovere diſſentientes poſſent. Ceterum, hominum plerorumque naturam & indolem nobiscum reputantibus ea, quæ poſtulantur, ejuſmodi eſſe videntur, ut optari facilius, quàm ſperari queant. Quod ſi quis libros, in quibus de controverſiis ſacrorum ultro citroque agitur, ſine partium ſtudio perlegit, Deus bone! quomodo utriusque factionis populares ſeſe in omnes partes verſant, quomodo ſudant, & quidvis comminiſcuntur, ut ſuſceptam ſemel & in vulgus editam opinionem mordicus tueantur, utrum cum S S. Litteris congruat, nec ne, parum laborantes. Deus bone! quomodo eandem ſemper crambem recoquunt, ut quæ vel centies

refutata ſunt & diluta, identidem in medium proferant. Nec etiam, inclinata in neutram partem voluntate, ſuſcipere ſimul utriuſque dogmata licet. Nam qui in iis rebus indifferens eſt, & in neutram partem movetur, is nulla ſe totius rei cura tangi ſatis declarat. Anceps quoque eſt & periculoſum, quædam Religionis capita, de quibus inter eos haud convenit, in earum quæſtionum numero haberi, de quibus, inſtar problematum, diſputari in utramque partem poſſit. Quis enim nobis eam poteſtatem dedit, ut alia Religionis capita non poſſe non vera eſſe, atque adeo non ſine piaculo in dubium vocari, alia in utramque partem probabilia eſſe, pro lubitu noſtro aſſeramus? Sunt quibus in mentem venit dicere, tentandum eſſe, ſi quod ex iis capitibus, de quibus inter utramque partem convenit, Syſtema Theologiæ omnibus numeris abſolutum confici poſſit: quod *ad formam juſtæ artis* comparatum, inſtar catenæ, ita inter ſe cohæreat, ut prima mediis, & iis extrema reſpondeant. Id ſi effici poſſit, etiamſi aliquæ diverſæ & pugnantes opiniones ſuperſint, dummodo extra Syſtema illud poſitæ, eam, quam dixi, catenam non diſſolvant; illud tamen obtineri, ut de fundamentis & æternæ ſalutis comparandæ rationibus inter eos conveniat; reliqua, quæ in controverſiam vocantur, tanti non eſſe debere, ut quo minus, facta pace, in unum cœtum, & in unam Eccleſiam utraque pars coaleſcat, impedimento ſint. Verum enim vero ejuſmodi conciliandæ rationes dijudicari ſine errore nequeunt, niſi formam quandam ejuſmodi Syſtematis *ad modum juſtæ artis conformati* adumbratam oculis ſubjeceris. Ego optimum factu eſſe cenſeo, inexhauſtæ Dei ſapientiæ rem totam committi, ſi quam ille pro ſua cle-

clementia conciliandæ concordiæ viam aperire tandem aliquando velit. Intempeſtiva quippe remedia nihil aliud, quam inſanabilia reddunt vulnera, & nova diſſenſionum ſemina ſpargunt. Interea utramque partem ea diſſenſio a ſtudio communis ſalutis tutandæ abducere nequaquam debet, quin potius in communem ſecuritatem intenti ſibi Proteſtantes perſuadeant, nullo eos diſcrimine haberi a Pontifice, ſive Lutheri partes ſequantur, ſive cum Calvino ſentiant. Minores illas Socinianorum, Anabaptiſtarum, & ſimilium ejus farinæ fanaticorum Sectas reconciliari nobiſcum, quod ad cultum ſacrorum attinet, & in concordiam redigi nullo modo poſſe, conſtat. Illi quippe Chriſtianæ diſciplinæ myſteria in puram putam Philoſophiam Moralem convertunt: hi tam incertis & dubiis opinionibus fluctuant, ut inſtituti ſui ratio ne ipſis quidem conſtet. Anabaptiſtæ equidem neſcio quas novas Politias & Rerumpublicarum formas ſomniant, ut ſi quando in nimiam excreſcerent multitudinem, ingens periculum rei publicæ creare poſſe videantur. Utrum vero Sociniani quoque aliquid ejuſmodi monſtri alant nec ne, quoniam in tanta paucitate & virium tenuitate nihil adhuc movere in re publica aut miſcere potuerunt, haud pro certo affirmarim.

COMPENDIUM
REGNI
SUECIÆ.

Opuſculum hactenus ineditum, nunc autem Editioni huic tertiæ additum.

Digitized by Google

DE REGNO SUECIÆ.

§. I. JAmpridem Suecicarum rerum Scriptores ex priſcis ſuis monumentis orbi litterato oſtenderunt, regnum Sueciæ omnium Europæ regnorum eſſe antiquiſſimum, regioneſque, quas ipſi incolunt, citius quam reliquas Europæ partes, poſt diluvium incolis eſſe frequentatas. Valde tamen incertum eſt, qui mortales, & quo primum tempore ſedes ibi ceperint; nec magis conſtat, utrumne illi ſub Regio fuerint dominatu, an vero penes unumquemque patremfamilias ſumma poteſtas. Nomina & res geſtæ ſingulorum Regum, qui poſtea illis præfuere, non tam facile poſſunt deſignari; neque enim illa, quæ circumfertur, ſeries omni exceptione eſt major. Hauſta quippe pleraque ex antiquis carminibus fabuloſiſque narrationibus, partim etiam ex allegoricis caſcorum Poëtarum traditionibus, quibus violenta nimis a quibuſdam adhibita interpretatio. Johannes Meſſenius in *Scandinavia ſua illuſtrata* non veretur dicere, Johannem Magnum in ſcribenda Sueciæ hiſtoria nihil fere aliud ſibi habuiſſe propoſitum, quam ut obſcuraret Saxonem Grammaticum, quo præcipue Scriptore Dani gloriantur. Johannes iſte Magnus Magogum, filium Japheti, Noachi nepotem, ſtatuit fuiſſe primum fundatorem Scythicarum Gothicarumque nationum, atque Antiquiſſimus Sueciæ ſtatus.

que a duobus ejus filiis Swenone & Gethare ſive Gego Suecos & Gothos nominis ſui traxiſſe originem. Narrat deinde, exſtincta illa familia Sueciam intervallo quadringentorum annorum rectam fuiſſe a Judicibus: tunc octingentis circiter annis poſt diluvium Suecorum & Gothorum regna fuiſſe unita ſub Berico, qui ipſemet profectus coloniam in maritima deduxit, poſtquam Ulmirugios, qui tunc Boruſſiam incolebant, in ditionem ſuam redegiſſet; a quibus arma victricia in Vandalos convertit. Interjecto dein tempore cum eædem nationes prope oſtia Danubii circa Pontum Euxinum conſediſſent, varias inde expeditiones tam in Aſiam quam in Europam ſuſcepere, tandemque quarto & tertio poſt Chriſtum natum ſeculis provincias Romanorum, quæ cis Danubium erant, ingreſſi, mox in Italiam & Hiſpanias victores irruperunt, gemino ibi regno conſtituto. Sed horum pleraque a Meſſenio redarguuntur, qui etiam ſeriem Regum, quos ante natum Chriſtum regnaſſe aſſerit Johannes Magnus, ſuſpectam habet, oſtendens tempora, quæ Chriſti nativitatem præceſſere, præſertim in parte orbis Septentrionali, fabuloſis narrationibus eſſe involuta, ac pleroſque illorum Regum poſt Chriſti tempora vixiſſe autumat. Sed quia Chronologia priorum a Chriſto nato ſeculorum valde eſt incerta, nec magis de genealogica Regum ſerie conſtat, ſufficiet nobis paucorum tantum & maxime celebratorum mentionem facere, donec propiora nobis tempora fœcundiorem dicendorum meſſem nobis ſuppeditent.

Odinus. §. II. Cum decantatus ille Odinus ſive Woden ſexaginta fere annis ante, quam Chriſtus naſceretur, armis Pompeji cum magna popularium manu Aſia eſſet pulſus, Ruſſiam primo occupavit,

vit, mox Saxonibus quoque & Danis ſubactis, Norwegiam tandem & Sueciam ditionibus ſuis adjecit, anno ante nativitatem Chriſti fere vigeſimo. Sueciam tamen peculiariter ſibi Odinus elegit ea conditione, ut reliqui Scandinaviæ Principes ſupremam ejus majeſtatem agnoſcerent: atque hinc ſcilicet inolevit mos, qui ante aliquot ſecula obtinuiſſe dicitur, ut in magnis & generalibus earum nationum conventibus Rex Daniæ habenam teneret Regis Sueciæ, Rex vero Norwegiæ ſtapedem. Succeſſit ei Frotho, cui cognomen additur Jorgonis, qui templo Upſaliæ tectum impoſuit aureum, ejuſque pinnaculum catena aurea cinxit. Hunc ordine ſecuti ſunt Reges Niordus, Sigtrugus, Aſmundus, Uffo, Hyndingus, Regnerus, Halvardus, Helgo, Attilus, Hotherus, Rodericus cognomine Singabondus, Hogmor, Hogrinus Ericus, Haldanus, Sivandus, Ericus, Haldanus, Ungrinus, Regnaldus. Circa annum 588 Rex Gothorum erat Rodolfus, qui ab Anglis victus, regnoque in prædam hoſtibus relicto, in Italiam fugit, Theodorici Gothorum Regis protectionem ambiens. Ea tempeſtate Frotho regnabat in Suecia, filius Frothonis an cognatus, poſt quem deinceps præfuere Fiolmus, Swercherus, Valander, Viſlurus, a filiis ſuis crematus; Damalderus, quem ipſius cives Upſaliæ idolo ſuo immolarunt; Domarus, Dignerus, Dagerus, Agnius, cui laqueo gulam fregit uxor; Alricus & Ericus, qui ſingulari certamine congreſſi mutuis periere vulneribus; Ingo, Huglerus, Haco, Jerundarus; Hacquinus cognomine Ring, quo regnante memorabili illo Brovallenſi prælio Suecos inter & Danos commiſſo, horum triginta, at illorum duodecim millia ceciderunt. Hic Rex novem filios ſuos Upſaliæ idolo ſuo immolavit,

Frotho.

Rodolfus.

Hacquinus.

molavit, decimo, qui unicus ſupererat heres regni, eandem illaturus perniciem, niſi eum Sueci crudelitati parentis eripuiſſent. Huic filius ſucceſſit Egillus, quem in regno Sueciæ deinceps excepere, Otharus, Adelus, Oſtanus, Inguardus, Amundus, Sivardus, Hirotus ſive Heroltus, cujus filia Thera nupſit Regnaldo Daniæ Regi.

Egillus.

Ingellus. Ingellus Amundi filius Hiroto ſucceſſit, qui proxima poſt coronationem ſuam nocte ſeptem Principes, vaſallos regni Suecici, vivos cremavit, eandemque mox crudelitatem in alios quinque ejuſdem ordinis Dynaſtas exercuit. Aſa hujus filia, Gudroto Scaniæ Principi nupta, patre fuit longe crudelior, quæ, poſtquam maritum ſuum ejuſque fratrem trucidaſſet, regionem hoſtibus prodidit: quo nuncio accepto adeo exarſit Rex Daniæ Ivan, Regneri filius, ut Ingellum, qui filiæ ſuæ patrocinium ſuſceperat, magna belli mole aggrederetur, armis & incendiis ſtragem late circumferens. Quare Ingellus de rebus ſuis deſperans ex conſilio filiæ ſe ipſum, filiam, totamque familiam ſuam cum Regali palatio in incendium miſit: unus tamen ex filiis ejus Olaus in Wermelandiam evaſit.

Carolus. Poſt Ingelli necem Carolus quidam antiqua ſtirpe ortus & nobili, Regium nomen & poteſtatem invaſit: quæ filio ſuo deberi ratus Regnerus Rex Daniæ, Carolum ad ſingulare certamen provocatum interemit, atque ita regnum Sueciæ tranſtulit in filium ſuum Beronem vel Biornum, Hiroti ex filia nepotem.

Religio Chriſtiana in Suecia introducitur. §. III. Ea tempeſtate Ludovicus Pius Imperator Anſgarium Monachum Corbejenſem, qui poſtea Bremenſium fuit Epiſcopus, in Sueciam miſit, ut ſalutarem Euangelii doctrinam apud paganos illos publicaret. Cujus prædicationi cum aurem non præberet Biornus, Sueci illum una

cum

cum Regnero patre regno ſuo ejecerunt. Qui huic ſucceſſit Amundus gravem in Chriſtianos perſecutionem concitavit, ac pari ratione regno fuit expulſus: cujus tyrannico dominatu liberati Sueci Olaum revocant ex Wermelandia, qui ut Regiam dignitatem ſibi ac ſuis confirmaret, filiam Regneri nuptum dat filio ſuo Ingoni, quo pacto Gothici pariter ac Suecici regni tranquillam poſſeſſionem obtinuit. Paucis poſt annis reverſus in Sueciam Anſgarius convertit Olaum ad fidem Chriſtianam, cujus tum regni ſedes erat Birca, oppidum multitudine civium frequentiſſimum. Hic Rex deinde valido cum exercitu Daniam ingreſſus adminiſtrationem illius regni commiſit filio ſuo Ennigruo: ipſum vero in Sueciam regreſſum pagani ipſius cives idolo Upſalienſi immolarunt. Hujus filius Ingo ad ſtabiliendum regnum filiam Regis Daniæ ducit uxorem, mox in bello contra Ruſſos interficitur. Hunc excepit Ericus filius, artium magicarum ſcientia celebris, qui pariter Ericum filium habuit ſucceſſorem. Hic Finniam ſubjugavit, Curlandiam, Livoniam & Eſthoniam: a Danis quoque Hallandiam & Scaniam recepit, eorumque Regem Suenonem Dania expulit. Filius ejus Stenchillus Sigtunæ, quod inſigne tum erat oppidum, ſacro baptiſmatis fonte ablutus, dejecto idolo Upſalienſi, capital eſſe ſanxit, ſi quis civium poſtea idolis ſacrificaſſet, ut haud procul Upſalia Regem ſuum comburerent, duoſque ſacerdotes Chriſtianos, quos Hamburgenſium Præſul miſerat, in eundem rogum conjicerent. Frater tamen ejus ab Ethelredo Rege Angliæ complures accerſivit ſacerdotes Chriſtianos, qui non tantum Euangelii doctrinam impigre ibi propagarunt, ſed etiam unus eorum Siegfridus magnam Suecorum multitudinem cum ipſo Rege baptizavit

Amundus. A. 859. Olaus. Ingo. Ericus. Stenchillus.

vit in fonte, qui etiam nunc *S. Siegfrieds Kalla Wel* vocatur. Hic Olaus ab Anglicis ſacerdotibus perſuaſus annuum tributum contra Saracenos Pontifici Romano conceſſit, quod ipſi *Romskot* tributum Romanum vocabant, ipſumque Olaum *Scotkonung*, quaſi dicas Regem tributi. Hic etiam Olufo Tryggeſoni Norwagiæ regnum eripuit, quod tamen ille poſtea recuperavit. Ante hunc Olaum Sueciæ & Gothiæ regna magnis inter ſe odiis & certaminibus fuerant colliſa: adeoque ipſe primus fuit Regum, qui indiſſolubili vinculo utrumque connectebat.

Amundus. Succeſſit ei filius Amundus, quo regnante Chriſtiana religio mira cepit incrementa in Suecia: quem frater excepit Amundus alter, qui ſupino animo omnem religionis & juſtitiæ curam abjecerat: in bellum contra Canutum Regem Daniæ progreſſus, facilem hoſti victoriam præbuit. Poſt ejus mortem diſſenſio oritur inter Gothos & Suecos de eligendo novo Rege, illis Haquinum, his Stenchillum juniorem ſuffragio ſuo deſignantibus: quæ controverſia ejusmodi pactione finita eſt, ut Haquinus ætate jam provectior, quamdiu ſupereſſet, Rex maneret, ei vero defuncto Stenchillus citra novam electionem ſuccederet. Poſt ſpatium igitur tredecim annorum

Stenchillus. Stenchillus junior Olai ex ſorore nepos ad regnum pervenit, qui tribus deinceps ingentibus præliis Danos profligavit, & ſucceſſorem reliquit filium Ingonem Pium: qui idolum Upſalienſe penitus exſtirpavit, eoque tantum popularium in ſe odium concitavit, ut eum regno expulſum poſt in Scania trucidarent. Poſt hunc magno omnium ap-

Halſtanus 1086. plauſu regni habenas ſuſcepit frater ejus Halſtanus, qui ſucceſſorem habuit Philippum filium.

Inge. Ejus filius Ingo magna pietatis reliquarumque

vir-

virtutum laude claruit: nec minorem uxor ejus Ragvildis pietatis fructum cepit, quæ poſt mortem in Sanctorum numerum relata fuit, ita ut etiam ſepulchrum ejus frequenti peregrinantium concurſu viſitaretur. Hic cum nullum virilis ſexus 1138. heredem reliquiſſet, filiarum ejus altera Chriſtina nupſit Erico Sancto, altera Margareta Magno Regi Norwegiæ in manum convenit. Ipſe in Oſtrogothis, qui pertæſi erant dominatus Suecorum, veneno ſublatus eſt. In Suecia, dum ex ſupra dictis Regibus quinque ultimi regnaverunt, ſecula erant vere aurea, cum & Chriſtiana Religio paſſim in ea propagaretur, & cives tranquillitate pacis rerumque omnium affluentia fruerentur.

§. 4. Poſt mortem Ingonis Oſtrogothi inconſultis ceteris Provinciis Regem eligunt Ragwaldum Knaphofdum, virum non ſapientia, ſed robore corporis inſignem, qui a Weſtrogothis in acie interficitur. Huic ab Oſtrogothis ſufficitur Swercherus II. Rex vere optimus, qui a ſervo ſuo eſt interfectus, & in ejus locum ſublegitur ab Oſtrogothis filius ejus Carolus: cum interea Sueci in conventu Upſalienſi Ericum eligunt Jeſwardi filium, qui Chriſtinam Ingonis filiam in matrimonio habebat. Nec multo poſt patuit utrique nationi quam neceſſaria eſſet duorum iſtorum regnorum ſub uno Rege conjunctio: itaque pacti ſunt, ut Ericus exinde utrique Regno præeſſet, eique defuncto Carolus ſuccederet. Hic Ericus, Finnos in ordinem redegit, effecitque ut Chriſtiana Religio ab iis ſuſciperetur: etiam antiquas Regni conſtitutiones 1154. in unum volumen juſſit colligi, quod poſtea *Legem Erici* vocavere. Hunc prope Upſaliam in acie interfecit Magnus, Daniæ Regis filius, fuſoque ejus exercitu Rex proclamabatur. Interim Sueci ac Gothi duce Carolo Swercheri filio

Ragwaldus Knaphofdus.

facta in Danos impreſſione totum illorum exercitum cum ipſo Rege ejusque filio trucidant, ex ſpoliis templum prope Upſaliam eſt exſtructum,
1186. quod Daniam vocant. Itaque Carolus Swercheri filius etiam Daniæ Rex factus; cum omnium applauſu regnavit: donec Canutus filius Erici ex Dania reverſus eum ex inſidiis adoriretur & interficeret, patrem ſuum ab eo interfectum eſſe queſtus. Uxor ejus & liberi in Daniam aufugere, ubi auxilium nacti eum Gothis ſeſe junxerunt, duce Collo fratre Caroli regnum recuperaturi: ſed dux ipſe in prælio interficitur, reliquus exercitus a Canuto funditur & diſſipatur. Poſtea Canutus ſpatio trium & viginti annorum in ſumma pace regno præ-
Swercherus. fuit, poſt cujus mortem Swercherus Caroli filius Rex Sueciæ eligitur, nonnullis tamen Ericum Canuti filium deſignantibus. Tandem ita finitur hæc controverſia, ut Swercherus, quamdiu ſupereſſet, regnum obtineret, eique Ericus ſuccederet. Swercherus autem pactum hoc violat, utque regnum familiæ ſuæ adſereret, omnes Canu-
1207. ti filios crudeliter interficit: ſolus ex iis Ericus in Norwegiam evaſit, atque inde cum exercitu redux Suecorum auxilio victum Swercherum in Weſtrogothiam fugere coegit. Huic Waldemarus Rex Daniæ ſexdecim armatorum millia auxilio miſit; quo ille fretus regnum recuperare tentavit, ſed magna ab Erico clade affectus vix in Daniam aufugit: unde paullo poſt rurſus in Weſtrogothiam irrumpens in prælio interficitur, quietam regni poſſeſſionem Erico relinquens, qui pactum inter utramque familiam initum renovavit,
1219. Johannem Erici filium deſignans ſucceſſorem. Hinc ducta in matrimonium Ricnote Waldemari Daniæ Regis ſorore, in inſula Wiſingſoa deceſſit. Cui ex pacto ſuccedens Johannes cum tri-

triennium regni vix impleviſſet, in eadem inſula, quam tunc regni ſedem Sueciæ Reges delegerant, diem ſupremum obiit.

§. 5. Hic Ericus, Erici filius cognomento Balbus, ad regnum acceſſit. Erat tunc in Suecia potentiſſima Tolecungerorum familia, quæ pronam ad regnum affectabat viam: hos ut ſibi devinciret Ericus, tres ex ſororibus ſuis eorum principibus elocaverat, ipſe viciſſim Catharinam Swenonis Tolecungeri filiam ſibi deſpondens. Crevere iis hac affinitate animi, & Canutus Tolecungerus in Regem inſurgit, eumque ſuperatum in Daniam cogit fugere: qui mox valido cum exercitu reverſus Tolecungerum ſuperat, quo, ejusque filio Halingaro interfectis, pax regno reddita. Hoc primum imperante Erico, Gulielmus Sabinenſis Romani Pontificis legatus Suecorum Clericis cælibatum indixit, qui prius æque ac Laici matrimonio operam dederant. Hic etiam Birgerum Comitem ſororis ſuæ maritum in Finnos miſit, qui armis ad obſequium eos redire cogeret: ſed hic rebus proſpere cedentibus etiam ad Chriſtianam Religionem illos convertit, compluraque caſtella in eorum finibus exſtruxit. Ericus interim in Wiſingſoa erat mortuus, atque Ordines Regem elegerant Waldemarum Birgeri Comitis filium, Erici ex ſorore nepotem. Hic anno proxime ſequente coronatus eſt, ſed quia puer erat, adminiſtratio regni patri ejus Birgero traditur, qui antiquum legum codicem auxit, tantisque commodis rem publicam affecit, ut flagitantibus ipſis Ordinibus Dux crearetur, cum antea ſimplici Comitis dignitate fuiſſet præditus. Ringebantur interim Tolecungeri regnum ſibi pene e manibus eſſe extortum, eaque æmulatio in apertum mox bellum erupit. Sed Dux aſtutus cum dato

Margin notes: Ericus. — 1250. — Waldemarus. — 1251.

commeatu ad colloquium illos evocaſſet; manum omnibus injicit, eosque capitali afficit ſupplicio: unus tantum ex iis Carolus Tolecungerus in Pruſſiam elapſus, quod reliquum erat ætatis, ibi exegit. His ita geſtis uxorem filio ſuo dedit Sophiam, Erici Daniæ Regis filiam, urbisque & caſtelli Holmiæ prima jecit fundamenta, nec adulto quamvis filio regni habenas, quamdiu ipſe vixit, committere voluit. Poſt quindecim annorum adminiſtrationem vita exceſſit, quatuor relictis filiis, Waldemaro Rege Sueciæ, Magno Sudermanniæ, Erico Smalandiæ, & Benedicto Finniæ Ducibus, quos inter poſtea magnæ diſſenſiones oriebantur. Waldemarus enim cum ad viſendam Romam & Hieroſolymam proficiſceretur, curam regni Magno fratri commendaverat, eumque ex peregrinatione reverſus inſimulabat, quod coronam in ſe transferre voluerit. Convenere Ordines Sueciæ, ut fratrum diſcordias amica diſceptatione componerent; ſed res exitum reperire non poterat, adeo ut Magnus & Ericus in Daniam profugi mox inde cum exercitu reverterentur, fuſisque Waldemari ſatellitibus illum captivum abducerent. Convocati a Magno Ordines regnum in ipſum transferunt, utraque tantum Gothia & Smalandia exceptis, quæ Waldemaro relinquebantur. Nec diu pax manſit: nam Dani promiſſis a Magno ſtipendiis fraudati, Waldemaro ſe iterum jungunt bellumque inſtaurant, quod vario utrinque ſucceſſu continuatum, donec Waldemarus a Danis, poſtquam promiſſam pecuniam acceperant, deſertus, præſentibus Ordinibus ſe regno abdicaret.

Magnus. §. 6. Poſt abdicationem Waldemari Upſaliæ coronatur Magnus, qui Suecorum rurſus & Gothorum ſe Regem appellavit, qui titulus, quem majores ejus a tempore Olai Scotkonungi omiſerant,

ſerant, exinde Suecię Regibus ad noſtra uſque tempora conſtanter adhæſit. Hoc regnante familia Tolecungerorum novas ciere turbas cœpit: trucidato quippe Ingemaro Dankſchep, qui Regi erat intimus, ſocerum Regis Holſatiæ Comitem in vincula conjecerunt, ita ut Rex illos blandis promiſſis delinire cogeretur. Mox tamen Comite ex cuſtodia liberato, Rex coram Ordinibus congregatis læſæ illos majeſtatis accuſat, omnesque Holmiæ capitali ſupplicio afficit, excepto Philippo de Runby, qui vitam ſuam ſat caro redimere debuit pretio. Hæc clades Tolecungerorum familiam peſſum dedit. At Magnus rebus ſuis in hunc modum ſtabilitis uxori Hedwigæ coronam Regiam impoſuit, & ex conſilio Senatorum Waldemarum arci Nicopingico incluſit, in qua ille cuſtodia quarto poſt anno e vivis exceſſit. Biennio poſt Magnus etiam diem ſupremum obiit, 1288. tutelam filii ſui Birgeri, qui vix undecimum ætatis annum exceſſerat, ſimul & regni curam Torkello Canuti filio relinquens. Hic tredecim annos publicæ rei curam geſſit, miſſoque in Careliam exercitu incolas ejus regionis ad fidem Chriſtianam perduxit, exſtructa in illorum finibus arce Wiburgo, & Kekhelmia Ruſſis erepta. Birgerus interim cum adoleviſſet, Meretam duxit uxorem, Erici Regis Daniæ filiam, miſſisque novis in Careliam & Ingermanniam ſubſidiis arcem Norburgum in finibus Ruſſiæ exſtruxit, quam non mul- Magnus. to poſt captam Ruſſi ſolo æquarunt. Deinde filium ſuum Magnum ſucceſſorem declaravit, puerum trimulum, conſentientibus fratribus Regis reliquisque regni Proceribus. Neque tamen diu hæ pactiones manſerunt, orta quippe inter fratres diſſenſione, cum Rex minores natu fratres offendiſſet, primum Mareſchallus in Daniam conceſſit,

mox in Norwegiam, ut, intercedente Rege Norvagorum, bona ſua hereditaria a Birgero confiſcata, recuperarent. Sed cum res effectum non ſortiretur, variis in Weſtgothiam irruptionibus Suecorum cohortes magna clade afficiebant. Quibus cum & Norvagiæ Rex copias ſubſidiarias miſiſſet, Rex iis cum exercitu occurrit: ſed interceſſione quorundam Senatorum ſopitæ ſunt controverſiæ, quæ inter fratres viguerant, duoque juniores in poſſeſſionem bonorum ſuorum reſtituti. Hæc reconciliatio Torkello ſeniori mortem acceleravit: nam accuſatus, quod diſſenſionem inter fratres foviſſet, propter hoc & alia quædam, quorum reus peragebatur, crimina, Stokholmiæ capitali ſupplicio afficitur. Statim ab hujus morte duo minores fratres rebellionem inſtaurant, Regi & Reginæ Hatunæ, quo ruſticandi cauſſa ſeceſſerant, manus injiciunt, eumque regno ſe abdicare cogunt, coronamque & Holmiam urbem fratri ejus Erico tradere: hic etiam in caſtello Nicopingæ captivum Regem detinuit; ſed ejus filius Magnus oriente cum maxime tumultu in Daniam erat ablegatus. Rex Daniæ tribus quidem expeditionibus affinem ſuum & ſororem in regnum reſtituere tentavit, ſed nihil aliud obtinuit, quam ut Rex & Regina cum ſuis liberis e cuſtodia dimitterentur, controverſia autem coram Senatu Regio dijudicaretur. Conventus igitur Arbogam indicitur, ubi Birgero libertas decernitur, ſi ante actorum omnium bona fide oblviſci, & quæcunque ipſi regni portio adtribueretur, ea contentus eſſe in animum induceret: quibus acceptis conditionibus, Senatus & fratres ejus novo juramento fidem illi ſuam obſtrinxere. Compoſitis, ut videbatur, diſcordiis inteſtinis gravior mox tempeſtas coorta eſt. Ericus

cus Daniæ Rex inita ſocietate cum Haquino Rege Norvagiæ, cum ſexaginta millibus armatorum in Sueciam irrumpit, ut Regem Birgerum in perdomandis rebellibus fratribus adjuvaret. Nec ſucceſſus primo tantæ multitudini tantoque apparatui defuit: ſed cum paullo poſt commeatu & utenſilibus deſtituti domum rediiſſet maxima pars Danorum, iterum conventus Helſinburgum indicitur, ac fœdus Arbogæ inter fratres initum renovatur: ibi Erico Duci conceduntur provinciæ Weſt-Gothia, Dahtia, Hallandia, Wermelandia & Smalandia; Waldemaro Uplandia & Oelandia cum parte Finlandiæ, ita ut reliquas provincias Rex retineret, ſuaſque ditiones Duces iſti tanquam feuda Regia obtinerent. Sic reducta pace aliud inter fratres ſed magis amicum certamen exiſtit, alterque alterum ſplendore vitæ & cultus magnificentia ſuperare adnititur: cumque ea occaſione nova quædam tributa ſubditis imponerentur, paſſim quidem rebellari cœptum eſt, ſed hoc malum in ipſo ortu nullo negotio ſedatum eſt.

Eodem tempore Dux Waldemarus, cum Calmaria Holmiam proficiſceretur, Regem Nicopingæ vidit, a quo perbenigne exceptus rogatur etiam, ut reverſus alterum fratrem ſecum adducat, quo facilius inter præſentes omnis priſtinarum ſimultatum memoria oboleatur. Waldemarus blanda hac pollicitatione illectus, Ericum fratrem conſtanter primo recuſantem tandem ut ſecum veniret, permovit. Cum ad arcem, in qua Rex tum verſabatur, perveniſſent, Regia & magnifica cœna excipiuntur: ſed vix cubitum iverant, miniſtris ſuis per varias urbis partes diſperſis, cum nihil hoſtile ſuſpicantibus injectæ ſunt manus, ac male mulcati & ferreis onerati compedibus in munitam conjiciuntur turrim, fa-

mulis eorum vel interfectis, vel pariter in cuſtodiam detruſis. Enimvero Rex quaſi re bene geſta ſtatim Holmiam proficiſcitur, ratus, urbem ſubito ſuo adventu poſſe opprimi: ſed prævenerat jam eo nuncius Regiæ crudelitatis, quare ab urbanis repulſus trepide Nicopingam redire cogitur. Quos cum ad obſidendam Nicopingam venire appareret, Steckeburgum ſe recipit: ſed antequam illuc proficiſceretur, foribus carceris probe occluſis claves in fluvium abjecit, ac capital eſſe juſſit, ſi quis ſe abſente carceris januam aperuiſſet. Obſidione cingitur Nicopinga, ſed priuſquam expugnari potuiſſet, uterque fratrum fame moritur. Immanitas hujus facinoris adeo ab Rege omnium animos abalienaverat, ut Danorum auxilia cogeretur circumſpicere: a quibus acceptas copias per varias regni partes circumduxit, donec parte illarum Sudercopingæ oppreſſa, cum equitatus quoque Danicus Nicopingam deſeruiſſet, ab omnibus deſtitutus cum Regina in Gothiam, filio ſuo Magno in arce Steckeburgenſi relicto, aufugit. Hanc urbem ſtatim Sueci circumvallatam fame ad deditionem coegerunt, & Magnum captivum miſerunt Holmiam. Hinc Matthæum Ketelmundſon regno Sueciæ Senatus præficit, qui reſiduos ex factione Regis perſecutus, Birgerum ad Chriſtophorum Regem Daniæ confugere coegit.

Magnus. §. 7. Poſtquam Gothiam reliquerat Birgerus, Ordines Regni Upſaliam conveniunt, ac Regem conſtituunt Magnum, Erici Ducis filium, qui vixdum triennium impleverat. Anno ſequenti Magnus, Birgeri Regis filius, quamvis Senatus & Ordines regni fidem illi ſuam tanquam futuro Regi juramento obſtrinxiſſent, capitali ſupplicio afficitur, nec multo poſt Birgerus & uxor ejus mœrore diem obeunt ſupremum. Mortuo autem

tem Ketelmundſono, in quo onus regni hactenus incubuerat, non reſpondit eventus ſpei, quam de egregia Regis ſui indole Sueci conceperant. Hic jam ætate maturus uxorem duxerat Blancam, filiam Comitis Namurcenſis, remotisque ex conſilio ſuo ſenioribus, totum ſe applicuerat ad juvenes & æquales ſuos, in quibus familiam ducebat Benedictus quidam in Weſt-Gothia natus. Interim Scani ab Holſatis oppreſſi quo facilius hoſtem repellerent, dominatum ejus poſtea ſubiere, nec multo poſt illam imperii mutationem ratam eſſe juſſit Rex Daniæ Waldemarus, ita ut communi conſenſu fretum maris Baltici utriusque regni fines diſterminaret. Poſt continuam duodecim annorum pacem expeditionem in Ruſſos ſuſcepit, a quibus fortiter exceptus, conceſſa iis parte Careliæ, pacem redimere cogitur. Tum exhauſto fiſco non tantum nova populo tributa indicit, ſed etiam plurimos regni fundos oppignerat. Nec multo poſt a Clemente VI. Romano Pontifice excommunicatur, quod reditus D. Petri, quos Olaus Scotkonungus ſedi Romanæ conceſſerat, in bellum Ruſſicum impendiſſet. Itaque cum populum a ſe alienaſſet, Senatus Regi perſuaſit, ut filios ſuos Ericum & Haquinum, illum Sueciæ, hunc Norvagiæ Regem juberet conſtitui; quod facile obtinuit. Hac re nihil aliud effectum eſt, quam ut factioni Nobilium jam pridem res novas molientium, caput daretur: qui etiam ſtatim nihil veriti ſenis Regis iram, Benedictum, quo familiariter utebatur Magnus, interficiunt. Rex animadverſo errore ſuo auxilia Danica circumſpicere cœpit, quo pacto animos Nobilium ita exacerbavit, ut palam hortarentur Ericum ad bellum patri inferendum. Nec prius bellis civilibus finis impoſi-

nibus pax facta, ut Magnus e cuſtodia dimitteretur, daretque Alberto pro libertate obtinenda duodecim millia marcarum argenti, conceſſis eidem Sueciæ & Scaniæ regnis. Magnus in Norwegiam abiens, ibi non multo poſt aquis ſubmerſus periit; nec diu patri ſupervixit Haquinus, cujus etiam filio Olao in prima pueritia mortuo, Margareta. mater ejus Margareta ſola regnum Norvagiæ tenebat. Cum hoc Olao genus priſcorum Sueciæ Regum exſtinctum eſt, qui ab Erico Sancto per annos ducentos & viginti regnaverant. Nec multo poſt Waldemarus Rex Daniæ ſine virili prole deceſſit: cujus in locum Dani, ut Norwegiam cum Dania conjungerent, Margaretam ejus filiam Reginam declarant. Morte æmulorum firmatum Alberto Sueciæ regnum videbatur, qui oppreſſa Nobilitate Suecica implevit aulam Germanis, qui opibus & potentia multum crevere: ſed quia bello in Danos geſto fiſcus ejus tantum non exhauſtus fuerat, petiit ab Ordinibus, ut nonnulli Clericorum reditus, & quorundam Nobilium agri in annuos Regis reditus transfunderentur; ſed cum Ordines hiſce petitis minime annuerent, ipſe nihilominus aperta vi eadem ſibi vindicare aggreditur. Favebant Regi, qui nihil metuentes perdere partem prædæ ſibi ſperabant: ceteri deliberantes qua ratione imminentem dominationem vitarent, detrectabant Alberti imperium & clientelam ſubibant Margaretæ Reginæ Daniæ, quam illa hac conditione iis offerebat, ut fugato Alberto ipſa
1388. etiam Sueciæ præeſſet. Sic infeſtis exercitibus utrinque vaſtatur Suecia, rapinis Alberti jam ante exhauſta, donec ingenti prælio victor Margaretæ exercitus Albertum & filium ejus captivos abduceret. Sed poſt luculentam adeo victoriam augebantur belli calamitates: quippe Duces Megalopo-

galopolitani, Comites Holſatiæ & urbes Hanſeaticæ, quibus conſtans partium Alberti ſtudium, Roſtochio & Wismaria nova ſemper ſupplementa Holmiam & Calmariam ceteraque partium ſuarum caſtella maritimo itinere mittebant. Ex quibus decurrentes Germanorum præſidiarii, dum circumjectas regiones undiquaque diverant, & littora undique piraticis myoparonibus infeſtantur, omnis mercium invectio & permutatio penitus ceſſaverat. Septimo demum peſtiferi hujus belli anno de pace agi cœptum, convenitque ut 1394.
Rex & filius ejus, & ex reliquis etiam captivis 1395.
inſigniores vinculis ſolverentur, ſed ea conditione, ut intra triennium Albertus aut omne jus in Coronam Suecicam transferret in Margaretam, aut captivum rurſus ſe ſiſteret; utque Lubeca, Hamburgum & aliæ civitates Hanſeaticæ, ſi Rex non ſtaret promiſſis, 60000 marcarum argenti puri Reginæ ſolverent. Ita Albertus cum tres & viginti annos in Suecia regnaſſet, in Ducatum Megalopolitanum revertitur. Nec tamen ita omnem de recuperando regno ſpem ita depoſuerat, quin aliquid tentaturus videretur, niſi mors filii ipſius vota deſtituiſſet. Ita trium regnorum Septentrionalium poſſeſſio Margaretæ firmata, quam illa ſumma cum ſapientia adminiſtravit, quamque tamen ita adtemperare non potuit, ut imperium ſuum Suecis æque ac Danis approbaret.

§. 9. Ita reſtaurata pace, Margareta, ut porro tres iſte Coronæ ad eundem ſucceſſorem devolverentur, Henricum accerſit, ſororis ſuæ filium, Pomeraniæ Ducem, mutatoque nomine, quo Suecis eſſet gratior, Ericum vocat. Is altero anno poſt, quam dimiſſus erat Albertus, Rex proclamatur. Anno ſequenti Ordinibus & Nobilitate 1396.
Calmariam convocatis coronatur Ericus, inchoataque Ericus.

ataque trium regnorum unio iterum decernitur, juramentisque & ſigillis Ordinum confirmatur: res utique magno uſui tribus hiſce nationibus futura, niſi Dani poſtea violatis conditionibus dominatui in Suecos inhiaſſent; quæ cauſæ poſtea graviſſimorum inter utroſque bellorum fuerunt. Interim quamdiu minorennis erat Ericus, adminiſtratio rerum penes Margaretam erat: cum interim Sueci & Norwegi animadvertunt conditiones, quibus tria regna in unum coiverant, parum fideliter a Regina obſervari. Danos enim aliosque peregrinos præ ſe extolli videbant, pecuniasque, quæ apud ſeſe cogebantur, in Dania, ubi ſedem aulæ Margareta fixerat, expendi & profundi. Jam ad firmiorem ætatem pervenerat
1410. Ericus, cum Philippam Henrici IV. Regis An-
1412. gliæ filiam ducit uxorem: mox Margareta mortua & ſuſcepta totius regni cura, diuturno bello implicatur, quod de Ducatu Slesvicenſi cum Henrico Comite Holſatiæ, urbibus Hanſeaticis, Ducibusque Megalopolitano & Saxoniæ geſſit, cujus etiam occaſione tria ſua regna perdidit. Primum Suecos acerbiſſimarum exactionum & inſolentiæ præfectorum Regiorum jam pridem pertæſos ad rebellandum incitavit Engelbrechtus Dalekarlus, tantamque contra Regem commovit tempeſtatem, ut is ſubito cum Holſatis urbibusque Hanſeaticis pacem facere cogeretur, quo vires ſuas integras contra Suecos converteret. Sed eum, claſſe ſua maximam partem tempeſtatibus abſumta, cum reliquiis ejus Holmiam appuliſſet, videretque imparem ſe fore multitudini copiarum, quas Engelbrechtus coegerat, coactus eſt duodecim menſium inducias cum illo facere. Interim in Daniam ipſe revertitur, ſexcentis tantum præſidiariis in arce Holmienſi relictis. Vix eo di-

digreſſo Engelbrechtus ſummus Imperator exercitus Suecici declaratur, mox tamen annitente Olufo Archiepiſcopo pax Regem inter & ſubditos facta ea conditione, ut Sueci eum in poſterum Regem agnoſcerent, modo pactis unionis ſtaret: cui Rex, tempori cedendum ratus, adſentitur, ita tamen ut tres arces, Holmienſem, Calmarienſem & eam quæ eſt Nicopingæ, liberæ ſuæ diſpoſitioni reſervaret, quoniam reliquæ omnes natis in Suecia præfectis erant committendæ. Sed non citius in Daniam redierat, quam Senatores cunctique Nobiles, metuentes ne majori cum exercitu reverteretur, Arbogæ conveniunt de regni negotiis deliberaturi: prius vero quam certi aliquid concluderetur, Engelbrechtus ope nonnullorum civium Holmiam occupat, Regisque præfectum in arce obſidet. Sic perturbato conſilio & flamma rebellionis reſuſcitata, Carolus Canuti Mareſchallus Gubernator regni & Imperator exercitus deſignatur. Quæ res ingentes ſane turbas excitaſſet, niſi Engelbrechtus, qui ſe præteritum eſſe ægre ferebat, primum fallacibus promiſſis deluſus, mox etiam a quodam Benedicto Suenonis, cum quo veteres illi inimicitiæ intercedebant, interfectus fuiſſet. Interim arces Hol- 1436.
miæ & Calmariæ adhuc in Regis erant poteſtate, plurimique ex Nobilibus Mareſchalli magnitudini invidebant: qui cum Rege Calmariam invitato novas ſanciunt pacis conditiones. Is ergo promittit ſe officia omnia & præfecturas Suecis natis traditurum, Benedictum Suenonis arci Calmariæ præficit, comitia Senatus ac Nobilium in ſequentem menſem Septembrem indicit, omniaque tunc loca munita Suecorum ſe fidei commiſſurum adjicit. Paucis interjectis diebus Ericus ex inſula Gothlandia Suderkopingam verſus iter

iter faciens plurimas naves tempeſtate amittit, nihilque propius factum eſt, quam ut ipſe naufragio periret. Hic nuncius in Sueciam perlatus, cum de Regis perſona nihil certi afferretur, magnam iterum res novandi occaſionem Mareſchallo præbuit. Sed ſimulatque percrebuit vivere ad-
1437. huc Regem, Senatores regni comitia indicunt, ipſum Regem Calmariam rurſus invitant, ut ſuperiora pacta confirmaret: cumque is præſtituto tempore non veniret, legatos in Daniam mittunt, qui de iisdem renovandis & confirmandis cum Rege agerent. Qui cum variis tergiverſationibus fruſtrarentur, clandeſtina cum Daniæ Primoribus contra Regem Ericum conſilia ineunt. Qua re effectum eſt, ut non multo poſt Ericus cum omnibus ſuis theſauris ex Dania in Gothlandiam ſe reciperet, Danique pariter jam pridem a Rege ſuo alienati, una cum Suecis omnem illi renunciarent obedientiam, ac de novo Rege eligendo conſentirent. Dani itaque Chriſtophorum Bavariæ Ducem ad regnandum, accerſunt, qui utpote Erici ex ſorore nepos aliquamdiu in Dania vixerat. Statim atque in Da-
1439. niam appulerat, legati ad Mareſchallum reliquosque Sueciæ Senatores mittuntur Calmariæ tunc congregatos, qui adventum Ducis Bavariæ illis ſignificarent, deque illo & in Sueciæ regnum recipiendo agerent. Mareſchallus cum ſuis hoc accepto nuncio admodum perturbatur, videns tamen pleroſque Ordinum ad conſervandam unionem regnorum, & recipiendum Chriſtophorum inclinare, tempori cedendum ratus ipſe quoque conſentit, adeoque Chriſtophorus a Mareſchallo & Ordinibus Calmariæ magna cum ſolennitate excipitur, Holmiamque deductus & Upſaliæ Rex Sueciæ coronatus, in Daniam revertitur. Cum qua-

quatuor in regno annos exegiſſet, Dorotheam ducit uxorem, Johannis Marchionis Brandenburgici filiam: & quia Ericus, qui adhuc Gothlandiam tenebat, claſſes Suecicas perſæpe infeſtabat, a Senatu inductus eſt expeditionem facere in Gothlandiam. De cujus exitu dum unusquisque magna ſibi pollicetur, ipſe ſubito pacem cum Erico facit, tranquillamque Gothlandiæ poſſeſſionem illi relinquit. Nec multo poſt Helſinburgi diem ſupremum clauſit, cum Joncopingam iter faceret, quo Senatum Sueciæ & Nobiles convocaverat. Hic & variis in Suecia Eccleſiis legata magna reliquerat, ſed Dani, qui omnes ejus theſauros poſſidebant, nihil ex iis præſtare voluerunt.

Mortuo Chriſtophoro, Ordines Sueciæ in duas factiones diſceſſerant: his electionem novi Regis ad generalia trium regnorum comitia differentibus, Mareſchallo autem, & qui ab eo ſtabant, ſtatim ad eam properantibus. Hæc controverſia diebus aliquot continuis magna animorum contentione agitatur, nec manibus temperatum fuiſſet, niſi iis, qui Mareſchallo favebant, prævalentibus, ipſe Mareſchallus Carolus Canuti Rex fuiſſet electus. Sed Dani Adolfo Duci Holſatiæ regnum ſuum offerebant, qui cum propter ingraveſcentem ætatem tantum oneris ſubire detrectaret, Chriſtianum Oldenburgi Comitem, Ducis ex ſorore nepotem, Regem adſciſcunt. Carolus ſtatim in ipſo regni ſui principio Ericum Regem in arce Wisbienſi obſidet, qui, Suecis per inducias deluſis neceſſariisque omnibus ſecum abreptis, in Pomeraniam ſe proripit, & Rugenwaldiæ in otio & quiete degens ſupremum ibi diem obiit.

Jam Norwegi quoque Carolum Regem ſibi

deſignaverant, unde mox bella inter ipſum & Chriſtianum Daniæ Regem orta: in quibus Carolus primum ſecundiore uſus fortuna, mox Archiepiſcopo etiam plurimiſque Nobilium contra illum conſpirantibus, in extremas redactus anguſtias, decimo anno regni ſui Dantiſcum exſula-
1458. tum proficiſcitur. Vix regno exceſſerat Carolus, cum Chriſtianus Daniæ Rex ab Archiepiſcopo in Sueciam invitatur, cumque Holmiam valida cum claſſe appuliſſet, a Senatu & Nobilibus Rex Sueciæ deſignatus Upſaliæ coronatur. Primo hic regnum Suecis volentibus obtinebat; ſed non multo poſt omnium fere ordinum odia in ſe concitavit Nam & tributa præter modum a populo exigebat, nonnulloſque e Magnatibus, quaſi clandeſtina inter ipſos & Carolum commercia exercerentur, cum cruciatu interfecerat: etiam in ruſticos tumultuantes immanem exercuerat crudelitatem, ac denique Archiepiſcopum, cum quo male ipſi conveniebat, Hafniam abductum in vincula conjecerat. Hoc adeo ægre ferebat Lyncopingæ Epiſcopus, ut Regem, concitata adverſus ipſum multitudine, in Daniam remeare cogeret; & quamvis anno proxime ſequente magno cum exercitu in Sueciam rediiſſet, tamen iterum magna ab Epiſcopo clade affectus denuo ex regno ejicitur.
1464. Dehinc cum arcem Holmienſem, quæ a Chriſtiani præſidiariis obtinebatur, obſidione cinxiſſet Epiſcopus, auxilium petit a Carolo exſule, qui hac occaſione lætus, cum copiis, quas in Boruſſia & Polonia contraxerat, Sueciam ingreditur, ſtatimque Holmiam deditione accipit, atque ipſe Rex Sueciæ renunciatur. Nec tamen diu quieta regni poſſeſſione frui potuit: quippe orta mox inter ipſum & Lyncopingæ Epiſcopum contentione de redimendo Archiepiſcopo, qui Hafniæ captivus

vus detinebatur, Epiſcopus iſte clanculum Chriſtiano pollicetur, effecturum ſe ut regnum Sueciæ in ipſius poteſtatem rediret, ſi modo Archiepiſcopum libertati reſtituere dignaretur. Quod ille facere haud cunctatus, ejus e vinculis dimiſſi animum omni ratione ſibi reconciliavit. Vix in Sueciam appulerat Archiepiſcopus, cum comparatis ſubito copiis Carolum immani prælio, quod in glacie prope Holmiam geſtum eſt, ſuperat, & omni jure in regnum Sueciæ cedere cogit. Ita varia ſemper & fluctuante fortuna uſus eſt Carolus: nam præter ea, quæ ſupra narravimus, bis poſtea quoque in regnum revocatus eſt. Tandem Holmiæ (quam urbem una cum toto regno paulo prius quam moreretur Stenoni Sture ſororis ſuæ filio commendaverat) diem ſupremum obiit A. 1470. magnis in regno turbis manentibus. Quippe nonnulli Chriſtianum Daniæ Regem in Sueciam revocandum eſſe cenſebant, alii Stenonem Sture Gubernatorem regni conſtitui volebant. Quæ poſterior ſententia cum prævaluiſſet, Gubernator Chriſtianum memorabili prælio prope Holmiam devictum trepide in Daniam refugere cogit, univerſo ipſe Sueciæ regno potitur. Nec poſtea in Sueciam unquam reverſus eſt Chriſtianus, ſed in Dania obiit A. 1481.

Mortuo Chriſtiano filius ejus Johannes a Danis & Norvagis Rex conſtituitur: mox & Sueci, cum prius conditiones ab illis propoſitas ſigillo ſuo confirmaſſet, eundem Regem ſibi adſciſcunt. Totis tamen quatuordecim annis poſſeſſio regni penes Stenonem Sture Gubernatorem manſit, cum interim Suecia inteſtinis diviſionibus, perpetuisque adverſus Ruſſos & Danos bellis miſere affligeretur. Senatores regni cum diu fruſtra perſuadere conati eſſent Stenoni Sture, ut gubernatio- Johannes

ne Sueciæ ſe abdicaret, auxilium tandem a Johanne expoſcunt, qui, cum Gubernatorem, & univerſam ejus factionem ingenti prælio prope Holmiam ſuperaſſet, Rex ab Ordinibus recipitur, & filius ejus Chriſtianus legitimus ſucceſſor poſt
1497. mortem patris deſignatur. Sed cum interjectis aliquot annis aſperius Suecis imperitaret, ac feuda Coronæ legitimis poſſeſſoribus erepta in Danos ac Suecos transferret, præfectis quoque Regiis omne genus crudelitatis exercentibus, Succi Wadſtanam coeunt, & Stenone Sture in gradum priſtinum reſtituto omnem fidem & obedientiam Dano renuntiant, propterea quod pactis Calmariæ initis non ſtetiſſet. Hinc cum magna animoſitate bellum utrinque gereretur, quia Regina adhuc in Suecia morabatur, Danorum impetus non nihil cohibebatur: donec interceſſione Lubecenſium & Raimondi Cardinalis impetratum, ut tutus illi in Daniam receſſus concederetur, quam proinde Gubernator ad fines uſque Smalandiæ deduxit. Hic cum Joncopingam reverteretur, ſubito moritur, non ſine ſuſpicione veneni a Mereta vidua Canuti Alffon dati, ut ſcilicet ſponſo ſuo Suantoni Sture viam ad gu-
1504. bernationem regni muniret. Nec multo poſt Suanto, quamvis nonnulli de revocando Rege Johanne deliberarent, Gubernator regni conſtituitur. Hinc rurſus acres contentiones ortæ. Dani Imperatorem, Pontificem & Ruſſos contra Suecos concitaverant: ſed Gubernator pace cum Ruſſis facta viciſſim Lubecenſes adverſus Danos concitat, Calmariam & Bornholmiam capit, ac procul dubio majores feciſſet progreſſus, niſi paulo poſt octavo gubernationis ſuæ anno deceſſiſſet.
1511. Huic poſt acres in Senatu concertationes (quia Archiepiſcopus & ceteri Epiſcopi in Guſtavum Trolle

Trolle erant proniores, virum ætate ac multo rerum uſu ſpectatiſſimum) filius ejus Steno Sture ſubrogatur; nec multo poſt Johannes in Jutlandia moritur. Huic Dani quidem & Norwegi Chriſtianum filium ſubrogaverant, ſed Sueci crudelitatem ejus ſuperioribus bellis experti, diem de die proferebant, amplius ſe deliberaturos ſignificantes. Rex Chriſtianus poſt quadriennii tergiverſationem ſpes ſuas eludi ſentiens, Leonem X. Papam contra Gubernatorem Sueciæ concitabat, Guſtavum Trolle novum Archiepiſcopum magnis muneribus in partes ſuas pertrahebat, Ruſſis etiam perſuadet, ut irruptionem in Finlandiam facerent. Sed Gubernator ante omnia Archiepiſcopum occupandum cenſet, eumque in arce Steckenſi obſeſſum, fruſtra Chriſtiano in auxilium evocato, ad deditionem cogit, & officio ac dignitate exuit. Hinc Leo Papa cum Gubernatorem excommunicaſſet, ac centum millia ducatorum mulctæ nomine a Suecis exigeret, Chriſtiano Daniæ Regi exſecutionem hujus ſententiæ demandat. Huic magnis cum copiis in Sueciam ingreſſo Gubernator cum ſuo exercitu in Weſt-Gothia occurrit, factoque concurſu paulo poſt ex accepto in prælio vulnere moritur, unde totus ejus exercitus duce deſtitutus, non multo poſt plane eſt dilapſus. Chriſtianus itaque diviſis copiis Weſt-Gothiam & Oſt-Gothiam intrat, easque regiones nullo negotio ſibi ſubjicit; cum reliquo exercitu Strengneſſam verſus progreditur.

Hac occaſione utendum ratus Archiepiſcopus, Eccleſiaſticam ſuam dignitatem rurſus aſſumit, conſentientibuſque duobus tantum Epiſcopis ac ſeptem regni Senatoribus, Upſaliæ Chriſtianum nomine Ordinum, Regem Sueciæ declarat. Co- 1520. Chriſtianus.

ronatus igitur ab eodem Archiepiſcopo, primo civiliter admodum & humaniter Suecos tractabat, ſed mox a nullo genere crudelitatis in eos exercendo abſtinuit. Præcipue in Nobiles ſævitum, ac inprimis illos, qui Stenonis Sture Gubernatoris quondam ſectam ſecuti fuerant. Cujus etiam corpus e terra effoſſum inter reliqua ſupplicio affectorum cadavera oſtentui expoſitum: uxor ejus & ſocrus cum aliis clariſſimis feminis in vincula conjectæ. Ita ſexcentis fere Suecis crudelem in modum necatis, veluti re bene geſta Chriſtianus in Daniam revertitur.

§. 9. Sed dum Chriſtianus Suecos jugo Danico ſubdere nititur, Guſtavus Erici Waſæ filius (cujus patrem Tyrannus capite plexerat, matrem vero conjecerat in carcerem) ad Dalekerlos abierat, qui intellecto periculo, in quo ipſi una cum toto regno verſarentur, Guſtavum ſibi ducem conſtituunt. Horum exemplum ſecuti Sueciæ Ordines non multo poſt eum Gubernatorem regni declarant, Archiepiſcopo interim ejuſque ſequacibus
1523. Danorum partes defendentibus. Huic tempeſtati cum fortiter obviam iret Chriſtianus, nova ipſi calamitas accedit, dum Jutlandia quoque deficiens omnem ipſi obedientiam renuntiat. Hinc enim ſtatim tantum animorum Suecis acceſſit, ut exactis e regno Danorum copiis, urbibuſque plurimis & arcibus vi receptis, Guſtavum Regem Sueciæ deſignarent, qui ſtatim auxilio Lubecenſium urbem Holmiam una cum arce in deditionem accepit. Interim Chriſtianus Dania quoque expulſus cum Iſabella conjuge in Belgium profugit, & in locum ejus eligitur Fridericus I. Chriſtiani patruus. Succi autem dominationem rurſus Danicam ſubire detrectabant, & Regi ſuo Guſtavo conſtanter adhærebant: qui tamen, dum exhauſto ærario

Guſtavus.

rario

rario pecunias ad ſolvenda militibus ſtipendia a Clericis exigit, & ſuperflua templorum ornamenta ad alios uſus convertit, evitare non potuit, quin Epiſcoporum quorundam odia in ſe concitaret.

Interim purioris religionis lux Sueciam afflaverat. Mercatores quidam Germani in cauſa, & milites mercenarii, mox & juvenes quidam Sueci, qui Wittebergæ ſtudiis dederant operam, & doctrinam & ſcripta Lutheri in patriam ſuam attulerant. Inter hos eminebat quidam Olaus Petri, qui ipſum Lutherum audiverat. Rex auditis præcipuis doctrinæ articulis, & certior factus, multos Germaniæ Principes ſuperfluis bonis eccleſiaſticis Clericos exuiſſe, admodum iis favebat, caute tamen & pedetentim incedendum ratus. Itaque quamvis Hadrianus IV. Pontifex Romanus Legatum ſuum miſiſſet in Sueciam, ut naſcentem hæreſin exſtirpare penitus conaretur, ejusque adventu Clerici ſuſtuliſſent animos; facile tamen ab altera parte Olaus Petri, qui Regis favore nitebatur, cauſam ſuam & ſcriptis & diſputationibus defendebat. Imo Rex Brasko Lincopingæ Epiſcopo palam affirmabat, non poſſe ſe Lutheranis protectionem ſuam denegare, donec aut criminis aut erroris convincerentur. Mox etiam Olaus Petri publice in majori Eccleſia Holmiæ uxorem ducit. Dehinc cum Novum Teſtamentum in linguam Suecicam vertere aggreſſus eſſet, juſſu Regis alia itidem verſio a Pontificiis concinnatur, quæ licet multi in ea adornanda elaboraſſent, longe tamen omnium judicio priori illa habita fuit inferior. Nec ceſſavit poſtea idem Olaus, cum magnas a Clero pecunias Rex exigeret, cauſam Regiam ita defendere, ut adverſarii ejus contra vix hiſcere poſſent. Ideoque quamvis jactarent, ſe tam arcto nexu a

Romano Pontifice dependere, ut ſine ejus conſenſu nihil eorum, quæ a ſe peterentur, poſſent concedere; Rex vana jactari ſentiens, pertractis in ſuas partes & delinitis in publico conventu reliquis regni Ordinibus, fundos eccleſiaſticos, qui poſt A. C. 1454. Clero acceſſerant, aliamque pretioſam ſupellectilem fiſco Regio addicit. Epiſcopis interim eorumque ſequacibus omnem lapidem moventibus ut turbæ contra Regem excitarentur, Dalekerlii, qui ab illis excitati ſuppoſititium Stenonis Sture filium Ducem ſibi conſtituerant, coacti ſunt a Rege arma deponere & imperata facere; nec Sigismundus Rex Poloniæ, cui rebelles coronam Succiæ obtulerant, eam accipere eſt auſus.

1528. His feliciter peractis Rex ſolenniter Upſaliæ cum ſolitis cerimoniis coronatur, mox convocata ſynodo Cleri, cui Regis Cancellarius præſidebat, præcipui doctrinæ Pontificiæ articuli abolentur, Lutherana religio introducitur, ſanciturque ut Profeſſores etiam Theologiæ Proteſtantium partibus addicti conſtituerentur. Nec mora, ſtatim vulgus Clericorum & Monachorum relictis paſſim monaſteriis ad matrimonia convolant, ex quibus etiam plurimi Proteſtantium Eccleſiarum Paſtores conſtituuntur. Epiſcopi interim eorumque ſequaces novas excitabant turbas, factaque ſocietate cum quibuſdam occidentalis Gothlandiæ Dynaſtis, Regem hæreſeos aliorumque criminum accuſabant, omnem illi obedientiam renunciantes. Hi Ducem elegerant Thuronem Johannis filium regni Mareſchallum, qui concitatis iterum Dalekerliis, utroſque etiam Gothos commovebat, iisque perſuadere nitebatur, ut Magnum Bryntesſon, ſpectatæ auctoritatis virum, Regem ſibi conſtituerent. Sed hanc quoque procellam Guſtavus prudenter evitavit, data pleriſque rebellibus venia, & ducibus tan-

tantum eorum majeſtatis damnatis & capitali ſupplicio affectis. Mox pacatis omnibus Rex Catharinam Magni Ducis Saxo-Lavenburgenſis filiam ducit in matrimonium : ſed non diu quiete illa perfrui licuit. Audito enim Regem Chriſtianum cum magno copiarum numero in Norwegiam appuliſſe, Mareſchallum regni cum exercitu obviam illi mittit, qui inita cum Danorum nonnullis ſocietate, Chriſtianum cogit ad tollendam obſidionem Bahuſiæ, quam copiis ſuis cinxerat. Mox 1533.
Chriſtiani res retro fluere cœperunt, ita ut, poſtquam ſe Danis dedidiſſet, a Frederico Rege Daniæ in carcerem conjiceretur, ubi ſeptem & viginti annis in illa captivitate exactis diem ſupremum obiit. Nec multo poſt a Lubecenſibus major tempeſtas exoritur. Hi a Rege petierant, ut commercia in Borealibus regni ejus littoribus ipſis ſolis paterent; quo non accepto, pecunias ſibi debitas acerbe repoſcebant, receptisque multis exſulibus, qui Regi Chriſtiano faverant, & Johanne Comite Hoyenſi, qui ſororem Guſtavi in matrimonio habebat, Duce conſtituto, jam nihil minus quam Borealium regnorum ſubjugationem animo agitabant. Quosdam etiam Holmiæ cives, promiſſo eam urbem in civitatum Hanſeaticarum numerum receptum iri, incitaverant ad violentas Regi ſuo manus inferendas. Idem etiam Hafnienſibus & Malmoenſibus erant polliciti, poſtquam mortuo Friderico Rege Daniæ, regnum illud variis diſſenſionibus & factionibus exagitaretur. Ita numero & viribus aucti, proſperis uſi ſucceſſibus variis cladibus Danos affecere, donec Chriſtiano tertio Rege deſignato, auxiliisque & pecunia a Guſtavo Rege ſubmiſſis, converſa fortuna Lubecenſes pellerentur, & claſſem ſuam univerſam amitterent.

Interjectis aliquot annis Guſtavus Ordinibus re- 1544.

gni conventum indicit, in quo ſucceſſio regni Suecici hereditaria declaratur, ac Regis filius Ericus, undecim tunc annos natus ſucceſſor patri deſtinatur. Eodem tempore, damnato rurſus Papiſmo, Lutherana religio in Suecia ſtabilitur & confirmatur, Rege ipſo & Ordinibus jurejurando ſe obligantibus, eam omni ope ac viribus ſe defenſuros & propugnaturos. Deinde compoſita pace cum Ruſſis, qui Livoniam & Finlandiam invaſerant, Guſtavus magno jam natu teſtamentum facit, in quo Johanni ſecundo filio Ducatus Finlandiæ adſignabatur, Magno fratri ejus minori Ducatus Oſtrogothiæ, Carolo autem, qui omnium erat natu minimus, Ducatus Sudermanniæ & Wermelandiæ. Interim Erico, cui utpote natu maximo ſucceſſio regni erat confirmata, perſuadet tutor ipſius Dionyſius Burræus natione Gallus, ut Eliſabethæ Reginæ Angliæ matrimonium peteret, ut ejus regni viribus ſubnixus fratres adſignatarum ſibi hereditatum titulis præfulgentes facilius in obſequio retineret. Jamque audito Johannem fratrem ſuum & Legatos, quos ea de cauſa miſerat, benigne admodum & humaniter a Regina fuiſſe exceptos, certam nuptiarum ejus ſpem conceperat: ratusque nihil ad perficiendam rem præter adventum ſuam deſiderari, impetrato prius Ordinum conſenſu, ipſe iter in Angliam parabat. Præmiſſa impedimentorum parte jam in procinctu ſtabat Ericus omnibus ad viam neceſſariis comparatis: cùm ſubito nuncio de morte Guſtavi, qui Holmiæ mortuus eſt, accepto propoſitum omittere cogitur, ratus parum tuto ſe regnum fratris fidei commiſſurum.

Ericus. Viginti ſeptem annorum erat Ericus, cum patri ſuo ſuccederet. Hic ante omnia novis factis conditionibus auctoritatem ſibi Regiam contra fratres firma-

mabat; quibus illi quamvis inviti in comitiis Arbogenſibus ſubſcribere coacti. Mox etiam Comitum & Baronum gradus primus in Sueciam introduxit, quia ſpecioſum illi videbatur, in hereditario regno etiam nobilitatem hereditarias quaſdam dignitates poſſidere. Mox in Livonia turbæ ortæ: magna pars regionis ejus Danorum, alia Polonorum clientelam ſubiverat; ſed Revalienſes, quod proximum videbatur auxilium, protectionem Regis Erici implorabant, qui etiam miſſo celeriter exercitu in fidem illos recepit, priſtinaque privilegia & civibus & nobilibus confirmavit. Nec Legatus Polonus, qui Revaliam repetitum venerat, obtinere quidquam potuit, & copiæ Polonorum, quæ Suecicum, quod Revaliæ erat, præſidium obſidione cinxerant, loco pulſæ. Mox navim conſcendit in Angliam trajecturus, ſpe matrimonii Eliſabethæ Reginæ obtinendi, ſed fœdis tempeſtatibus in littora ſua eſt rejectus. Mox ut levis erat animi, alias ſibi conditiones per Legatos cum muneribus miſſos quærebat, primum Mariæ Reginæ Scotiæ, mox filiæ Principis Lotharingiæ, tum & Catharinæ filiæ Landgravii Haſſiæ nuptias ambiens: ſed nullam ex hiſce obtinere potuit. Interim frater ejus Johannes Catharinam Sigiſmundi Poloniæ Regis filiam duxerat uxorem: quod ſe inconſulto factum eſſe indignatus Ericus, fratrem in arce Aboenſi obſidet, captum ferali ſententia ad mortem damnat, mox tamen perpetuo illum carceri incluſiſſe contentus. Hæc contumelia adeo movit Polonos, ut Danos & Lubecenſes ad bellum Suecis inferendum concitarent, quod terra & mari varia fortuna geſtum, cum Suecis in Livonia præſertim res proſpere ſuccederent. Nondum finitum erat hoc bellum, cum major contra illum procella in ipſo

regno

regno exoritur. Non placebat plurimis, eum relictis negotiorum publicorum curis, amoribus tantum & voluptatibus indulgere: quippe multitudo concubinarum ubique fere illum comitabatur, ex quibus uni præ ceteris erat addictus, Catharinæ nomine, gregarii militis filiæ, quam & poſtea duxit uxorem; quod Nobilium animos graviter offendit. Sequebatur præterea in omnibus conſilia Peerſonii cujuſdam, quem intimum neceſſarium & amicum primæ admiſſionis habebat, & Dionyſii Beurræi, tutoris quondam ſui. Hic ſimultatibus & odiis quæ Regem inter & Sturios vigebant frigidam continuo ſuffundebat, ita ut multi ex illa familia falſis teſtimoniis oppreſſi in carcerem conjicerentur, ibidemque juſſu Regis capitali afficerentur ſupplicio. Unum quoque ex illis Nicolaum Sture Rex ſua manu obtruncavit, cujus tamen facti paulo poſt adeo ipſum pœnituit, ut Dionyſium iſtum ſatellitum ſuorum gladiis viciſſim objiceret.

Haec atque id genus alia plurimorum animos a Rege abalienaverant: quos ut aliquo modo placaret, Johannem fratrem, certis prius conditionibus adſtrictum e vinculis dimittit. Mox quia contra Danos proſpere rem geſſerat, majores iterum animos ſumſit, ſecumque agitare cœpit, quomodo fratribus provincias, quas patris teſtamento acceperant, eriperet: tum etiam, ut facile in deterius corruptus labitur animus, Johannem fratrem ad nuptias, quas Holmiæ cum Catharina concubina celebrabat, invitatum, e medio tollere meditabatur. Hinc facta coitione cum primariis regni, fratres Erico bellum inferunt, captisque munitiſſimis arcibus, etiam Regiis theſauris ſublatis mox in tantas eum anguſtias conjiciunt, ut ex arce Holmienſi, in quam

con-

confugerat, prodiens ſe Caroli fratris fidei committeret.

Tunc Holmiæ congregati Ordines Johannem fratrem Erici Regem Sueciæ proclamant, qui cum Carolum fratrem Sudermanniæ Ducem conſtituiſſet, Upſaliæ coronatur, factaque Stetini cum Danis pace omnem vim belli in Moſcovitas convertit. Hi enim retentis Suecorum Legatis, qui de induciis componendis miſſi fuerant, cum Livoniam ſuæ ditionis facere nequiviſſent, *Magnum* Ducem Holſatiæ hereditarium Livoniæ Regem conſtituerant, ea tamen conditione, ut exiguum aliquod tributum magno Moſcoviæ Duci quotannis penderet. Hinc bellum Suecos inter & Moſcovitas magnis utrorumque cladibus geritur, in quo tamen plerumque res Moſcovitica ſuperior fuit. Sueci plerique opinantur, Johannem melioribus auſpiciis & majore cum ſucceſſu hoc bellum geſturum fuiſſe, niſi interim alia religionem concernentia animo agitare maluiſſet.

Johannes. 1568.

1571.

Nam Johannes, quamvis purioris religionis principia cum ipſo lacte imbiberat, tamen ex ſuggeſtione Reginæ & eruditorum quorundam Romano-Catholicorum, quibus ſæpe perfamiliariter utebatur, ſub prætextu reformationis religionem Pontificiam gradatim in Suecia reſtituere nitebatur. Ergo ſecutus veſtigia Georgii Caſſandri, cujus opera Ferdinandus I. & Maximilianus II. in componendis religionis controverſiis in Germania fuerant uſi, ope Jeſuitarum quorundam novam concinnat Liturgiam, eamque cum aliis plurimis Romanenſium cerimoniis pleriſque ditionis ſuæ Eccleſiis obtrudit: ipſa quoque Miſſa poſtliminio reducta. At Carolum fratrem, ut idem in ſuo Ducatu fieri permitteret, permovere non potuit: hic

hic enim a Johanne ſollicitatus reſponderat,neque in ſua,neque in ipſius Regis poteſtate eſſe,quidquam in religione innovare. Dehinc cum Romani Pontificis conſenſum expeteret, is quoque, quæ Rex in hoc negotio egerat, irrita declarabat, donec tandem in Synodo Clericorum, quæ Regis juſſu
1577. indicta erat, ſupradicta Liturgia reciperetur, & ab Ordinibus etiam ſecularibus confirmaretur, proditoribus declaratis quicunque in poſterum huic conſenſui refragarentur. Ita Johannes voti ſui factus compos nonnullos adhuc refractarios in vincula conjicit: multi tamen ex Clericis, quibus nova Liturgia diſplicebat, ad Carolum Ducem confugere, detectisque illi fallacibus adverſæ partis inſidiis, etiam pleraſque Academias Germaniæ, Wittebergenſem, Lipſienſem, Helmſtadienſem & Francofurtanam in partes ſuas adtrahunt; quæ omnes conſtantem illorum zelum in tuenda Confeſſione Auguſtana approbarunt, novamque illam Liturgiam, tanquam religioni Proteſtantium adverſam, damnaverunt. Interim Johannes metuens, ne inteſtinæ illæ, quæ tunc in regno vigebant, diſſenſiones aliquam evadendi viam Erico (qui novem annos continuos ſqualorem carceris pertulerat,) patefacerent, miſſo qui ipſi erat a ſecretis, veneno illum interficit. Igitur hac ſollicitudine liberatus apertius deſtinata cœpit exſequi: invocatio Sanctorum publice ex pulpitis eccleſiaſticis docebatur, contradicentes in vincula conjiciebantur; Rex Legatum miſerat Romam, & viciſſim Pontificis Nuncius Holmiæ reſidebat, etiam de nova Academia Pontificia Holmiæ erigenda agitabatur. Manebat interim cum Moſcovitis bellum, varia hactenus fortuna geſtum; cum Rex Poloniæ cum Sueco paciſcitur, ut uterque eorum ſeparatim Moſcovitas aggrederetur &

& quascunque illis terras eripuiſſet, ſuis provinciis adjungeret. Nec mora, proſpere ab utraque parte contra Moſcovitas pugnatur, multæque illorum arces ab exercitu Suecico, cujus Dux erat Pontus de la Gardie interceptæ: ſed mox aſſiduum inter pares diſcordia malum intervenit, Polonis non tantum ſeorſim pacem cum Moſco- 1582. vitis facientibus, ſed etiam partem captorum munimentorum ſibi tradi ferociter poſtulantibus. Ita Sueci, cum fortunæ ſuæ invideri cernerent, biennii inducias (quæ mox in quatuor alios annos prorogatæ) cum Moſcovitis componunt. Necdum ſopita erat diſſenſio inter Johannem & Carolum Ducem, & quamvis mox in conventu Ordinum, quos Rex Wadſtenum convocaverat, pax inter fratres reconciliaretur, Liturgia tamen in ditionibus Caroli neutiquam eſt recepta, quoniam Synodus Clericorum, quæ Strengneſſæ coiverat, conſtanter illam rejiciebat. Eodem tempore mo- 1587. ritur Stephanus Rex Poloniæ, cujus vidua Anna, quæ avia erat Sigismundi Principis, filii Johannis Regis Sueciæ, perſuaſit præcipuis Poloniæ Magnatibus, ut illum ſibi Regem adſciſcerent: quo facto diu tamen hac de re a Suecis dubitatum fuit, qui conditiones a Polonis præſcriptas accipere detrectabant. Vix e Suecia diſceſſerat Sigismundus, cum pater ejus Johannes iterum urgere cœpit, ut Liturgia in territoriis Caroli Ducis introduceretur: ſed Clerici, auctoritate Caroli confiſi, conſtanter in ſententia ſua permanebant. Rex tanto illorum conſenſu fatigatus, Carolum fratrem Holmiam accerſit, depoſitaque omni ſimultate tam intimum omnibus ſuis conſiliis exinde habuit, ut ſine ejus conſenſu nullam rem inciperet. Hic fratrum conſenſus perpetuus tamen eſſe non potuit: paulo enim ante mortem Johannis, cum Caro-

Carolus Chriſtinam filiam Adolphi Ducis Holſatiæ duxiſſet uxorem, male ſopiti odiorum igniculi in Regis animo reviviſcere cœperunt. Sed is paucis poſt menſibus Holmiæ diem ſupremum obiit.

Carolus audita morte fratris Johannis, quæ biduo celata fuerat, Holmiam venit, miſſoque nuncio ad Sigismundum Regem Poloniæ, ipſe interim conſentiente Senatu regni adminiſtrationem ſibi vindicat, etiam fratre Sigismundo rem approbante. Mox Suecico & Gothico Clero Upſaliam convocato, (nam Finni comparere detrectabant) ſtabilitur *Confeſſio Augustana*, Liturgia ceteræque cerimoniæ Pontificiæ penitus abolentur. Dehinc Regi priusquam coronaretur, hanc legem obtrudere conantur, ut nemini extra Sueciam ad Regem Poloniæ provocare liceret. Sigismundus hereditarium ſe Principem ferens, ideoque nullis ante coronationem legibus ſe velle obſtringi, Decreta etiam omnia, nuper Upſaliæ facta, irrita declarabat: quo facto Ordines Lutheranæ in Suecia religioni timere cœperunt, aucto mox metu, cum Regem cum Nuncio Romani Pontificis, a quo coronari volebat, in Sueciam intrare cernerent, ejusque inſtinctu ſingula in ſingulis urbibus templa Romano-Catholicis poſtulare. Tunc Ordines rogare Carolum, ut ſua auctoritate apud Regem intercederet; quem cum minus quam vellet, moveret, ipſemet ſe cum Ordinibus conjungit ad religionem Lutheranam defendendam, & exercitum ſuum prope Upſaliam luſtrat. Ne tamen ad extrema deveniretur, Rex tempori ſervire ſatius exiſtimans, pleraſque conditiones illis conceſſit: ſic coronatio a Strengneſſæ Epiſcopo peracta. Vix tamen Rex Holmiam erat reverſus, cum Ordines vi ad ea cogere aggre-

Sigismundus.

Confeſſio Auguſtana in Suecia ſtabilitur.

greditur, quæ bona illorum voluntate obtinere non potuerat, copiasque ex Polonia accerſit, quo Ordinibus terrorem incuteret, eosque proxima diæta ſibi adſentire cogeret. Sed illi freti Carolo Duce, & concitatis Dalekarlis firmi in ſententia ſua manebant. Itaque Rex conſilia ſua minus proſpere evenire cernens, ſuadentibus Polonis Sueciam incerta conditione fluctuantem relinquere ſtatuit, ut in poſterum eam haberet obſequentiorem. Sed Senatores ſimulatque audiverant eum Dantiſcum verſus vela facere, ipſi cum Carolo Duce adminiſtrationem regni ſibi vindicant, Præfectum Regium (utpote Pontificiæ religioni addictum) Holmia expellunt, exercitium Pontificiæ religionis interdicunt. Mox etiam facta pace cum Moſcovitis comitia Sudercopingam indicuntur, & cum Ordines ſuum procedendi modum datis ad Regem literis defendiſſent, Auguſtana Confeſſio denuo confirmatur, Papiſmus abolctur, eique adhærentes Sueci omnes decreto facto ab omnibus muneribus publicis in perpetuum arceutur. Tunc & Carolo Duci rurſus permiſſum, ut ex ſententia Senatus regnum adminiſtraret, totaque iſta Transactio tribus linguis publicatur, Latina, Suecica & Germanica. Hinc undique fuga fit Romanenſium, relicta Suecia ad Sigismundum in Poloniam ſe recipientium. Quod indigne ferens Sigismundus, miſſis ſeorſim ad Carolum & Ordines literis & nunciis, eorum animos a ſe invicem abalienare nitebatur: quod cum ex parte ſucceſſiſſet, aliquamdiu varias inter turbas & diſſenſiones Suecia fluctuavit; donec Rex perſpecto concitatam tempeſtatem non niſi ſua præſentia poſſe ſedari, cum ſex hominum millibus in Sueciam proficiſceretur. Carolus Ordinibus Wadſtenam convocatis Regis adventum

& conſilium exponit, a quibus unanimi conſenſu decernitur, cum exercitu illi prope Calmariam eſſe occurrendum. Partibus interim regni varie diductis, infeſtis utrinque animis concurritur; prius prælium Regi, poſterius Carolo felicius ceſſit. Accepta utrinque clades quamvis modica effecit, ut Regem inter & Ducem pax certis conditionibus coaleſceret, promitteretque Rex, ſe Holmiam adulta licet anni tempeſtate venturum, ac negotia regni ordinaturum. Neque tamen Holmiam proficiſcitur, ſed Calmaria, quo venti illum adverſi adpulerant, Gedanum verſus curſum dirigit. Hac perfidia commotus Carolus Ordines regni iterum convocat, & ab iis Gubernator Sue-
1599. ciæ conſtituitur. Mox etiam in ſecundo conventu Holmienſi obſequium omne Sigismundo renunciant, & filio ejus Uladiſlao coronam Seciæ offerunt, ſi intra anni ſpatium in Sueciam venire, ac Lutheranam religionem adoptare dignetur: alioquin & ipſum & heredes ejus in perpetuum a ſucceſſione ejus regni ſecluſos fore. Interjecto tempore cum Carolus Gubernator regni fines ſtrenue contra Ruſſos defendiſſet, rebelles Finnos ad obſequium redegiſſet, turbantesque Magnates, eosdem ſcilicet qui antea in Poloniam ad Sigismundum confugerant, majeſtatis damnatos capi-
Carolus. tali affeciſſet ſupplicio, tandem A. 1604. Rex Sueciæ deſignatur, regnique ſucceſſio heredibus ejus tam feminis quam maribus confirmatur. Carolus igitur IX. reliquum vitæ tempus, quod in regno exegit, ſatis exercitum habuit. Nam & Poloni Livoniam invaſerant, nec dubium erat, quin totam eam regionem Succis fuiſſent extorſuri, niſi Sigismundum inteſtinæ Polonorum diſſenſiones ab explorata victoria domum revocaſſent: & Dani, cum Suecos undique premi cernerent,

nerent, magno apparatu belli expeditionem contra illos moliebantur. Eodem tempore cum etiam Moſcovitæ Uladiſlaum Sigismundi Regis filium Magnum Ducem ſibi conſtituere pararent, res Suecicæ omnino retro ſublapſæ videbantur, niſi eximia jam tunc Guſtavi Adòlphi, Caroli Regis filii, indoles flacceſcentes illorum animos ſuſtinuiſſet & erexiſſet. Primum Danis circa Calmariam occupatis, adſumtis ſecum mille & quingentis equitibus non tantum commeatum, quem congeſſerant, diripuit, ſed etiam cepit Inſulam Oelandiam & arcem Borkholmiam. Sed dum copias in hiberna reducit, pater ejus Carolus Nicopingæ moritur primum & ſexageſimum agens annum ætatis.

§. 13. Guſtavus Adolphus, quia adhuc minorennis erat, ſub tutela Chriſtinæ matris, Johannis Ducis & quorundam Sueciæ Senatorum adtinebatur: ſed quia hinc Polonicis & Ruſſicis bellis implicita Suecia, illinc etiam a Danis urgebatur, in conventu Nicopingæ habito decretum eſt, ut Guſtavus Adolphus, quamvis octavum decimum ætatis annum nondum expleviſſet, adminiſtrationem regni ipſe ſuſciperet. Primum curam omnem in bellum Danicum intendit, cum quibus vario Marte pugnatum, ita tamen ut navalibus in præliis res Danica plerumque eſſet ſuperior, propterea quod claſſis Suecica minus rebus neceſſariis inſtructa erat, Danique Calmariam, Risbyfortum & Elffesburgum, loca munitiſſima, Suecis eripuerant. Quare Guſtavus regni ſui vires exhauriri ſentiens pacem cum Danis facit, ea conditione, ut acceptis centum myriadibus coronatorum urbes Suecis ereptas reſtituerent. Interim Moſcovitæ coronam ſuam Carolo Philippo, Regis fratri, obtulerant, eumque ut cum Guſtavo Adolpho ſi- Guſtavus Adolphus.

mul in Moſcoviam veniret, rogaverant: ſed hic ratus occaſionem ſibi eſſe oblatam ut coronam illam cum Suecico regno conjungeret, cum Moſcovitarum legatis ſuum tantum adventum jactaret, fratris ne quidem mentione facta, celeriter illorum animos a ſe abalienavit. Exiſtimabant quippe nihil minus animo agitare Guſtavum, quam ut Ruſſiam faceret provinciam Sueciæ: itaque Michaelem Fœdorowitzium Romanum Magnum ſibi Ducem conſtituunt, advenientique mox Carolo Philippo exercitum mittunt obviam. Id bellum ambiguo eventu aliquamdiu geſtum, mox interventu Anglorum Stolbovæ componitur.

Interim cum Polono quoque induciæ in biennium erant factæ: quarum tempus priusquam exiret, Guſtavus Adolphus bellum hoc continuandum eſſe cenſens;
1617. peracta Upſaliæ coronatione ſua magna totius populi lætitia, Chriſtiano Regi Daniæ reſiduam a nupera pacificatione pecuniam ſolvit, mox etiam Mariam Eleonoram, filiam
1620. Johannis Sigiſmundi Electoris Brandenburgici, ducit uxorem, quo a cæteris partibus tutior eſſet & munitior. Primum igitur Rigam adgreditur, quæ ſex hebdomadis fortiter defenſa, tandem honeſtis conditionibus ad deditionem cogitur. Hinc quamvis iterum biennales pangerentur induciæ, interimque etiam de pace facienda ageretur, quam Ordines Polonici valde deſiderabant, Sigiſmundus tamen propoſiti ſui tenax belli rurſus fortunam tentare malebat. Tunc Guſtavus Livoniam cum exercitu intrat, eamque fere totam Polonis eripit, mox & Lithuanos prope Walſoriam in Semigallia magna clade afficit. Nec hoc Sigiſmundum permovere potuit, ut conſilium belli deponeret: præſertim quia Imperator Germaniæ, cui tunc in Germania res ex voto ſuccedebant,

nova

nova illi auxilia promittebat. Rex igitur Guſtavus cum mare Balticum cum claſſe 80 navium trajeciſſet, Elbingam, Mariæburgum, plurimaque alia Boruſſiæ loca vi capit: ſequenti etiam vere Dantiſcum oppugnare aggreditur, ſed dum mu- 1627.
nitiones luſtrat, glande plumbea in ventre percuſſus, tunc quidem a cœpta obſidione deſtitit. Nec multo poſt alio in prælio humerus ejus ſiniſter glande trajicitur: quippe Regem impavidum non Ducis tantum officio, ſed plerumque gregarii militis munere fungi cerneres. Ita Suecica res ſemper fere hoc bello fuit ſuperior, donec anno 1629 induciæ fierent in ſex annos, ea conditione, ut reſtitutis cæteris Elbingam, Braunsbergam, & quidquid in Livonia poſſidebant, Sueci retinerent.

§. 14. Anno ſequenti in Germaniam trajecit, ubi & res maximas geſſit, & immortalem ſibi ac poſteris ſuis famam acquiſivit. Nam cum mediationem ſuam ad pacem in Germania reſtabiliendam fruſtra obtuliſſet, expoſuiſſetque Ordinibus Sueciæ, quam neceſſarium eſſet, Imperialibus, qui jam ad mare Balticum usque pervenerant, cum valido exercitu occurrere, cuncta ad futuram expeditionem neceſſaria præparabat. Itaque præmiſſo cum ſelectis copiis Alexandro Leſlæo, qui Imperiales ex Inſula Rugia expelleret, ipſe cum toto exercitu die 24 Junii Uſedomiam in Po- 1630.
merania appellit. Hinc Stetinum proficiſcitur, coactoque Duce Pomeraniæ, ut ſe & exercitum in urbem reciperet, communis defenſionis cauſa fœdus cum illo facit. Tunc incredibili ſucceſſu præſidia Imperialia ex munitis Pomeraniæ locis undique expellit, Stargardiam, Anclamam, Uckermundam & Wolgaſtum nullo negotio capit. Et quo plures hoſti ſuo adverſarios concitaret, Chriſtia-

no Wilhelmo Adminiſtratori Magdeburgenſi (qui antea a Cæſare expulſus, tunc in poſſeſſionem ditionis ſuæ redierat) ſubſidio mittit Didericum Falkenburgenſem, qui res ejus confuſas & invalidas firmaret ac ſtabiliret. Tunc fœdus cum Rege pepigere Archiepiſcopus Bremenſis, Georgius Dux Luneburgi, & Wilhelmus Haſſiæ Landgravius, omnesque adeo Proteſtantes magnis ejus ſucceſſibus animati, nihil aliud tunc agitabant, quam quibus rationibus & viis Romani Pontificis jugum excuterent.

1631. Initio ſequentis anni fœdus, quod jam pridem agitatum fuerat, cum Rege Galliæ pangit, cui hæc adjecta fuit conditio, ut Rex Galliæ quotannis Sueco quadringenta millia coronatorum ſubmitteret. Captis deinde multis non ignobilibus oppidis Tillio Cæſareanorum duce interim ad recipiendam Magdeburgum profecto, Francofurtum ad Oderam aggreditur, eamque poſt tridui obſidionem capit. Lipſiæ interim conventus agitabatur a Proteſtantibus Germaniæ Principibus, deliberaturque qua potiſſimum ratione edicto de reſtitutione bonorum eccleſiaſticorum, quod Cæſar propoſuerat, reſiſteretur. Ad hos legati a Guſtavo miſſi, qui ad ineundam mutuam contra Cæſarem unionem illos hortarentur, ſubſidiumque pecuniæ ac ſupplementum militum ſibi depoſcerent: quibus cunctantius reſponſum eſt, in primis ab Electore Saxoniæ, qui ipſe Ducem ſe Proteſtantibus exhibere geſtiebat. Ea res viciſſim Guſtavum ad pericula cautiorem reddidit, ne ſuas copias ad aliorum arbitrium aleæ belli objiceret: atque hinc factum, ut Magdeburgum, cum non ſatis cito auxilia illi urbi ſubmitterentur, a Tillio caperetur. Nullum ibi crudelitatis genus prætermiſſum eſt: urbs ipſa, paucis tantum ædificiis exceptis,

ceptis, in cineres verſa, incolarum ex tot millibus non niſi quadringenti vita donati. Paulo poſt cum Imperiales ex Pomerania & Megalopolitano Ducatu undique pulſi in Saxoniam irrupiſſent, ipſamque jam cepiſſent Lipſiam, Saxo ad incitas redactum ſe videns, ſpretum antea fœdus nunc ſponte Sueco offert, nihilque ſibi gratius fore oſtendit, quam ſi Rex caſtra ſecum jungere dignetur. Paulo quidem difficilius huic petitioni adſenſum: ſed quia omnes a Rege præſcriptas conditiones promte ac ſine mora Saxo accipiebat (adeo tum durum erat telum neceſſitas, quæ priſtinam illam ferociam & ambitionem penitus expulerat) enimvero Suecus tranſito Albis flumine prope Wittebergam, caſtra ſua cum caſtris Electoris conjungit. Ibi præſente etiam Electore Brandeburgico de ſumma rerum deliberatur: & Rege quidem cautius agendum eſſe cenſente, Saxo moræ omnis impatiens, ceſſantibus cæteris ſe ſolum in prælium progreſſurum eſſe exclamat; eique ſententiæ cum plerique adſentirentur, Rex quoque calculum ſuum adjecit. Nec Cæſareani Duces, virtuti veteranorum ſuorum plurimum confiſi pugnam abnuunt, qua omnem ſuperiorum victoriarum fructum perdidere. Hoc prælium haud procul urbe Lipſia commiſſum: in quo tanta arte & virtute a Sueco, qui dextro cornu præerat, pugnatum, ut ventum hoſti ſecundum, circumactis paulatim copiis ſuis, eriperet, Saxonumque peditatu ac magna etiam equitatus parte pedem jam referentibus, adeo vehementem in perſequentes jam Cæſareanos faceret impetum, ut ipſos victores in fugam compelleret. Captis deinde tormentis bellicis hoſtium, non amplius de victoria dubitatum, peditibus quoque Cæſareanis, qui adhuc locum ſuum ſtrenue tenuerant, præcipiti gra-

du in fugam effuſis. Hujus victoriæ & magna opportunitas fuit & fructus pene immenſus. Saxo nullo negotio Lipſiam ſuam recuperat, mox ut in deliberatione Hallæ habita decretum fuerat in Bohemiam movet, lateque diffuſo terrore Pragam & Egeram primo fere impetu capit. Rex in Franconiam verſis ſignis totam illam regionem non tam præliis quam victoriis peragrat. Hinc ad Rhenum converſus Hanoviam ſubita invaſione opprimit, Francofurtum ad Mœnum in deditionem accipit, ſubactaque tota Rhingavia, Palatinatum, Hiſpanis tunc militibus inſeſſum, invadit. Hic capto Gernshemio Rhenum trajicit, Hiſpanis eo tranſitu prohibere illum conantibus graviter cæſis: hinc Oppenhemium, Moguntia, Landavia, Spira, Weiſſenburgum quoque & Manhemium in poteſtatem redactæ. Interea Roſtochio quoque & Wismaria in ditionem acceptis toto littore maris Baltici Cæſareani erant excluſi. Rebus in hac parte tam proſpere decedentibus Saxonis impetus, qui Pragam, ut diximus, ceperat, elangueſcere viſus: nam quia Regi, quem Cæſareæ coronæ inhiare ſuſpicabatur, invidebat, nullis rationibus permoveri potuit, ut exercitum in Moraviam & Auſtriam porro induceret. Cæſar interim viſo Tillium ſuſtinendis Regis viribus vix parem eſſe, Wallenſteinium revocatum ſummum exercitus ducem conſtituerat, virum ſpectatæ auctoritatis & multæ experientiæ, quem fama erat tantas coacervaſſe divitias, ut ſuis ipſe reditibus exercitum alere poſſet. Hic obnitens aliquamdiu, mox ſuſcepto in ſe hoc munere ante proximi veris initium exercitum ad quadraginta virorum millia
1632. coegerat. Non obſtante hyemis rigore exercitus Regius profligatis Hiſpanis Crucenacum aliaque vicina Rheno oppida expugnaverat: ſed initio veris

ris Rex in Franconiam tendit, ſumma rerum in iis partibus gerendarum Axelio Oxenſtiernæ commiſſa. Adventu Regis Tillius, qui in illis locis graſſabatur ac Donawerdam paulo ante ſuam fecerat, exercitum ſuum ultra Danubium ſubducit: quem Rex haud procul Lyco fluvio in ſilva, ubi caſtra metatus fuerat, aſſecutus ingenti clade afficit. In eo prælio Tillius ipſe majoris tormenti globo percuſſus, paucis poſt diebus Ingolſtadii diem ſuum obiit. Sic tota Regi patuit Bavaria, ut ipſum quoque Monachium apertis portis copias ejus acciperet. Interea cum Pappenheimius Dux Cæſareus in inferiori Saxonia late arma & terrorem circumtuliſſet, & Wallenſteinius e Bohemia expuliſſet Saxones (quorum Dux Arnhemius Regi Guſtavo ſemper infeſtus proditione res Electoris peſſumdederat) agitari cœptum eſt de Suecis in Bavaria ex inopinato opprimendis. Itaque Elector Bavariæ idoneo præſidio Ingolſtadii & Ratisbonæ relicto Egram proficiſcitur, & exercitum ſuum cum copiis Wallenſteinii conjungit: quod cum prohibere non potuiſſet Rex, caſtra prope Norimbergam communit, quo reliquis ſuis copiis per varias Germaniæ partes diſperſis facilior ad ſe reditus pateret. Interjecto tempore, cum ſubſidium 15000 peditum ac 10000 equitum variis ex locis accepiſſet, caſtra Wallenſteinii oppugnare aggreditur: ſed illa tam probe communita erant, ut repellerentur Sueci, duobus virorum millibus amiſſis. Eodem tempore Saxones cum exercitu ſedecim millium Sileſiam intraverant, ubi cum armatus hoſtis non occurreret, totam facile regionem ſubjugaſſent, niſi ſolita Arnhemii perfidia victoriam impediviſſet: qui implacabili flagrans in Guſtavum odio clanculum dabat operam, ut Elector Saxoniæ cum Imperatore

reconciliaretur. Non multo poſt Suecus partem exercitus in Franconiam mittere ſtatuit, ipſe cum reliquis Danubium verſus & Bavariam regreditur: ubi dum victricia arma varie circumfert, crebris a Saxone miſſis nunciis revocatur: quippe Wallenſteinius cum omnibus ſuis copiis in Miſniam irruperat. Contra hunc igitur ſuppetias laturus exercitum eo ipſemet duxit, atque in magna planitie, quæ eſt prope Lutſam urbem caſtris locum delegit. Hic iterum ad prælium ventum eſt, in quo pedeſtres Suecorum copiæ tam feliciter rem geſſere, ut facta impreſſione Cæſareanos funderent ac fugarent, bellicis quoque eorum tormentis captis: ſed equitatus primo quidem diſpar fortuna fuit. Quem dum ſtrenue Rex contra hoſtem ducit, ipſe in primis cadit, victoriam inchoatam ſuis relinquens: quorum adeo non conſternati fuere animi audita ejus morte, ut facta nova impreſſione, Cæſareanos toto campo profligarent ac cæderent.

1633.

§. 15. Nullum maſculæ ſtirpis heredem Guſtavus relinquebat; & Chriſtina ejus filia nondum ſextum ætatis annum compleverat. Itaque tutela Reginæ ac regni adminiſtratio quinque præcipuis Senatoribus committitur, inter quos erat Axelius Oxenſtierna regni Archicancellarius, cui & ſuprema rerum per Germaniam directio permiſſa. Hic rem Suecicam & Proteſtantium egregie ſuſtentavit, variasque Cæſareanis victorias extorſit. Wallenſteinius interim juſſu Cæſaris erat interfectus, ſurrogatusque ei Cæſaris ipſius filius Rex Hungariæ: qui capta Ratisbona Nordlingam obſidens Suecorum copias illuc attraxit, easque ingenti prælio profligavit. Hac clade res Suecorum valde nutare cœperunt, præſertim quia Saxo & Brandeburgicus ſeparatam cum Cæſare pacem fecerant. Ita-

Itaque induciæ cum Polonis, quarum tunc finis appropinquabat, in ſex & viginti annos prorogatæ. Ita vario Marte bellum continuatum, donec Sueci variis Danorum injuriis provocati bellum iis quoque inferre decernerent. Mittitur itaque 1644.
Torſtenſohnius, qui capta magna parte Holſatiæ in Jutlandia quoque & Scania Danorum copias profligat. Etiam claſſis Danorum a Suecis partim fugatur, partim ſubmergitur, Epiſcopatus etiam Bremenſis & Bornholmia inſula in Suecorum deveniunt poteſtatem. Ita neceſſitas Danis 1645.
impoſita pacem cum Suecis quibuscunque conditionibus faciendi. Hinc victricia arma convertens Torſtenſohnius, factis cum Electore Saxoniæ induciis, in Bohemiam irrumpit, affectisque magna clade Cæſareanis & cum Ragotzio Transſylvano ſocietate inita in Moraviam pergit ipſamque Auſtriam, latiusque ibi ſtragem circumtuliſſet, niſi mox a Ragotzio, qui pacem cum Cæſare fecerat, fuiſſet deſertus. Tandem anno 1648. quo ipſo Sueci rurſus in Bohemiam irruperant, captisque Pragæ ſuburbiis palatium Cæſareum diripuerant, pax in Weſtphalia concluditur, qua Suecis ceſſere Epiſcopatus Bremenſis & Verdenſis in Ducatus converſi, Pomerania anterior, Ruga inſula & urbs Wismaria, ea conditione, ut has regiones tanquam feudum Imperii tenerent cum omnibus privilegiis ad easdem pertinentibus, ac præterea quinque milliones coronatorum in ſtipendium exercitui ſuo acciperent. Jam tum Regina animo agitabat regnum in conſobrinum ſuum Carolum Guſtavum, Guſtavi A- Carolus
dolphi ex ſorore nepotem transferre. Itaque re- Guſtavus.
bus ad arbitrium ordinatis, reſervatisque ſibi an- 1654.
nuis reditibus, in comitiis, quæ Upſaliam indi- d. 6. Julii.
xerat, regno ſe abdicat, eodemque die Carolus Guſtavus Rex coronatur.

§. 16.

§. 16. Hic refecto ærario, conſtitutaque re militari omne regni ſui robur in Polonos convertit. Ipſe cum exercitu in Poloniam profectus rebus ſupra vota fluentibus, oppoſitas ſibi copias fundit fugatque, tantumque quaquaverſum terrorem circumfert, ut Poloni pariter & Lituani ſponte ſe ipſius poteſtati ſubmitterent, fidemque illi & obedientiam jurarent: nam Johannes Caſimirus Rex Polonorum jam in Sileſiam aufugerat. Interim cum Carolus Guſtavus in Boruſſiam deflexiſſet, de qua controverſiam movebat Elector Brandenburgicus, Poloni auxiliis Auſtriacis recreati, derepente Suecos aggreſſi magnam eorum multitudinem interfecerant, reliquis in munimenta dilapſis, quæ adhuc retinebant. Sed Rex compoſita lite cum Brandenburgico, eoque ſecum adſumto reverſus recta Warſoviam proficiſcitur, ingentemque a Polonis & Tartaris victoriam reportat. Annoque ſequenti numero copiarum auctus
1656. dubio procul feroces Polonorum animos magis depreſſiſſet, niſi ingruens bellum Danicum ſubito illum domum revocaſſet.

Ita cum exercitu regreſſus non tantum in Holſatia & Bremenſi Ducatu proſpere pugnavit, ſed etiam hyeme ſuper glaciem in Fuhniam reliquasque inſulas & ipſam Selandiam transgreſſus, in
1658. eas anguſtias conjecit Regem Daniæ, ut pace Rotſchildiæ facta Scaniam, Hallandiam, Bornholmiam inſulam, aliasque in Norwegia poſſeſſiones Suecis concederet. Sed male coalita pax non diu duravit: quare Suecus copiis in Holſatia claſſi impoſitis, cum Danticum ſe tendere ſimulaſſet, denuo in Selandiam appellit, ipſamque Hafniam arcta obſidione circumplectitur. Sed Danis fortiter ſeſe defendentibus, & Belgica claſſe auxilium ipſis ferente, coacti ſunt Sueci obſidionem tollere.

tollere. Carolus Guſtavus in febrim cum incidiſſet diem ſupremum obiit d. 23 Februarii anno 1660.

Carolus XI. quinque tantum annos tunc erat natus, ideoque omnis opera navata eſt a Suecis, ut urgentia undique bella aut componerentur, aut differrentur. Cum Polonis quidem in monaſterio Olivenſi, quod prope Dantiſcum eſt, pax facta, quæ ad Imperatorem quoque Germaniæ & Electorem Brandeburgicum pertinuit, in eaque pacificatione Johannes Caſimirus omni jure ceſſit, quod in Coronam Suecicam prætendebat, & Livoniam pariter Suecis conceſſere. Eodem tempore cum Danis etiam pacem faciunt, iisdem conditionibus quæ antea Rotſchildiæ utrinque acceptæ fuerant, niſi quod Bornholmia inſula & Drunthemium urbs Norwegiæ Danis redditæ. Cæterum quamdiu minorennis erat Rex, pax ſervata eſt cum vicinis, niſi quod abrupto fœdere, quod pepigerant Sueci cum Anglis & Belgis, ſocietatem inivere cum Gallis contra Electorem Brandeburgicum, ut illum ab ope Principibus Imperii contra Gallicos exercitus ferenda averterent. Hinc magna clades nata Regi, qui paulo ante adminiſtrationem regni ipſe ſuſceperat. Nam Elector fuſo exercitu Suecico totam fere Pomeraniam illis eripit, dum Lunæburgici Duces Bremenſem & Verdenſem Ducatus occupant, & Rex Daniæ intercepta Wiſmaria multa etiam Scaniæ loca ſibi ſubjicit. Poſt pacem tamen Noviomagenſem Rex omnes fere provincias Germanicas recepit, coactique ſunt Dani capta in Scania loca Suecis reſtituere. Ita pace firmata Rex uxorem ducit Ulricam Eleonoram, hodierni Regis Daniæ ſororem: ex quo tempore præcipua ejus cura fuit ordinare diſciplinam militarem, augere reditus regni, ac pacem cum vicinis ſuis conſervare.

Carolus XI. | 1674. | 1678.

§. 18.

Nationis indoles. §. 18. Ab omni ævo Suecorum & Gothorum nationes belli gloria floruere, quippe tolerandis expeditionum incommodis indeſeſſæ: niſi quod olim male ordinata erat res militaris, cum præcipue illorum vires in ruſticis conſiſterent, donec Guſtavus ejusque ſucceſſores, accitis Scoticis Germanicisque centurionibus & militibus eam introduceret diſciplinam, ut peregrino milite vix amplius eſſet opus, niſi ad numerum ſupplendum. Quemadmodum vero in reliquis Europæ regnis ob multitudinem urbium incolis frequentium, civium ordo maximam & præcipuam reipublicæ partem conſtituit, ita in Suecia ruſtici fere primas tenent, qui majore etiam libertate in Suecia fruuntur, quam cæteris in regnis, ſuosque ad comitia mittunt legatos, quippe ſine quorum conſenſu nova ſubditis tributa imponi nequeunt. Cæterum iſta natio magnam in converſatione gravitatem ac taciturnitatem præ ſe fert, quæ niſi exterarum nationum conſuetudine temperentur, facile in diffidentiam degenerant. Certe plerique illorum dum ſatis magnifice de ſe ipſi ſentiunt, facile alios contemtu proſequuntur. Non deeſt iis ingenium, quo prima artium & ſcientiarum fundamenta percipiant: tantum patientia deſtituuntur, quo fit ut raro ad ſummum earum gradum perveniant. Nec mercatura aut artibus manuariis valde delectantur, ita ut opificia pleraque apud illos parum floreant.

Regni qualitas. §. 19. Regnum Sueciæ magna terrarum ſpatia amplectitur, quorum pleraque tamen aut ſilvis horrida aut lacubus ſunt interſciſſa: ipſumque littus perpetuis fere ſcopulis abruptisque rupibus undique incingitur. Sed in mediterraneis multi fertiles agri ac ſegetibus læti ſe aperiunt, ſilvis omnis generis aves, ac lacubus magnam optimorum piſcium copiam ſuppeditantibus. Cupri & ferri plus in

in Suecia provenit, quam in ullo alio regno, ac mineræ illorum apte ad hoc ipſum a natura ſunt diſpoſitæ, quippe quæ ſilvis & rivulis undique includuntur. Etiam argenti minera in Weſtmanlandia reperitur. Sed præcipua eorum quæ ex Suecia exportantur, ſunt cuprum, ferrum, pix, mali navium, aſſeres &c. Contra ex aliis regionibus Suecia recipit vinum, vinum uſtum, ſal, aromata, pannos ſericos & laneos, telas lineas ſubtiliores, chartam & id genus alia, quorum valor quibusdam annis longe excedit pretium earum mercium, quæ ex illa alio transportantur. Contra ab aliquot jam annis mercatura artesque manuariæ inter illos florere cœperunt: quod ſi opifices, qui ferrum, cuprum & ſtannum tractant, legitimis privilegiis animentur, inducanturque ut in regno Sueciæ lubenter ſedes figant, magno id aliquando quæſtui eſſe poterit. Hodiernus Rex Suecorum copias illorum tam equeſtres quam pedeſtres ad meliorem redegit conditionem, quam qua antea fuerant: quippe quæ levi vel nullo ſumtu in Suecia aluntur, ruricolis peditem alentibus, equitibus vero certas terras veluti feuda Regia poſſidentibus, quarum reditus in ſtipendium illis cedunt. Satellites tamen Regii ex ærario Regis ſtipendia accipiunt. Olim ſtatio Regiarum navium Holmiæ erat, ſed Bleckingæ aliud navale paratum eſt, ex quo citius ac tutius claſſis in mare deduci poteſt. Id quoque Sueciam impenſe tutam reddit, quod a latere Norwegiæ inacceſſis rupibus tribusque caſtellis munitiſſimis tegitur: Suecica autem & Finnica littora innumerabilibus inſulis ita prætexuntur, ut appulſus ad illa ſit difficillimus.

§. 20. Quod ad vicinos Sueciæ adtinet, ab Oriente Moſcoviæ eſt contermina, cum qua olim per- *Sueciæ vicini.*

perpetua illi bella intercedebant: ſed poſtquam in Finlandiæ terminis Narva aliaque munitiſſima caſtella illis ſunt oppoſita, reſque ipſa docuit Moſcovitas, Suecos peritia & exercitio rei militaris ipſis longe eſſe ſuperiores, nihil amplius metuendum eſt ab illa parte. Cum Polonis nihil olim controverſiæ Suecis fuit, niſi quod aliquoties Rege illorum titulum regni Sueciæ ſibi vindicante, tota natio litem eam ſuam faciebat. Sed poſtquam Carolus Guſtavus nimiam illorum ferociam, Livoniam & Boruſſiam ſibi vindicantium, miris modis contudit, veriſimile eſt, eos in poſterum pro bonis vicinis ſe eſſe geſturos. Quod ad Germaniam adtinet, magna jam olim Suecos inter & Germanos communicatio interceſſit, propter commercia cum urbibus (quas vocant) Hanſeaticis Sed ex quo tempore Sueci per pacificationem Weſtphalicam duas in Germania obtinuere provincias, eodem fruuntur jure cum reliquis Ordinibus Imperii Germanici, ejusque nunc membrum Rex Sueciæ exſiſtit, cui etiam propterea ratione propriæ utilitatis incumbit, videre ne qua in re pax Weſtphalica violetur. Aliquid ſimultatis inter Regem Sueciæ manet & Electorem Brandeburgicum, propter Pomeraniam anteriorem, quam Sueci poſſedere, cum alioqui vi pacti confraternitatis hereditariæ cum Ducibus Pomeraniæ initi ad Brandeburgicum devolvi debuiſſet. Sed hæc quoque controverſia ſopita videri debet, poſtquam Suecus Brandeburgicum reliquosque Ordines Proteſtantes præſentis metu ſervitutis liberavit, & præſertim quia Elector pro illa Pomeraniæ parte tanquam æquipollens accepit Epiſcopatus Halberſtadienſem, Mindenſem & Caminenſem, & Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, ditiones amplas juxta & fertiles. Inter Suecos & domum Principum Lunæbur-

næburgenſium maxime optanda eſt concordia, præſertim ex quo apparuit quantam ſibi invicem opem ferre poſſint contra Danum, Brandeburgicum & Epiſcopos Weſtphalicos. Poſtquam virtute Suecorum effectum eſt, ut mare veluti certus limes ipſos inter & Danos intercedat, ideoque ceſſent jam crebræ illæ turbæ, quibus antea ob nimiam vicinitatem utrumque regnum perpetuo concutiebatur, non videtur e re eſſe Suecorum, ut aliquam porro partem a Dania decerpere conentur; præſertim cum interſit omnium fere in Europa Statuum operam dare, ne alter duorum Regum Septentrionalium ſolus incubare poſſit freto maris Baltici. Societas Suecos inter & Francos ea de cauſa primum eſt inita, ut nimium excreſcens domus Auſtriacæ magnitudo deprimeretur: ſed jam mutata rerum facie nequaquam Sueco convenit, ut iis Francorum conſiliis manum præſtet, quæ vel pacem Weſtphalicam infringunt, aut Proteſtantium in Germania & Batavia ruinam moliuntur. Amicitia, quæ inter Suecos & Batavos intercedit, illo nititur fundamento, quod quemadmodum Sueci pati nequeunt ut Batavia penitus opprimatur, ita viciſſim Batavorum rationes flagitant, omni opera anniti, ne Rex Daniæ fretum maris Baltici ſolus occupet. Anglis nihil fere commune hactenus fuit cum partibus illis Borealibus. Hiſpaniam Sueci conſiderant veluti partem domus Auſtriacæ: præcipue tamen Belgium Hiſpanicum curæ iis eſſe debet, quatenus ab ejus conſervatione ſalus Bataviæ dependet. Luſitani quidem ſatis magno intervallo a Suecis ſunt ſeparati, ut vix inter illos mutuæ utilitatis reſpectus habeat locum: attamen propter commercia optandum eſt, ut mutua inter illos amicitia & concordia conſervetur.

R E R U M,

Quæ in hoc Opere narrantur,

I N D E X.

A.

ACademia magnum ad ſtabiliendam rem Pontificiam momentum habent. 591, & ſeqq.

Adolphus Naſſovicus Germanorum Imperator ejuſque res geſtæ. 391

Africa, inque ea Luſitanorum commercium. 113

Albanus Dux cum exercitu in Belgium tendit. 322
Concilium XII. hominum, vulgo *Concilium Conſanguinarium*, conſtituit. 323, 324. Multa cæde cruentum gerit imperium. *ibid.* & ſeqq.

Albertus I. Germanorum Imperator infelix gerit imperium. 391

— *Secundus* nulla re memorabilis. 394

Albertus Dux Megalopolitanus Rex Sueciæ creatus. 635

Alenconius adeptus eſt Belgii adminiſtrationem, qua tamen male fungitur. 329

Alexandri Magni res præclare geſtæ, & virtus bellica. 11. Præmatura mors, quam bella ſequuntur cruentiſſima. 12

Alexius Michaelowiez Moſcoviæ Dux, bellum Suecis infert, ſed haud proſpero ſucceſſu. 480

Alfonſus I. Hiſpaniæ Rex multa Mauris loca eripit. 34

— II. Regno pulſus. 35

— III. Mauros feliciter conficit. 36

— IV. ad imperium ineptus, fratri illud deferre cogitur. 37

— V. Magnas a Mauris clades patitur. 37

— VI. VII. VIII. & IX. eorumque geſta. 40, 41

— X. Aſtronomiæ cognitione celebris; Romanorum Imperator creatur, ſed a Pontifice proſcriptus, repudiare Imperatorium nomen cogitur. 43, 44

— XI. præclaram de Mauris vi-

victoriam reportat, ducentis Maurorum millibus, ex Hiſpanis vero XXV. tantum cæſis. 44, 45

Alfonſus devictis Mauris Portugalliæ Rex primus ſalutatur. 98

— II. & III. eorumque res geſtæ. 99

— IV. Rex, rebus in bello otioque præclare geſtis, inclytus. 100

— V. rei militaris peritia clarus, quo regnante illud monetæ genus, quod *Cruſades* vocant, cuſum. 103

— VI. fratri regnum cedit. 111

America a quonam, quove tempore, detecta. 50. Ejus incolæ. 83. Opes Americæ. 85. Eſt Hiſpaniæ ærarium. 86

Amundus I. Suecorum Rex gravem in Chriſtianos perſecutionem movet. 625

— II*dus* Religionem Chriſtianum fovet ac mirifice tuetur. 626

Anglo-Saxones in Britanniam vocantur. 119. Eorum Regna. 120

Anglia, quo Rege, quave occaſione, antiquato priori Britanniæ nomine, ſic appellata. 121

In Angliam irrumpunt Dani. *ibid.*

Angliæ ſubjicitur Hibernia. 132

Odii Anglos inter & Scotos origo. 136

Jus Anglorum in Galliæ Regnum. 139

E Gallia pelluntur Angli. 150, 151

Motus Carolo I. Rege in Anglia atque Scotia excitati. 184

Gentis Anglicæ indoles. 197. Eſt ſectarum ferax. 199

Luporum in Anglia defectus. 202

Anglicanæ Reipublicæ forma. 205. & *ſeqq.*

Angliæ vires. 207

Annates mercedis genus, quare Pontifici perſolvi debeat. 523

Arauſionenſis Princeps quare ab Hiſpano deſciverit. 316

Auriacus Princeps Guilielmus I. a ſceleratiſſimo parricida trucidatur. 330

Arnulphi Imperatoris res geſtæ. 377

Arragonia Regnum conditum. 36

Aſſyrii primam conſtituiſſe Monarchiam dicuntur. 4

Quibus conſervata fuerit mediis. *ibid.* Ejus interitus. 5

Attica Reipublicæ robur, vires, incolarumque mores. 7. Ejus interitus. 8

Avenio altera olim ſedes Pontificia. 546

Aurelius Hiſp. Rex turpiſſimam cum Mauris pacem init.

init. 34, 35

B.

Baſilius Moſcoviæ Dux, magnam a Tartaris patitur calamitatem. 479

— *Zuski* contra Pſeudo-Demetrium Suecorum auxilia implorare cogitur. 480

Belgii priſtinus ſtatus. 313

Provinciarum Belgii confœderatio. 314

Sub Carolo V. qualis harum Provinciarum ſtatus. 315

Belli Belgici quæ incentiva. 315-322

Inquiſitionem Hiſpanicam in Belgium introducere conatur Rex Philippus. 318

Albani Ducis in Belgio imperium cruentum. 322. Ludovici Requeſenſii adminiſtratio. 325. Belgio præficitur Johannes Auſtriacus. 326. Matthias Archidux Auſtriæ. 327. Dux Parmenſis. 328.

In Belgio obſequium renunciatur Philippo. 329

Induciæ Belgicæ. 336. Bellum Hiſpanicum in Belgio recrudeſcit. 339. Bellum Batavorum cum Portugallis. 341. cum Cromvello. 343. cum Anglis, & Gallis. 345, 346

Genium & indoles nationis Batavicæ. 348

TerræBatavicæ deſcriptio. 350

Vires & deliquium hujus Reipublicæ. 355

Forma regiminis. *ibid.*

Belgio quinam confines. 361

Bohemiæ motus, tempore Matthiæ Imperatoris. 401

Boleſlaus Chrobrius ab Imperatore Othone III. Poloniæ Rex dictus. 444

— *Secundus*, *Audax*, a Pontifice anathemate ictus, violentas ſibi intulit manus. 445

— *Tertius* plurima bella geſſit, quadragies ſepties juſto conflixit prælio. 446

— *Quartus* cum German. Imperatoribus bella geſſit ſatis feliciter, ſed magna a Boruſſis fuit adfectus clade. 447

— *Quintus* Regnum turbulentum, Tartarorumque incurſionibus infeſtum tenuit. 448

Borgia (Cæſar) Alexandri VI. Pontificis nothus. 548

Boris Gudonow Moſcoviæ Dux de imperio cum quodam pſeudo-Demetrio contendit. 479

Briela ab exſulibus Belgis occupata. 324

Britanniæ ſtatus antiquus. 117

A Romanis occupatur Britannia, quam ultro deſerunt. 118

Britannia quo Rege quave occaſione appellata Anglia. 121

Magnæ Britanniæ nomen quando, quave occaſione, introductum. 177

Ma-

Magnæ Britanniæ fertilitas. 202

C.

Ajetanus Cardinalis inclementius tractat Lutherum. 558, *& ſeqq.*
Canaria Inſulæ. 87
Canutus Angliæ Rex, ejusque geſta. 122
Canutus II. Daniæ Rex Angliam domat. 421. necatus tandem eſt, ſed a Monachis inter Divos relatus. *ibid.*
— IV. ſed VI*tus* primus in ſubactis Eſthonia & Livonia Chriſtianæ Religionis fundamenta poſuit. 422
Cardinalium collegium. 579
Cardinalis Patronus qualis, quemque in finem ceteris prælatus. 581, *& ſeqq.*
Carolus Martellus Major in Francia Domus, Principis Franciæ titulum adſciſcens, ſtirpis Carolingicæ exſtitit auctor. 215, 216
Carolus Magnus, primus Occidentis Imperator, ejusque res geſtæ. 217, 218, 376
A Pontifice Advocatus & Defenſor Eccleſiæ appellatur. 534
— *Craſſus* ejusque facta. 377
— *Quartus* conditor *Aurea Bulla.* 39
— *Quintus.* Sub ejus Imperio magnam rerum converſionem in Germania peperit Religio. 395. Maxima, & feliciter fere ſemper, hic Imperator geſſit bella. 396, *& ſeqq.*
Carolomanni, Regis Franciæ geſta. 317
Carolus I. Angl. Rex inteſtinis motibus agitatus; 178, 179. Ejus mores. 181, *& ſeqq.*
Belli eo regnante inteſtini exordium. 188
Parlamentum in Carolum inſurgit. 187
Rex victus, capitur; 190. damnatur; 191. Securi percutitur. 192
Carolus II. fugatur. 193. In Regnum revocatur. 196. Belgas perſequitur bello. 197
Carolus Guſtavus Sueciæ Rex Polonos fundit fugatque. 668
Res contra Danos ſtrenue feliciterque gerit. 668
Moritur. 669
Ejus ſucceſſor *Carolus* XI. fuit, cujus copiæ ab Electore Brandenburgico in Pomerania cæſæ. 669
Carthaginienſium Reſpublica florens vigensque. 14
Deletur a Romanis. 15
Caſimirus I. Poloniæ Rex cœnobio ſeſe mancipavit in Gallia; ſed precibus popularium victus hoc vitæ genus abdicavit. 445
— *Secundus* Boruſſos domuit. 447
— *Tertius*, idem & *Magnus* dictus,

dictus, Ruſſiam perdomuit. 449
— *Quartus* cum Cruciferis bella geſſit. 450
— *Joannes* a Coſaccis vehementer vexatus eſt. 462, *& ſeqq.*
Caſtilia Regni nomine quando primum inſignita. 38
Reges Caſtiliæ. 40, *& ſeqq.*
Catalaunorum defectio. 74, 291
Cenſura librorum apud Pontificios. 595, *& ſeqq.*
Chriſtianus I. Daniæ Rex, utrumque Regnum Daniæ juxta & Norwegiæ ad Oldenburgicam familiam transfert. 427
— *Secundus* Sueciæ quoque Rex creatus eſt, ſed ob crudelitatis flagitium non ſolum Suecia pulſus, verum & e Dania fugere coactus eſt. 428, 429
— *Tertius* Evangelicam Religionem in Dania & Norvegia invexit. 430
— *Quartus* Circuli *Inferioris Saxoniæ* Dux creatur, ſed ab Imperatore magna afficitur clade. 431
— *Quintus* Suecis bellum infert, mari ſemper ſuperior, ſed terra inferior, loca capta tandem reſtituit. 433, 434
Chriſtophorus I. Daniæ Rex ab Epiſcopis proſcriptus, veneno tandem ſub Euchariſtiæ ſpecie necatus eſt. 423
— *Secundus* ob tributorum magnitudinem regno pulſus eſt. 424
— *Bavarus* feliciter regnum adminiſtrat. 426
Chriſtophorus Bavariæ Dux trium Regnorum Septentrionalium Rex creatus. 640, *& ſeqq.*
Clerus in Papatu cur cœlibem agere vitam debeat. 582, *& ſeqq.*
Clodovæus primus Regum Francorum qui Chriſtiana ſacra ſuſcepit. 214
Colonia Agrippina Monachis abundat. 601
Columbus (Chriſtophorus) Americam detegit. 50
Concilium Sanguinarium ab Albano Duce in Belgio conſtitutum. 324, 325
Conclave Romanum quem in finem excogitatum. 577
Confeſſiones ſacræ apud Pontificios quam vim in eorum animis habeant. 586
Conradus, Franconiæ Dux, Germanorum Imperator, ejusque res geſtæ. 378
— *Secundus* maxima feliciter bella confecit motusque inteſtinos ſedavit. 381
— *Tertius* atrociſſima bella cum quibusdam Germaniæ Ducibus geſſit, quibus tamen feliciter fungitur. 385, 386

Conſtantini M. impotentia in reformando priſtino Eccleſiæ ſtatu. 508
Conſtantinopolitanum Imperium a quo excitatum. 29
Quando, & a quibus populis deletum. 30,31
Cracus Poloniæ Rex Urbem, a ſuo nomine Cracoviam vocatam, excitavit. 442
Cronvellius (Oliverius) Independentium in Anglia anteſignanus, factione Regia in Hibernia domita, Carolum II. Regno expellit. 193. Fit Protector 194. Batavis bellum infert. 195
— Richardus, Oliverii filius, oneri impar, gradu dejicitur. 196

D.

D*ania* Regnum Europæ totius antiquiſſimum eſt. 419
Nationis Danicæ indoles. 434, 435
Regni qualitas & proventus. 436
Quibus Dania gaudeat viciniis. 437
Defectio Batavorum. 62, 63, *& ſeqq.*
— Catalaunorum. 74
— Luſitanorum. 75
Denarius D. Petri. 120
Dionyſius Portugalliæ Rex, juſtitiæ vindex. 99
Dogmata Pontificia Statui accommodata ſunt:
Traditiones. 586
Diſtinctio peccati venialis & mortalis. ibid.
Caſus reſervati. ibid.
Confeſſiones ſacræ. ibid.
Remiſſiones peccatorum. ibid. & 587
Bona opera. ibid.
— *Supererogationis.* 588
Sacramentorum multiplicatio. ibid.
Miſſa. ibid. & 589
Extrema Unctio. 590
Legata ad pias cauſſas. ibid.
Cultus Reliquiarum. ibid.
Invocatio Sanctorum. 591

E.

E*ccleſiæ* Chriſtianæ exordium. 500
Primitivæ perſecutiones. 502
Primævæ conſtitutiones, 505. & exinde enatæ opiniones. 506
Errores quinam & quando, quave de cauſſa in Eccleſiam introducti. 524. *& ſeqq.*
Abſoluta Eccleſiæ libertas. 531
Edmundus Angl. Rex cum Danis Regnum partitur. 122
Eduardus I. (Confeſſor) Angliæ Rex, primus facultatem mali illius, *Kings evill* vocati, habuit ſanandi. 123
— *Secundus* Walliam cum Anglia conjungit. 135
— *Tertius* Jus ſibi in Galliæ Regnum deberi adſeruit. 139

 Quar-

— *Quartus* Regnum labore partum, majori virtute conſervavit. 152
— *Quintus* a ſceleratiſſimo Gluceſtriæ Duce, Regnum occupare annitente, interficitur. 155, & *ſeqq.*
— *Sextus* Reformatam Religionem, publice in Anglia introducit, prohibita Pontificia. 165, & *ſeqq.*
Eduardus Portugalliæ Rex, inſignis virtute Princeps. 103
Egbertus, antiquato Britanniæ nomine, primus Angliæ Rex appellatur. 121
Egillus Sueciæ Rex ejusque res geſtæ. 624
Egmontanus Comes capite plexus. 323
Eliſabetha Angliæ Regina, ſeſe, Regnumque difficillimis temporibus ad extremum usque diem prudentiſſime, geſſit & conſervavit. 168, 169. Eliſabethæ vita cælebs. 174
Emmanuel Portugalliæ Rex, Mauros Judæosque Luſitania expellit. 105. Eo regnante navigationis in Indiam Orientalem exordium. 106
Epiſcopalis audientia quid ſit, & quando hæc conſtitutio in Eccleſia nata. 511
Eraſmi ſilentium favet cauſſæ Lutheri. 555
Ericus, Balbus, Sueciæ Rex, ejusque cum Swerchero, deinde cum Tolecungerorum familia, contentiones. 626, 627
Ericus Pomeraniæ Dux Rex creatur trium Regnorum Septentrionalium. 637, & *ſeqq.*
Ericus Suecorum Rex, Guſtavi filius, nuptias ambit Eliſabethæ Angliæ Reginæ, deinde Mariæ Scotiæ, tandem & Haſſiæ Principis, ſed levitatis ab eis accuſatus, gregarii militis filiam ducit uxorem. 650, & *ſeqq.* Ob crudelitatem ſubditorum animos a ſe abalienavit, tandem eſt a fratre occiſus. 652, & *ſeqq.*
Ericus I. Daniæ Rex primus, qui Chriſtianam fidem amplexus eſt. 420
— *Quintus* a fratre trucidatus. 423
— *Sextus* miſere ab Epiſcopis vexatus, tandem a Regni Proceribus interemtus eſt. 424
— *Septimus* magna cum Norvegiæ Rege certamina confecit. *ibid.*
— *Pomeranus* tria Septemtrionalia Regna ſolus potitus eſt. 426
Ethelredus Anglorum Rex, ejusque res geſtæ. 121, 122
Etruria Magnus Ducatus. 94
Excommunicatio in Eccleſiam quando introducta. 512

Excommunicatio apud Pontificios quam vim habeat. 596, *& ſeqq.*
Expeditiones in Terram Sanctam quando, & quem in finem ſuſceptæ. 223, 224

F.

Favila Hiſpaniæ Regis geſta. 34
Fairfaxius (Thomas.) 190
Ferdinandus I. Hiſp. Rex, ejusque geſta. 39
— *Sanctus*, res Maurorum vehementer affligit, pluribus iisdem inſulis celeberrimisque urbibus ereptis. 42, 43
— *Quartus*. Gibraltarem urbem capit 44
— *Quintus Catholicus*. Eo regnante Hiſpania ad tantam potentiam evecta fuit, ut ex illo tempore reliquæ Europæ vel terrorem incuteret, vel invidiam moveret. 48, 49
Ferdinandus I. Germanorum Imperator, domus Auſtriacæ opes acceſſione Regnorum Hungariæ & Bohemiæ, auget. 399
— *Secundus*. Ei Bohemi obſequium renunciant, Fridericumque Palatinum Bohemiæ Regem creant, ſed infelici ſucceſſu. 401, *& ſeqq.*
— *Tertius*, nulla re memorabilis. 405
Finni quando, quave occaſione Religionem Chriſtianam ſuſceperint. 625
Francia unde dicta. 212. Franciæ noxia diviſio. 214. vide quæ diximus in *Gallia*.
Franciſcus I. Francorum Rex, a Carolo V. Imperatore victus, captusque. 255, *& ſeqq.*
— *Secundus* Regnum tenet bellis civilibus deforme. 265, *& ſeqq.*
Fridericus I. *Barbaroſſa* maxima feliciter conficit bella: dein in Cilicia aquis ſubmerſus eſt. 386
— *Secundus* Hieroſolymam Saracenis eripit. 388
— *Tertius*: ab eo Imperatore Imperium penes familiam Auſtriacam perpetuum manſit. Majora hic patientiæ quam fortitudinis ſpecimina edidit. 394, 395
Fridericus I. Daniæ Rex Nobilitatem magnis auxit commodis. 430
— *Secundus* cum Erico Suecorum Rege bellum gerit, ſed infeliciter. 431
— *Tertius* bellum Carolo Guſtavo Suecorum Regi infert, ſed infelici ſucceſſu. 432
Froila I. Hiſp. Regis geſta. 34
Froila II. Rex crudelis, a

quo populus ſeceſſionem fecit, aliis duobus, qui pacis belliqueque negotia curarent; Ducibus adſcitis. 36
Frotho Daniæ Rex longe potentiſſimus. 420

G.

GAllia ſtatus antiquus. 211
Gallicæ linguæ origo. 212
Bellorum civilium in Gallia origo. 266
Gallicanæ gentis indoles. 301
Regni Gallici ſitus & proventus. 303
Regiminis Gallici forma. 307
Vires Regni Gallici reſpectu Angliæ; 308. reſpectu Hiſpaniæ; Italiæ; Hollandiæ; 310. reſpectu Helvetiæ; Germaniæ & aliorum. 311. & ſeqq.
Garſias Hiſp. Rex patri regnum extorquet. 36
Gedanum quando conditum. 422
Genuenſium Reſpublica. 94
Germania ſtatus antiquiſſimus. 376
Interregnum magnum in Germania. 389
Motuum per Germaniam & belli tricennalis origo. 400, & ſeqq.
Edictum, bona Eccleſiaſtica concernens. 403
Nationis Germanicæ indoles. 407
Quænam ſit regionis & terræ natura. ibid. & 408
Forma regiminis. 408. 409
Vires Germaniæ. 410
Quosnam habeat Germania vicinos. 415, & ſeqq.
Geuſiorum nomen unde? 321
Gibellinorum & *Guelphorum* in Italia factiones. 388
Græcia quasnam olim Reſpublicas continuit. 7
Granada expugnatur, qua expugnatione Maurorum in Hiſpania regnum deletur. 49
Granvellanus Cardinalis quare regimine in Belgio ſubmotus. 319
Guilielmus I. Roberti Normanni filius Angliam occupat. 124, 125
Guilielmus II. inteſtinis tumultibus jactatus. 127, 128
Guilielmus Hollandus, Germanorum Imperator, ejusque geſta. 388
Guiſius (Henricus) trucidatur. 278
Guſtavus Waſæ filius, primo regni Suecici Gubernator, deinde Rex creatus. 640, 641
Abolet religionem Romanam in Suecia. 648
Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ ejusque contra Danos, Polonos, & Moſcovitas, expeditiones. 659
Ejus matrimonium. 660
Polonos ex Lithuania expellit, Rigamque urbem iis eripit.

eripit. *ibid.*
Expeditiones ejus Germanicæ. 661, *& ſeqq.*
In prælio prope Lutſam cadit. 166

H.

HAcquinus Suecorum Rex novem filios idolo Upſalienſi immolat. 621, 622
Halſtanus Rex Sueciæ, ejusque res geſtæ. 626
Helvetia ortus & progreſſus. 364, *& ſeqq.*
Prima Helvetiorum confœderatio. 366
Bellum Helvetios inter & Auſtriacos. *ibid. &* 367
– cum Carolo Burgundiæ Duce. 368
Ulteriora Helvetiorum cum adverſariis bella. 396
Bellum cum Gallis. 370
Terræ natura. 372
Helvetiorum ingenium atque indoles. *ibid. &* 373
In quonam Helvetia emineat atque itidem deficiat. *ibid.*
Quos habeat vicinos. 374, *& ſeqq.*
Henricus I. Hiſp. Rex, cujus pueritia magnos in regno tumultus excitat. 42
– II. & hic multis incommodis conflictatus, pacem tandem optimis conditionibus ſibi peperit. 45, 46
– III. hujus Imperium nulla fere re, niſi vectigalibus regni, quæ ſibi Proceres vindicarant, recuperatis, memorandum. 46
– IV. ad liberos procreandos ineptus, Comitem Ledesmæ cum Regina cubare juſſit. 47. Quæ res horrendas in regno procellas excitavit. 48
Henricus I. Angliæ Rex, abſente fratre majori Regnum occupat. 128
— II. inter alia præclara facinora, caſtella, quæ deceſſor ejus Stephanus, Nobilibus Epiſcopisque excitare permiſerat, dirui juſſit. 130, 131
— III. hujus Regnum motuum inteſtinorum plenum fuit. 134, 135
— IV. ejusque res geſtæ. 144, 145
— V. Succeſſor Regni Franciæ declaratus. 241
— VI. a Majorum ſuorum virtute diſciſcens, plures per ignaviam provincias amittit; 147. interficitur. 154
— VII. factiones *roſæ rubræ* atque *albæ* conciliat. 156, 157
— VIII. 159. Ejus divortium. 161. Scribit adverſus Lutherum. 163. Ejus matrimonia. 164
Henricus I. Galliæ Rex; a quo Burgundica ſtirps Regio condecorata ſanguine eſt. 223
II. primo

— II. primo Poloniæ, dein factus Galliæ Rex, quo regnante (*Liga Sancta*) exorta eſt. 274. In ludicro certamine equeſtri interemtus eſt. 265
— III. a cœnobita Dominicano cultro occiſus eſt. 278
— IV. Religionem Pontificiam amplectitur; nefarii inſidiatoris ictum cultri inclinatione corporis evitans, 385. idem tamen poſtea telum expertus, Pariſiis in platea confoſſus eſt. 286
Henrici I. *Aucipis*, Germanorum Imperatoris res geſtæ. 378
— *Secundus* in numerum Sanctorum cur relatus. 381
— *Tertius* & *Quartus* Germ. Imperatores quid egerint. 381, 382
— *Quintus* maximas cum Pontificibus Romanis contentiones habuit, quibus Majeſtas Imperatoria vehementer imminuta fuit. 384, 385
— *Sextus* expeditionem in Palæſtinam meditans, in ipſo molimine moritur. 386
— *Septimus*, Comes Lutzelburgicus, ſacro cruſtulo veneno infecto necatus eſt a Monacho Florentino. 391, 392
Henricus Comes Portugalliæ, ejusque res geſtæ. 97
Heraldus I. & II. Angliæ Reges, eorumque res geſtæ. 122, 123, *& ſeqq.*
Hibernia Angliæ ſubjicitur. 132
Hibernorum indoles. 201
Hiſpania vetus. 31. Subigitur a Weſtro-Gothis. 32
Saraceni devincunt Gothos in Hiſpania. 34
Reges vindices nanciſcitur Hiſpania plures. 34, *& ſeqq.*
Pernicioſa Hiſpaniæ diviſio. 39
Bellorum Gallos inter & Hiſpanos origo. 50
Bellum Hiſpanos inter & Anglos. 64
Claſſis Hiſpanorum *Invincibilis*, partim a Britannis Batavisque, partim procellis tempeſtatibusque in Oceano Germanico deletur. 65
Hiſpani occupant Luſitaniam. 68
Hiſpanorum indoles. 79, *& ſeqq.*
Hiſpaniæ amplitudo ac fertilitas. 81. Vires ac morbi. 89 Quomodo Hiſpaniæ cum finitimis conveniat, ſpeciatim cum Barbaris. 91, *& ſeqq.*
Homo. Antiquiſſimus hominum poſt lapſum ſtatus. 1
Quæ cauſſa potiſſimum fuerit, cur in ſocietates coiverint homines. 2
Hornanus Comes capite plexus. 323
Hugo Capetus ſtirpis *Capetanæ* hodienum in Gallia regnantis,

gnantis, auctor. 221

Hugenotæ in Gallia, primumque contra eos bellum. 270 Contra eosdem bellum ſecundum. 271. Bellum tertium. 272. Bellum quartum, quintum. 273. Bellum contra Hugenotas ſextum. 275. Septimum. 276. Octavum. 277

I.

Jacobus VI. Rex Scotorum, ſed & *Primus* Anglorum, duo hæc regna conjunxit. 175 Eo regnante horrenda illa Pontificiorum hominum opera conſtituta proditio pulveraria accidit. 175, 176

Jagello vide *Uladiſlaus* IV.

Iconoclaſta in Belgio. 322

Jeſuitæ quare Anglia expulſi. 175 E Francia relegati, paulo vero poſt denuo recepti. 283 Magnum momentum contulerunt ad rem Pontificiam ſtabiliendam. 584 Rei Scholaſticæ procuratio cur a Jeſuitis ſuſcepta. 593

Independentes in Anglia. 190

India Orientalis, inque eam navigationis exordium. 105, 106

Indulgentiarum nundinationem impugnat Lutherus. 551

Ingellus Rex Sueciæ, ejusque res memorabiles. 624

Ingo I. Suecorum Rex in bello Ruſſico interficitur. 625

– II. Pietatis laude claruit. 626, 627

Inquiſitionis Hiſpanicæ origo. 49 Quale judicium ſit. 698, 597

Interregnum in Germania. 389

Interregnum in Portugallia. 101

Joannes I. Hiſp. Rex, multis conflictatus incommodis, ex equo delapſus, moritur. 46

Joannes II. materna educatione effœminatus, neglecta imperii cura, deſidiæ voluptatibusque deditus fuit. 46, 47

Joannes Nothus Portugalliæ Rex, Caſtellanos Luſitaniæ fines infeſto agmine ingreſſos, acie victos profligavit. 102

– II. viam ad navigationem Indiæ Orientalis patefecit. 104

– III. Jeſuitas in Indiam mittit. 107

– IV. (Dux Bragantiæ) jugum Cæſtilianorum excutit, Regnumque Portugalliæ priſtinæ reſtituit libertati. 109, 110

Joannes Angl. Rex inteſtinis vexatus motibus. 133

Joannes Sobieſki Polonorum Rex creatur. 466

Joannes Daniæ juxta & Sueciæ Rex, Suecico Regno a Stenone Stura pulſus eſt. 428

Joannes qua occaſione Rex Sueciæ creatus. 643, 644

Joannes, (Guſtavi filius) primo a fratre carceri incluſus, deinde liberatus & Rex Sueciæ factus. 650—653
Hic ſuaſu uxoris ſuæ Religionem Pontificiam in Suecia inſtaurare nitebatur, unde ingentes turbæ ſunt excitatæ. 654, & *ſeqq.*
Joannes Moſcoviæ Dux jugum Tartarorum, excuſſit. 478
– *Baſilowicz* crudeliſſimus Tyrannus. 479
Joanna puella Aurelianenſis, cujus opera Aurelia obſidione liberata, & Carolus VII. Francorum Rex coronatus, capta ab Anglis, crematur. 244
Juliacenſes contentiones. 337

K.

Etelmundſon (*Matthæus*) fugato Rege Sueciæ ipſe adminiſtrationem Regni ſuſcipit. 632, & *ſeqq.*

L.

Aici in Papatu quinam. 582
Lechus I. Polonici Regni conditor. 441
– *Secundus* fratricida. 442
Legata ad pias cauſſas Pontificiis Sacerdotibus maximum commodum præſtant. 590
Leſcus I. aurifaber Poloniæ Rex creatur. 442
– *Secundus* in bello contra Carolum M. geſto cecidit. 443
– *Tertius* pacem, datis donis, cum Carolo M. habuit. *ibid.*
– *Quartus* placidiſſimi ingenii Princeps. 443
– *Quintus* æmulum regni habuit, quo mortuo Regnum multis turbis infeſtum habuit. 447
– *Sextus* Tartarorum incurſionibus vexatus. 448
Leſlaus (Alexander) ad factionem Anglos contra Regem Carolum I. incitat. 185
Lex Erici in Suecia qualis. 625
Leyceſtriæ Comes Belgii adminiſtratione male fungitur. 331
Liga Sancta. 65, & 274
– *Catholica.* 401
Ludovicus Pius Francorum Rex & Imperator a filiis exagitatus, & ab Epiſcopis crudeliter habitus. 218
– *Balbus*, & *Ludovicus* III. eorumque Regum res geſtæ. 219, 220
– *Transmarinus* regnum inteſtinis infeſtum motibus tenuit. 220
– *Ignavus*, in quo ſtirps Carolingica extincta eſt. 221
– *Craſſus*, & VII*mus* eorumque res geſtæ. 224, 225
– VIII. & IX. 245, 246
– *Ludovicus* X. 240. XI*mus* primus Francorum Regum qui ſucceſſoribus ſuis ad abſolutum nulliſque legibus circumſcriptum imperium viam

am munivit. 246, 247
— XII. Ducatum Mediolanenſem invadit. 251
— XIII. maxima cum Auſtriacis Hiſpaniſque bella geſſit. 287, & *ſeqq.*
— XIV. hujus imperii auſpicia motibus inteſtinis infauſta. 292
Ludovici, *Infantis*, Germanorum Imperatoris res geſtæ. 378
Ludovici Infantis, Germanorum Imperatoris res geſtæ. 378
— *Bavarus*, Fridericum Auſtrium, Imperii æmulum acie vincit capitque. 392
Ludovicus Poloniæ idem & Hungariæ Rex, Polonorum quare ab ſe animos abalienaverit. 449
Luſitanorum indoles. 112
Soli Luſitaniæ ratio. *ibid.* & 113
Luſitani Japonia pulſi. 115
Lutherus religionem Pontificiam impugnat. 395, 396, 549
Ejus doctrina cur ſufflaminata. 559

M.

Macedonia quale ante Philippum regnum. 9
Macedonum regna a Romanis ſubiguntur. 13
Magnus I. Sueciæ Rex turbulentiſſimum gerit imperium, conatibus ejus obnitente ſemper potentiſſima Tolecungerorum familia. 628
— II. Patri ſuccedens, tranquilla tamen frui regni poſſeſſione nequivit. 629, & *ſeqq.*
Majores Domus in Francia. 215
Malecontentorum factio in Belgio. 328
Margaretha trium Arctoum Regnorum poſſeſſionem conjunctim obtinet. 636, & *ſeqq.*
Maria Angliæ Regina Philippo Hiſp. Regi nubit, crudeliter ſæviens in Reformatos. 166 & *ſeqq.*
— Scota contra Eliſabetham conſpirat; 169. Sed conſpiratione detecta; 170. Maria capitis damnatur. 171
Matthias Germanorum Imperator, maxima cum Proteſtantibus Principibus bella geſſit. 399, 400
Mauritius Princeps dextro Marte in Belgio pugnat. 333
Mauregatus regno expellit Alfonſum II. 35
Maximilianus I. Imperator, imperio domus Auſtriacæ univerſum Belgium adjecit. 395
— *Secundus*; quo imperante otium in Germania ab armis fuit. 399
Mazarinus Cardinalis, motuum in Gallia inteſtinorum anſam præ-

præbuit. 292, 293
Mediolanenſis Ducatus fertilitas. 88
Carolus V. Imperator eum filio ſuo Philippo donat. 288
Mendicantes Fratres. 587
Merovæus Francorum Rex, ſtirpis *Merovingicæ* auctor, ejuſque res geſtæ. 213
Michael Fæderowicz Moſcoviæ Dux, rem domeſticam inteſtinis turbis prolapſam egregie compoſuit. 480
Michael Wiesnowiz kus Poloniæ Rex creatur. 465
Miecislaus I. Poloniæ Rex, propter ſterilitatem uxorum Ethnicarum Chriſtiana ſacra ſuſcepit. 444
– *Secundus* multas provincias amiſit. 444, 445
– *Tertius*, ei Regnum male adminiſtratum ademptum eſt. 447
Miſſa apud Pontificios maximam ipſis præſtat utilitatem. 588
Moſcovia ſtatus antiquus. 478
Nationis Ruſſicæ indoles. 481
Terræ qualitas. 482
Forma regiminis. 483
Ingentes Regni vires. *ibid.* & 484.
Quinam eis vicini. 484

N.

N*Avarra* Regnum conditum. 36
Navarræ Regnum Ferdinandus occupat. 53
Navarræ Regnum ab Hiſpanis occupatum. 254
Neapolitanum Regnum 87. In Neapolitanum Regnum ſuſceptæ a Carolo VIII. Francorum Rege expeditiones. 248, 249. Neapolis a Francis denuo capta, ſed & amiſſa. 251, 252.
Nuntii Pontificis quibus ritibus Galliam ingredi tenentur, & Regis in Eccleſiam poteſtatem ſibi vindicamus, auctoritas. 602, 603
Nuptiæ Pariſienſes. 272

O.

O*Dinus* Suecorum Rex, a Pompejo Aſia pulſus, Borealibus Regnis devictis, Sueciam ſedem elegit ſuam. 620
Olaus Daniæ Rex, idem & Norvegiæ declaratus, pro Suecici quoque Regni herede ſe geſſit. 425
Olaus Petri in linquam Suecicam Novum Teſtamentum transfert, eſtque primus ex Suecico Clero qui uxorem duxit. 647
Ordonius I. Hiſp. Rex Mauros devicit. 36
— II. Strenue itidem res contra Mauros gerit. 36
— III. Rex ſtrenuus. 37
Oſtenda expugnata. 335
Otho I. Imperator Germ. ejuſque

que res geſtæ. 379
— *Secundus*, ejuſque facta. 380
— *Tertius* miſere necatus veneno eſt. 381
— *Quartus* a Pontifice anathematis fulmine ictus, Imperium depoſuit. 387

P.

Pallium, inſigne Epiſcopalis dignitatis, quando Germanorum Epiſcopi primum, & qua de cauſa, a Pontificibus Romanis emere coacti fuerint. 523
Pallium hoc quare Gallici Epiſcopi emere recuſarint. *ib.*
Papatus politice examinatus. 489
Origo Papatus & cauſſa promovens. 513
Impulſivæ ad Papatum ſtabiliendum cauſſæ. 520. & *ſeqq.*
Papatus a Luthero concutitur. 559-562.
Senſim rurſus emergit. 563.
Peculiares Papatus proprietates. 569
Cur de neceſſitate fuerit Papatum in Monarchiam evehi; 574. & præcipue electione conſtantem. 575
Dogmata Pontificia Statui accommodata 584, & *ſeqq.*
Ad ſtabiliendum Papatum Academiæ magnum habuere momentum. 591, & *ſeqq.*
Firmiſſima Papatus columna. 603, & *ſeqq.*
Pariſienſes nuptiæ. 272
Parlamenti Anglicani origo. 129
Patrimonium Eccleſiæ in miſerrimo quando hæſerit ſtatu. 547. & quo pacto ex illo evaſerit. *ibid.* & *ſeqq.*
Paulus III. Pontifex Romanus, Gallum, ut increſcenti Caroli V. potentiæ ſeſe objiceret, neque Proteſtantes funditus interire pateretur, (etiam ſi Turcæ opem implorare neceſſe foret,) incitat. 557, & *ſeqq.*
Pax Cameracenſis. 56, 259
— Creſpiacenſis. 59, 262
— Paſſavienſis. 60
— Vervinenſis. 66, 284
— Monaſterienſis. 72, 292
— Pyrenaica. 77, 296
— cum Luſitanis facta. 77
— Aquiſgranenſis. 78, 298
— Chieraſcenſis. 289
— Neomagenſis. 301
Paulo IV. Pontifice regnante, quot Parochias, Cœnobia & Monaſteria hic in poteſtate ſua habuerit. 584
Peccatorum remiſſio, dogma in Romanenſium Eccleſia vigens, ad rationes Clericorum accommodatum eſt. 586
Pelagii Hiſpaniæ Regis geſta. 34
Perſici Imperii auctor Cyrus, & quibus adminiculis id con-

ſervarit. 5. Irritæ fuere machinationes Perſiæ Regum, limites Imperii propagare conantium. 6
Perſici Imperii interitus. *ibid.*
Perſæ Ruſſis vicini, clades tamen illis cur nullas inferre poſſint. 484
Petrus Crudelis Hiſpan. Rex, multorum ſanguine cruentatum geſſitimperium, violentas tandem ſibi infert manus. 45
Petrus Heynius Claſſe Hiſpanica, quæ argentum vehebat, potitur. 339, 340
Pharamundus Francorum Rex ejuſque res geſtæ 213
Philippi Macedonum Regis virtus ac prudentia. 9. Ipſe phalanges primus invenit. *ibid.* tandem contrucidatus eſt. 11
Philippus Belgicus, ejuſque res geſtæ. 52, 53
Philippus II. Hoc Rege inſolitum Monarchiæ Hiſpanicæ incrementum diminui cœpit. 62. Impotentem hujus dominationem deteſtantur Belgæ, in libertatem ſeſe aſſerentes. 62, 63, & *ſeqq.*
Philippus III. Graviſſimum cum Belgis bellum gerit. 69. Induciæ tamen in decennium cum iiſdem factæ. 70
Philippus IV. Belgas liberam gentem, & in quam ſibi nihil juris eſſet, pronunciat. 71, 72
Philippus I. Francorum Rex. 223.
Philippus Pulcer, Gallorum Rex a Pontifice Romano male habitus, ſed Pontificem ea de cauſa magna afficit clade. 542
Philippinæ Inſulæ. 88
Piaſtus ex ruſtico Cruſvicenſi Poloniæ Rex factus eſt. 443
Plebs Romana olim quare, & a quo, belli oneribus exemta fuerit. 17
Plebs Pontificia, cur tam tenaciter fidem ſuam, cæcam licet, tueatur, rationes dantur. 597
Pleſcoviam Moſcovitæ Polonis adimunt. 452
Pipinus I. Major Domus in Francia. 215
Pipinus II. Major Domus, Childericum, Merovingicæ ſtirpis Regem ultimum, Regno exuit, Regemque ſe Franciæ ſalutari juſſit. 216
Polonici Regni ortus. 441
Moderatores hujus Regni primi XII. Waywodæ. 442
Polonicæ nationis mores & indoles. 466
Terræ ubertas. 467
Regni Polonici vires. 468
Forma regiminis. 469
Polonis quinam ſint vicini. 472

Pon-

Pontifices, cur ſedem ſuam Romæ figere voluerint. 517
Excutiunt jugum Cæſarei dominatus. 535, & *ſeqq.*
Labantem Pontificum auctoritatem Gallus ſuſtentat. 532, & *ſeqq.*
Auctoritas Pontificia impugnatur. 541, & *ſeqq.*
Plures ſimul creati Pontifices, alter Romæ, alter Avenioni, ſedem figunt. 543, & *ſeqq.*
Super quoſcunque ſe Pontifices efferunt Principes. 538, & *ſeqq.*
Pontificiæ ſedis tranſlatio Avenionem. 546
Status Pontificis politicus. 566
Opes Pontificum. 567
Cauſſa, cur Pontifices cælibem vitam agant. 576
Pontificis legendi requiſitæ qualitates. 577, & *ſeqq.*
Pontifices propinquos ex reditibus Eccleſiaſticis ditare conſueverunt. 580, & *ſeqq.*
Rationes quibus permota plebs in fide Pontificis perſeverat. 597, & *ſeqq.*
Quinam Status utilitatem ex dominatione Pontificia capiant. 599, & *ſeqq.*
Quo animi affectu Pontifices in Proteſtantes ferantur. 605, & *ſeqq.*
Inter Pontificem & Proteſtantes num componendarum controverſiarum ſit ſpes reliqua. 607, & *ſeqq.*
Quæſtio, an Pontifex cum ſuis ſectatoribus vi ſubigere Proteſtantes poſſint, deciſa. 609, & *ſeqq.*
Popielus I. Poloniæ Rex, nulla fere re memorabilis, a
— *Secundo* excipitur, filio improbo, qui patruos ſuos necavit, ex quorum cadaveribus mures nati, qui hunc devorarunt. 443
Portugalliæ Regni origo. 97
Interregnum in Portugallia. 101
Portugallia potiuntur Caſtiliani. 108. Denuo expelluntur. 109, 110
Portugalliæ vires. 115, & *ſeqq.*
Praga urbs Bohemiæ, in qua contra Imperatorem Matthiam, tribus ejus Legatis e feneſtris caſtelli præcipites datis, Bohemi conſpirarunt. 401
Prælium ad Azincurtum. 140
— ad Abbatis villam. 232
— ad Pictavium. 233
— ad Agincurtium. 240
— ad Guinegaſtum. 254
— ad Ticinum, ubi Franciſcus I. Gallorum Rex captus. 258, & *ſeqq.*
— ad Fanum Quintini. 264
— ad Neoportum. 335
— ad Moregartum. 367
— ad Sempachum. 368

Pragmatica Sanctio. 561
Premiſlaus Poloniæ Rex titulum Regium per ducentos annos intermiſſum, recepit. 448
Proditio pulveraria Londinenſis. 176
Purgatorium Pontificiis Sacerdotibus maximum præſtat commodum. 590
Puritani in Anglia. 180

R.

R*Agwaldus Knaphofdus* ob inſigne corporis robur ab Oſtrogothis Rex electus. 625
Ramirus I. Hiſp. Rex libertatem ſui regni glorioſe contra Mauros defendit. 35
Ramirus II. rebus contra Mauros ſtrenue geſtis inclytus. 37
Ramirus III. a Majorum virtute deſciſcit. 37
Referendarii apud Pontificios quinam ſint. 590
Religio Gentilis cæca. 490
– Judaicæ qualitas & ſtatus, 492, *& ſeqq.*
– Chriſtiana omnibus hominibus ſubſervit. 492, *& ſeqq.*
– Exterior Chriſtianæ Religionis directio. 495
– Chriſtianæ Religionis exordium & progreſſus. 500, *& ſeqq.*
Reliquiarum cultus quare apud Pontificios introductus. 590
Remonſtrantium inteſtinæ in Belgio diſcordiæ. 337
Reſidentiam Epiſcoporum, Gallici juxta & Hiſpanici Epiſcopi in Concilio Tridentino decernunt, quod juris ſit divini; quidque exinde ſit ſecutum. 230
Reſpublicæ quo tempore primæ ſint exortæ. 3
Imperfectæ ac perexiguæ fuerant initio. *ibid.*
Requeſenſius in Belgii adminiſtratione Albano ſurrogatus. 325
Richardus I. Angl. Rex, expeditionem in Terram Sanctam, ſed irrito ſucceſſu, ſuſcipit. 133
Richardus II. domeſticis vexatus turbis. 142, 143
Richelius Cardinalis, primarius Regni Franciæ conſtitutus miniſter. 288
Richelius Patriarchæ conſtituendi in Gallia capit conſilium. 602
Riga urbs Livoniæ, ab Alexio Michaelowitzio, Magno Ruſſiæ Duce, obſidione cingitur, quam tamen, magna accepta clade, denuo ſolvere cogitur. 480
Rhætii, Reformatorum diſciplinæ addicti, cur tamen Pontifex Romanus, orta ipſos inter & Hiſpanos contentione, cur eorum, relictis Hiſpanis, tutatus fuerit cauſſam. 605

Rhino-

Rhinoberga ab Hollandis capitur. 340

Roma antiqua, urbs bellicoſa. 15. Cur, quave occaſione, plurimis atque bellicoſiſſimis civibus completa fuerit. 16. Notantur adminicula quæ ad rem militarem Romanorum amplificandam multum momenti habuerunt. 17, 18, 19

Romanorum ſacra. 19, 20

Nova, Regibus expulſis, imperii forma. 21, 22

Cauſſæ, cur Romanorum imperium inteſtinis primum turbis malisque laceratum; 23. dein penitus interierit 24

Romanus populus in duas factiones ſcinditur. 26, 27

Reſpublica Romana ad ſummum magnitudinis culmen evecta, in Monarchiam, ſed inſtabilem tamen, abit. 28, 29

Invadunt Romanum Imperium Barbari. 29, 30

Capitur a Caroli V. Ducibus Roma. 55

Romskot Scotkonung tributum quare Pontifici conceſſum. 624

Rudolphus I. *Habſpurgicus*, Germ. Imperator, Auſtriacæ Domus conditor. 390

— *Secundus*; quo regnante quies ab armis in Germania fuit. 399

Rupella expugnata. 288

Rupertus Palatinus Germ. Imperator fruſtraneam in Italiam expeditionem ſuſcipit. 394

Ruremunda a Batavis capitur. 340

Ruſſia vide *Moſcovia*.

S.

Sabaudia Ducatus. 94

Sacra olim Romani unde acceperint. 19

Accommodata fuerunt ad rationes Reipublicæ. 20

Sacramentorum numerum cur Pontifices auxerint. 588

Sacellanus apud Pontificios quis ſit. 581

Sacellanus, Pontifice ſacra Synaxi utente, ipſe prius panem conſecratum vinumque guſtare tenetur, eo quod Pontifices a veneno ſibi metuant. *ibid.* & 182

Sacerdotes Ruſſici inficeti ſunt, & omnis eruditionis expertes. 481

Saluzzenſis Marchionatus accedit Franciæ. 262, 263

Sanctius I. Hiſpan. Rex regno pulſus. 37

— II. Major, magna calamitate domeſtica afflictus. 38

— III. ejusque res geſtæ. 40

— IV. duobus præliis Navarræos ſuperat. 41

— V. ejusque geſta. 44

Sanctius I. Portugalliæ Rex

Selvam, Maurorum urbem, expugnat. 99
— II. ad imperium ineptus. *ibid.*
Sanctorum Invocatio apud Pontificios quamnam eis utilitatem præſtet. 590
Santis (*Edwinus*) Eques Anglicanus, edito libello, quo Pontificiorum miracula ſupra modum extollit, clarus. 596
Saraceni expellunt Cruciferos ex Syria. 447
Sardinia Inſula. 87
Saxonia Dux favet cauſſæ Lutheri. 553, *& ſeqq.*
Sacerdotes cur olim Romæ ex prima Civitatis nobilitate fuerint lecti. 21
Schismata, ſic Cardinalium de novo Pontifice creando diſſenſiones vocant, Pontificiam auctoritatem gravi calamitatis ictu concutiunt. 542
Primum Schiſma quando exortum, quidque in Eccleſia Pontificia mali pepererit. 543, *& ſeqq.*
Poſtremum Schisma. 544
Scholarum cura cur a Jeſuitis ſuſcepta. 593
Scotus Theologiæ Scholaſticæ architectus, cur præcipue libri ejus in Pontificiorum ſcholis tractentur. 592
Scotorum virtutes ac vitia. 200. *& ſeqq.*
Sebaſtianus Portugalliæ Rex in Africam cum exercitu contendens, ubi, cæſis a Marocciæ Rege copiis ſimul & ipſe periit. 107, 108
Secularium Principum quinam ex dominatione Pontificia utilitatem capiant. 600
Sedes Petri, quam Pontificii Urbi Romæ tribuunt, quo argumento opinio hæc convelli poſſit. 518
Sedes Pontificia a Clemente V. Avenionem cur tranſlata, & quam diu ibi ſubſtiterit. 546
Sempachum ingenti prælio & horrenda Auſtriacorum cæde nobilitatum. 368
Sicilia Inſula. 87
Siegfridus magnam Suecorum multitudinem ad fidem Chriſtianam convertit. 623
Siegfrieds kalla well fons, ita dictus, quod Siegfriedus Regem Sueciæ aliosque ibidem baptizaverit. 624
Sigismundus Germ. Imperator, virtutibus animique dotibus maxime inſignis, ſed infelix bellator. 394
Sigismundus I. Poloniæ Rex maxima feliciter bella confecit. 451
— *Auguſtus*, filius *Primi*, ultimus ſtirpis Jagellonicæ Rex.

Rex. 452
— *Tertius*, Joannis Suecorum Regis filius, primo Poloniæ, deinde & Sueciæ Rex creatur, ſed mox Regno Sueciæ rurſus privatur. 454, *& ſeqq.*
Sigismundus Sueciæ Rex declaratus, religionem Romanam in Suecia inſtaurare meditabatur. 656. quamobrem omnem obedientiam ei & obſequium ſubditi renunciantes, Carolum fratrem Regem, conſtituunt. 657, *& ſeqq.*
Sigtrugus Suecorum Rex. 621
Sileſia qua occaſione ad Regnum Bohemiæ acceſſerit. 449
Sinenſibus Jeſuitæ Euangelium annunciaturi, cur initium doctrinæ ſuæ non inchoarint cum Chriſto cruci affixo? 502
Sixtus V. Pontifex Romanus, quantas poſt quinque annorum Pontificatus adminiſtrationem opes collegerit. 580
Smalcaldenſi bello Carolus ſecunda ſemper utitur fortuna. 557
Smolenskum urbem Polonis eripiunt Moſcovitæ. 479
Societas Indiæ Orientalis in Belgio Fœderato. 352
Spiritualis cognatio apud Pontificios, quale dogma, quemque novum hoc commentum uſum ipſis præſtet. 590
Spinola Juliacum capit. 339
Bergam ad Somam obſidione cingit, ſed re infecta diſcedere cogitur. *ibid.*
Bredam fame ad deditionem compellit. *ibid.*
Spoelkelk apud Pontificios quid velit. 589
Sparta incolis ad rem militarem idoneis abundavit. 8
Ejus Reipublicæ interitus. 8, 9
Status humani generis antiquiſſimus poſt lapſum. 1
Status quinam ex dominatione Pontificia utilitatem capiant. 599
Status Pontificius quibus præcipue nitatur fundamentis. 684, *& ſeqq.*
Staffordiæ Comes quare capitis damnatus. 188
Stenchillus I. Suecorum Rex primus qui idolorum cultum abrogavit. 625
Steno Sture Gubernator Sueciæ. 645
Stephanus Boloniæ Comes Angliam occupat. 130
Stephanus Batorius Tranſylvaniæ Princeps, Rex Poloniæ creatur. 452
Stephanus Ratzinus multum negotii Magno Moſcoviæ Duci faceſſit. 480
Caſanum & Aſtracanum in ſuam poteſtatem redigit. 481

Captus tandem, dignas ſuæ temeritati dat pœnas. *ibid.*
Servius Tullius cenſum Romæ inſtituens, effecit ut ditiores tantummodo conſcriberentur ad bellum. 17, *& ſeqq.*
Suanto Sture Gubernator Sueciæ factus. 644
Suecia. Antiquiſſimus Regni Suecici ſtatus. 621
Religio Chriſtiana in Suecia introducitur. 624, 625
Lutherana a Mercatoribus, militibus, aliiſque in Suecia propagatur. 647
Romana religio in Suecia auctoritate publica aboletur. 648, *& ſeqq.*
A Johanne Rege revocatur. 653, *& ſeqq.*
Confeſſio tandem Auguſtana in perpetuum firmatur. 656
Nationis indoles. 670
Regni qualitas. *ibid.*
Suecis vicini. 671
Sueno Otho Daniæ Rex, magno mulieres beneficio ornat. 420
Suitii, quando, quave occaſione, abjurata Auſtriacorum dominatione, fœdus cum aliis Urbibus Sylveſtribus, percuſſerint. 364
Supererogationis operum dogma, in Romanenſium Eccleſia vigens, ad rationes Clericorum accommodatum, eaque de cauſſa in primis inventum eſt. 588
Superioritatis jus, quo Germaniæ Principes gaudent, quale ſit. 409
Swercherus Rex Sueciæ, ejusque de Regno controverſiæ cum Canuto. 626
Sweno & *Gethar* filii Magogi, (quem Noachi nepotem ſtatuunt,) Suecis & Gothis nomina dant, iisque populis primi dominantur. 619, 620
Symbolum fidei an tale quoddam componi poſſit, ut Pontificem inter & Proteſtantes componendarum controverſiarum ſpes ſit reliqua. 606, 607
Synaxeos ſacræ uſus, quem in finem inſtitutus. 588
Cur Laicis, Synaxi ſacra utentibus, calix denegetur. 589
Syncretismi Pontificios inter & Proteſtantes an iniri ratio quædam poſſe videatur. 608, 609

T.

Tarquinius cum Lucretiæ ſtuprum intuliſſet, horrendas excitavit in Romana Republica turbas. 21
Tartari, cum Rege ſuo Batto, victo autem ac cæſo Georgio Ruſſorum Principe, univerſam Ruſſiam in ſuam ditionem redigunt. 478

Eorum

Eorum jugum tamen Joannes, Baſilii Cæci filius excuſſit. *ibid. & ſeqq.*
Tartari Crimenſes multa Moſcovitis inferunt mala. 485
Tecelius contra Lutherum diſputat. 551
Theba, cujus olim auctoritatis. 9
Ab Alexandro Magno evertuntur. 8
Tellina Vallis ab Hiſpanis contra Rhætos in controverſiam vocatur, ſed Pontifex cur Rhætorum, Reformatorum licet ſequentium diſciplinam, tuitus fuerit cauſſam. 605
Tellius (*Guilielmus*) primus fuit, qui Helvetiis anſam dedit odio Præfectos proſequendi, ſeſe in libertatem vindicandi. 365, 366
Theodorus, magnus Dux Moſcoviæ; ejusque res geſtæ. 479
Theologia Scholaſtica ab Erasmo Roterodamo cur impugnata. 555
Thomas Aquinas Scholaſticorum Theologorum patronus, cur præcipue ejus libri in eorum ſcholis tractentur. 592
Tigurum quando in ſocietatem aliorum Pagorum iverit, & quare primam dignitatem adepta ſit. 367
Tillius, Cæſaræi exercitus Imperator, Daniæ Regem, Chriſtianum IV. fundit fugatque. 403
Magdeburgum evertit, crudeliterque in cives ſævit. 404
Tolecungerorum in Suecia potens familia, multum Regibus negotii faceſſit. 627
Torkellus Regni Suecici moderator, in Carelia Religionem Chriſtianam propagat. 629
Traditiones quo loco apud Pontificios habeantur. 586
Tranſalpini Epiſcopi, ſepulcrorum Petri & Pauli, (quæ Romæ videri poſſe credebant) viſitandorum gratia Romam profecti, quid mali in Eccleſia ſuperſtitio hæc pepererit. 521
Tranſalpini Epiſcopi cur immenſam Pontificis potentiam, tecte licet, iniquo ferant animo. 529, 530
Trajectus ad Moſam a Principe Arauſionenſi in Batavorum redigitur poteſtatem. 340
Trapezuntum urbs a Turcis quando occupata. 454
Trevirorum Auguſta a Gallis occupatur. 406
Triplex-fœdus Gallum inter Suecum & Batavos. 406
Turca capiunt Neuheuſelium. 406
Ab exercitu Imperatoris cæduntur. *ibid.*

V. *Val-*

V.

Valentinum Ducatum nothus Alexandri VI. Romani Pontificis, Cæſar Borgia occupat, Duxque appellatur Valentinus. 548

Vallis Tellina cur a Pontificibus, quum tamen incolæ Reformatorum diſciplinam ſequantur, ſit defenſa. 605

Vandali quas regiones olim incoluerint. 420

Vandalos Bericus in ditionem ſuam redigit. 620

Vandali prope oſtia Danubii circa Pontum Euxinum conſident, variis inde expeditionibus tam in Aſiam quam Europam feliciter ſuſceptis, duo tandem regna, alterum in Italia, alterum in Hiſpania, conſtituunt. *ibid. & ſeqq.*

Venda virgo Regni Polonici imperio admota, ſed ſuperſtitione cæca præcipitem ſe in Viſtulam amnem dedit. 442

Venetorum Reſpubl. 93. Bellum a Cæſare, Pontifice, Franco, Hiſpanoque, fœdere junctis, Reipubl. Venetorum illatum. 252, *& ſeqq.*

Venetorum Reſpublica a Paulo V. Romanorum Pontifice temere & imprudenter impugnatur; ſed res, poſtquam Galli Papæ perſuaſerint, Venetos, Reformatorum ſuſcepturos ſacra, rurſus componitur. 564

Venloa ab Hollandis occupatur. 340

Veremundus I. Hiſp. Rex ejusque res geſtæ. 35

Veremundus II. magnas a Mauris patitur clades. 37

Veremundus III. Eo imperitante ingens rerum in Hiſpania mutatio eſt facta. 38

Veſalia capitur a Batavis. 340

Victor, Pontifex vivo Joanne creatus, hunc Pontificatum deponere cogit. 543

Eo exſtincto graviora in Eccleſia Romana excitata ſunt ſchismata & contentiones. *ibid.*

Vinfridus, Monachus Anglicanus, qua de cauſa Epiſcopi titulo primum ornatus, deinde Moguntinus Archiepiſcopus factus, poſtremo Vicarius Pontificis declaratus ſit. 522

Ukrania quando populis repleta, & culta maximam partem ſit. 453

Regio ubi ſita, quam potens ſit, quosve habeat vicinos. 453

Uladiſlaus I. Poloniæ Rex metu Pontificis Regio titulo abſti-

abſtinuit. 446
— *Secundus* coactus e Regno profugere. *ibid.*
— *Tertius* regno male geſto privatur ab Ordinibus. 448
— *Quartus* Lithuanus, ſuas cum Polonia terras conjunxit. 449
— *Quintus*, inducias cum Turcis pactas Pontificis juſſu fregit, ipſeque in prælio cecidit. 450
— *Sextus* feliciter cum Ruſſis bella gerit, 460
Ulricus Huttenus, Eques Francus, acriter perſtringit Monachos. 555
Ulmirugii a Berico ſubacti. 620
Ultrajectenſis Confœderatio. 328
Unctio extrema magnam Pontificiis Sacerdotibus præſtat utilitatem. 590
Underwaldii, quando, abjurata Auſtriacorum impotente dominatu, fœdus cum aliis urbibus ſylveſtribus, percuſſerint. 364
Underwaldiorum Præfectus, *Geiſlerus*, in medio foro pileum perticæ impoſuit, palam edicens, ut prætereuntes, nudato capite & flexis poplitibus eundem pileo, ac ſibi honorem præſtarent, quæ res anſam præbuit Helvetiis ſeſe in libertatem vindicandi 365, & ſeqq.
Unio Evangelica. 400
Volga fluvius magnam exercendi cum Perſis Armeniisque commercii per regnum Aſtracanenſe facultatem præbet. 483
Upſalienſi templo tectum a Frothone aureum impoſitum, qui & pinnaculum ejus catena cinxit aurea. 621
Vrangelius Suecici exercitus Imperator magna Polonos afficit clade. 460
Urii, quando, & qua occaſione, abdicata Auſtriacorum dominatione, fœdus cum aliis Urbibus Sylveſtribus, percuſſerint. 364

W.

Waldemarus I. Daniæ Rex Gedani urbis fundamenta jeciſſe fertur. 422
— *Secundus* libidine ſua magnam regni partem amittit. 422, 423
— *Tertius* collapſam Daniæ rem reſtituit. 425
Waldemarus Sueciæ Rex, turbulenter adeo gerit imperium, ut regno ſe abdicare cogatur. 627, 628
Waltherus Furſtius ex conjuratis contra Auſtriacos in Helvetia ſecundus. 366
Wamba Hiſpanorum Rex ab Epiſcopis imperium deponere cogitur. 540
Waywoda XII. primi regni Polo-

Polonici moderatores. 441, 442
Wenceſlaus Germanorum Imperator multis flagitiis infamis. 393
Wernerus Stouffacherus ad tollendam tyrannidem Præfectorum Auſtriacorum in Helvetia conjurationem facit. 366
Weſtro-Gothi ſubigunt Hiſpaniam. 32. Eorum res in Hiſpania paulatim inclinant. 33
A Saracenis vincuntur. 34
Witteberga Lutherus indulgentias contra Tecelium impugnat. 551
Woden a Pompejo magna popularium manu Aſia pulſus, occupat Ruſſiam. 620
Danos ſubigit & Saxones. 621
Norwegiam & Sueciam quoque ſuæ ditionis facit, ac Sueciam imperii ſui ſedem conſtituit. *ibid.*
Woudſteden apud Helvetios prima jecerunt ad liberam Rempublicam conſtituendam fundamenta. 364

Z.

Zebellinæ pelles, uberrimum conferunt fructum Moſcovitis. 482, 484
Zeelandi ad quævis diſcrimina maris ſubeunda promti & alacres. 349
Ziemovitus Poloniæ Rex virtute bellica præſtantiſſimus. 443
Ziemomiſlus Rex itidem Poloniæ nulla re memorabilis, niſi quod filius ejus cæcus, ſuſcepta Religione Chriſtiana viſu ſit donatus. 443
Zugum urbs quando in ſocietatem fœderatorum Helvetiorum iverit. 368
Zuskius (Baſilius) Ruſſiæ Princeps, ejusque contra pſeudo-Demetrium bella. 480

F I N I S.

Digitized by Google

00565636